BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
7 K
1 M
493.

A I c 29

VITA
S. PHILIPPI
NERII
FLORENTINI

Congregationis Oratorij Fundatoris

AVCTORE

PETRO IACOBO BACCIO ARRETINO

Eiuſdem Congregationis Presbytero.



ROMÆ, Typis Vitalis Maſcardi. MDCXLV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſ. P.Mag.Sac.Pal.Apoſt.

A. Sacratus Epiſc.Comaclen. Viceſg.

EGo Io.Victorius Roſcius Romanus legi peraccentè, ac diligenter S. Patris Philippi Nerij Congregationis Oratorij Fundatoris vitam, ab admodum Reu. Patre Petro Iacobo Baccio, eiuſdem Congregationis Presbytero ſcriptam, in qua nihil adeo a Catholica religione, & Chriſtianis moribus alienum deprehendi, vt omnia, quæ in eo continentur, eiuſmodi eſſe ſtatuam, vt prope demortuam, aut languentem in animis legentium pietatem, ac virtutis amorem excitare, vel commouere maximè poſſint: quamobrem dignam eam iudico, quæ typis imprimatur. Romæ 11.Kal.Auguſti 1642.

IVſſu Reuerendiſſimi Patris Michaelis Mazzarini ſacri Apoſtolici Palatij Magiſtri, perlegi librum hunc, cui titulus: Vita ſancti Philippi Nerij Congregationis Oratorij Fundatoris, a Petro Iacobo Baccio noſtræ Congregationis Presbytero conſcriptam; cumque in eo nihil deprehenderim, quod fidei orthodoxæ, ac bonis moribus aduerſetur, quinimò magnam vbique redoleat pietatem, ad fidelium animos informandos, dignum cenſeo, vt typis demandetur.

Paulus Aringhus eiuſdem Congreg.Oratorij Presbyter.

Imprimatur, Fr. Hyacinthus Serronius Magiſter, Socius Reuerendiſſ. P.F.Michaelis Mazzarini S.P.A.Mag.Ord.Præd.

ILLVST.^{MIS} AC REVER.^{MIS} DOMINIS

EX FAMILIA CRESCENTIA

Germanis Fratribus,

ALEXANDRO

Ortonen. & Camplen. Eccleſiæ Antiſtiti,

ET PAVLO

Vtriuſque Signat. Referendario, Meritiſſimis.

IAM Sancti Patris noſtri Philippi Vita ad abſolutionem peruenerat, iam prælo ſubiecta erat, cum Petrus Paulus Creſcentius S. R. E. Cardinalis, Patruus veſter, in cuius nomine apparere debebat (proh dolor!) e vita deceſſit, & quoniam alter in eius locum ſubrogandus erat, vos ſtatim occurriſtis lectiſſimi Nepotes: neque enim munus iſtud, quamuis exiguum, veſtra è Familia abire vllo modo par erat: etenim Vir hic ſanctiſſimus, quoad vita ſuppeditauit, Auis primum veſtris, viris optimis familiariſſimè

 vſus

vſus eſt, & in rebus arduis, ac difficilibus ſua illis ope auxilioque occurrit. Nam Virgilium auum Romanæ decus nobilitatis charum habuit in primis, & vita functum in cælum fuiſſe receptum aſſeruit. Conſtantiæ Draco, vxoris eius probatiſſimæ fœminæ confeſſiones vſque ad vitæ finem excepit, eidemque multa cordis arcana detexit. Vincentium patruum veſtrum, qui poſtea Carmelitani Diſcalceatorum Ordinis Inſtitutum amplexus eſt, in eoque Prouincialis iam functus munere, diem clauſit, dum florenti adhuc ætate rheda vectus ab eadem delapſus concidiſſet; ex ancipiti vitæ diſcrimine ereptum in tuto locauit. Iacobum Creſcentium Abbatem, virtutibus omnibus clarum, patruumque itidem veſtrum, quem Philippus dilexit plurimum, & in filij loco, ac numero habuit, Cœmeterij Priſcilliani, tortuoſis implicatiſque, & in ſe redeuntibus viarum anfractibus errantem, ac propè de ſalute ſua deſperantem, ex obſcuris illis flexibus ereptum, in apertam lucem adduxit: cuius beneficij memor confeſtim argenteam magni ponderis tabellam eius ſepulchro appendit: cum antea loculum, quo nunc religioſiſſimum ſancti Viri corpus cypreſſinis tabulis confectum includitur, holoſerico villoſo purpureo, multo auro, ſcite, eleganterque diſtincto, tegendum, ornandumque curaſſet. Quid de Hieronyma Creſcentia amita, cui adhuc puellæ in mortis articulo conſtitutæ Philippus ſe videndum præbuit, cuiuſque corpori poſt obitum tantam Deus contulit candoris venuſtatem, vt ſpectantes in admirationem traduxerit? Iam verò Petrus Paulus S.R.E. Cardinalis Creſcentius, ita incenſo in S. Patrem ſtudio elatus eſt, vt nihil videretur arden-

tius

tius: nam præterquam quod adoleſcens matutinas preces cum eo ſæpiſſime recitabat, pro mutua beneuolentia, quam viciſſim ab illo ſibi præſtari intelligebat; maximam, atque exploratam in ſpem venerat, tali tantoque Patrono munitum cæleſtis gloriȩ participatione potiturum. Demum vis illa animi, atque ardor, quo eius Apotheoſeos cauſam ſuſcepit, quam inflammatum erga ſanctum Virum ſtudium ſuum extiterit, apertiſſimè oſtendit. Nam cum Cardinali Bellarmino, cui delata fuerat cauſæ cognitio, ſucceſſiſſet, & quorundam eſſet opinio, Philippi relationem inter Sanctos in aliud tempus reijciendam, neque cum alijs quatuor ex Hiſpania Sanctis commiſcendam, eorum conatibus fortiter obſtitit, atque, ne id fieret, vicit, totamque illam cauſam ita adiuuit, vt quæ pro teſtimonio de ſancti Viri virtutibus, ac miraculis dixerit, cæterorum ferè teſtium dictis, magnitudine, grauitate, ac numero præſtent. Hæ igitur in primis cauſæ numerantur, quibus impellor, hunc librum, veſtro inſcriptum nomini, in apertum vt proferam. Quapropter a vobis etiam, atque etiam peto, vt pro veſtra excellenti humanitate munus hoc, qualecunque illud eſt, accipiatis, & quoniam iam nobis non de hac exigua moleſtiarumque pleniſſima, ſed de illa æterna, ac cumulata bonis omnibus vita cogitandum eſt, omnibus a Deo votis enixè precemur, vt nobis honeſtè, ac laudabiliter huius peregrinationis curſu defunctis, ad optatos Beatiſſimi Viri complexus liceat peruenire.

PIE LECTOR.

ACcipe Vitam S. Philippi Nerij, facili, exilique ſtylo conſcriptam: quandoquidem illius geſta imitanda proponimus, qui Chriſtianam ſimplicitatem perpetuò coluit, atque ab omni verborum fuco ſemper abhorruit, tum maximè cum noſtri conſilij ſit, Philippi magis ſanctitatem, ac virtutes purè, ſimpliciterque deſcribere, vt legentium animis imprimantur, quàm ſplendido dicendi genere vti, quo virtutes ipſius obſcurari potius, quàm in luce collocari viderentur: in eo pictores aliquot imitatus, qui colorum nitore contempto naturam ſolummodo æmulari, atque hiſtoriæ veritatem exprimere meditantur. Complura tum locorum, tum perſonarum nomina conſultò omiſimus, quòd non ad Italos, ſed ad exteras nationes hiſtoriam præcipuè dirigimus, quibus cum ſint prorſus ignota, obſcurior fortaſſe ſenſus redditus eſſet. Haud piguit, vocibus aliquando vti, quas vel ſacræ Paginæ, vel Eccleſiæ Doctores vſurparunt, clarioris intelligentiæ gratia. Rerum ordinem ab eo, quem in eius Vita Italicè edita, ſeruauimus, veluti clarum, apertumque, & quem non diſplicuiſſe comperimus, immutare neutiquam placuit. De reliquo, Philippum cole, Alumno ignoſce. Vale.


S. PHILIPPI NERII
EFFIGIES

VITAE S. PHILIPPI NERII
LIBER PRIMVS.
De rebus à Philippo geſtis, antequam in Vallicellam ſe reciperet.

Ortus, & Pueritia. *Cap. I.*

1 PHILIPPVS Leone Decimo, Summo
4 Pontifice, Florentiæ naſcitur, anno redempti orbis milleſimo, quingenteſimo decimo quinto, beatæ Mariæ Magdalenæ peruigilio, poſt mediam noctem: atque in eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ ſacro fonte ablutus ex aui nomine Philippus eſt appellatus. Patrem habuit Franciſcum Nerium, optimæ apud omnes exiſtimationis virum, & in agendis cauſis maximæ integritatis. Matrem, Lucretiam Soldiam nobilem, ac pijſſimam fœminam, cuius maiores olim in Republica primarios habuerant magiſtratus.

5 Franciſcus ex Lucretia quatuor ſuſcepit liberos: fœminas duas, Catharinam videlicet, & Eliſabetham: & totidem maſculos, Antonium, qui adhuc infans euolauit ad ſuperos, & Philippum.

6 Is præſtantiſſimo fuit ingenio, natura facili, bono affectus corporis habitu, & mira præditus morum ſuauitate: qui-

bus dotibus plerunque decorantur ij, qui ad ſalutem animarum cælitus deſtinantur.

7 Pueru parentes optimi optimè inſtituerunt. Primò enim curarũt, vt grammaticæ operam daret, in qua id aſſecutus eſt, vt non ſolùm condiſcipulos antecelleret, ſed cunctis etiam eſſet admirationi. Rhetoricis quoquè ſtuduit, præceptorem nactus ſatis eruditum, cuius diſciplina multum profecit.

8 Inter cætera futuræ ſanctitatis indicia, quæ iam tum ab infantia dedit, fuere, maxima ad res diuinas propenſio, ſingularis modeſtia, & ſumma in maiores obſeruantia. Etenim ſic genitori obtemperauit, vt ipſum ſemel tantùm nonnihil perturbaſſe viſus ſit: cùm ſcilicet Catharinam ſororem, ſe a precibus diſtrahentem, leuiter repulit: quam culpam, ſi modò culpa dici poteſt, a parente correptus diutius deplorauit.

9 Matris verò præcepta vſque adeo reueritus eſt, vt ab ea iuſſus alicubi conſiſtere, nunquam, niſi priùs data licentia, loco diſcederet. Qua vita functa, cùm pater ad ſecundas conuolaſſet nuptias, nouerca priuigni ſanctimoniam venerata, vnicè illum ſemper dilexit: quem poſtea Florentia demigrantem vberrimis lacrymis eſt proſecuta. Quin morbo confecta, & morti iam proxima, Philippi ſæpius iterabat nomen, eumque frequenter compellans, vel ſola ipſius memoria recreabatur.

10 Verùm non modò parentibus, & maioribus obſequentem, ſed etiam æqualibus, & minoribus natu ſic hilarem ſe præbebat, vt planè irarum expers ſingulis videretur: quapropter ob indolis probitatem, puroſque mores, Pippi boni cognomentum eſt aſſecutus.

11 Ob hanc igitur naturæ, morumque ſuauitatem, non ſolùm ab hominibus diligi, ſed etiam a Deo mirabiliter cuſtodiri meruit. Natus enim octo, vel nouem circiter annos, in atrio domus cùm eſſet, aſellum conſcendit, & vt aſſolent pueri, equitare contendens, repentè vnà cum aſello in cellam per ſcalæ gradus præceps ruit: ſed accurrens illico fœmina, quem penitus confractum putabat, incolumem, vegetumque extraxit.

Præ-

12 Præclaris hiſce animi dotibus pietatem in Deum, & peculiare quoddam religionis ſtudium adiunxit. Verùm ipſa quæ exercebat pietatis opera, neſcio quam maturitatem, & grauitatem redolebant. Quare non in conſtruendis arulis, vt ætatis illius mores ferunt, ſed in fundendis precibus, pſalmiſque recitandis, ac præcipuè in Dei verbo cupidè audiendo verſabantur: nec inter loquendum dictitare ſolebat, velle ſe inter clericos cenſeri, aut ad religioſa clauſtra tranſire, ſed incipiens a pueritia retinere ſecretum, ab omni prorſus iactantia abhorrebat.

13 Huiuſmodi morum maturitas, ac puerilis innocentia, diuinam ei gratiam adeo conciliarunt, vt quicquid a Chriſto Domino poſtulaſſet, ſtatim conſequeretur. Quamobrem ſæpius factum eſt, vt ſi quid fortè amitteret, ad orationem confugiens continuò reperiret.

14 Hauſit Philippus ſpiritus primitias a Fratribus Ordinis Prædicatorum: quorum eccleſiam Diuo Marco dicatam frequentabat. Quamobrem poſteà Romæ cùm eſſet, ſi quando illius Ordinis Patres ipſum adirent, dicere conſueuerat: Si quid in me boni, ab ineunte ætate, Dei beneficio collatum eſt, veſtris vtique Patribus acceptum refero: præſertim Zenobio Mediceo, & Seruantio Minio; de quibus hæc enarrare ſolitus erat.

15 Conuenerant iſti inter ſe, vt ſingulis quibuſque noctibus, priuſquam ad matutinas accederent, mutuò peccata confiterentur. At humani generis hoſtis, tanti boni inuidus nocte quadam duas circiter horas antequam conſuetum daretur ſignum, Zenobij cubiculum pulſat, inclamatque: Heus tu, ſurge, imminet hora. Hac voce experrectus ille, ſtatim lecto exiliens, ad eccleſiam ſe confert: ibique ementitum Seruantium reperit, propè ſedem deambulantem. Quamobrem Zenobius, ratus ipſum verè eſſe Seruantium, ſupplex genuflectit, vt peccata confiteatur. Aſſidet dæmon, & confeſſionem excipit. Ad ſingulas tamen culpas, quas pœnitens confitebatur, Nil iſtud, nil culpæ, aiebat. Imò ſi quid grauius adijceret, aiebat itidem: Futilia ſunt iſta. Hæc audiens Ze-

nobius ſatanæ laqueos veritus, crucis ſigno ſe muniens, mendacij parentem ita compellat: Num tu dæmon infernus? Ad hæc is, ſpe lucri fruſtratus, ignominiæ plenus euanuit.

16 Adibat etiam Philippus eximium quendam concionatorem ex Humiliatorum familia, Baldolinū nomine, eumque libenter audiebat: cuius ſanctitatis præclarum afferebat teſtimonium. Narrabat enim huius precibus ſeruatam fuiſſe Florentiam, cùm Dux Borbonius anno a Virginis partu milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo, copias in Italiam traijciens, Romam inuaſit.

17 Dum igitur pius adoleſcens ſpiritualibus exercitationibus vacat, hoc illi cælitus datum eſt, vt virtutum omnium cupiditate ſuccenſus pro Chriſto pati propemodum exardeſceret. Agebat iam tum decimum quintum circiter annum, cùm in ardentiſſimam incidit febrim, cuius vim ea pertulit animi conſtantia, vt vi morbi, etſi corpore ſuberat, animo tamen quodammodo ſupereſſe videretur. Quapropter rem omnem ſilentio tegens, ſtudioſè curauit, vt ægritudo etiam domeſticos lateret.

18 Non abſimile animi robur oſtendit, cùm paterna domus incendio conflagrauit: iacturam enim non modicæ ſupellectilis adeo conſtanter pertulit, vt hinc potiſſimum de ſe apud omnes non mediocrem futuræ ſanctitatis expectationem excitarit.

Patrio ſolo egreditur. Cap. II.

PAtruum nactus erat Philippus nomine Romulum, virum ſanè induſtrium, qui Florentia in Campaniam profectus, atque in oppido Sancti Germani mercaturam diu exercens, duo & viginti aureorum millia, eòque amplius coëgerat. Philippus igitur cùm duodeuiceſimum attigiſſet annum, ad patruum a parente eo tranſmittitur conſilio, vt ad mercaturam incumbens, illi poſtea in hereditate ſuccederet; cùm præſertim nullus Romulo ſupereſſet agna-

tus,

tus Philippo coniunctior. Cùm itaque ad S.Germanum perueniſſet, a patruo humaniſſimè exceptus, apud illum ita ſe geſſit, vt Romulus optimis ipſius moribus bene perpenſis illum heredem teſtamento nuncupare ſtatuerit. Verùm Deus, qui adoleſcentem ad maiora deſtinauerat, quod patruus animo conceperat, omnino irritum fecit. Quandoquidem Philippus, non multo tranſacto tempore, ad ſublimioris vitæ genus euocari ſe ſentiens, de alia vitæ inſtituendæ ratione cogitare cœpit: cuius conſilij maturandi occaſionem dedit, quod mox dicturi ſumus.

2 Eminet ad Caietæ portum, non procul a S.Germano, mons admodum celebris, ex ijs vnus, qui, vt communis viget traditio, moriente Chriſto Domino ſciſſi ſunt. Hic mons tribus vaſtiſſimis hiatibus a ſummo vſque ad imum dehiſcit, quorum medius latiùs patet. Sublime hinc ſaxum aſſurgit, vndè Sacellum apparet, perantiqua Crucifixi imagine inſignitum: quam nautæ, dum ſubiectum ſulcant mare, tormenti bellici edito fragore ſalutare conſueuerunt.

3 Huc frequenter Philippus diuertens, dominicæ paſſionis myſteria feruentiùs contemplabatur. Quamobrem quotidie magis faſtidiens fucatam ſeculi ſpeciem, decreuit, mercatura poſthabita, vitæ genus eligere, in quo poſſet Deo expedito magis animo inſeruire. Præſentit patruus, quæ mente conceperat nepos: quapropter omnem mouet lapidem, vt ipſum a ſententia dimoueat. Primùm pollicetur, ex toto aſſe ſe illum heredem inſtituturum: & deinde admonet, vt Neriæ gentis, quæ in ipſius capite extinguebatur, rationem habeat: neque adeò properè, & inconſultè rem tanti momenti decernat: denique, non ita ſe malè de ipſo meritum, vt aliqua ſaltem gratia pro collatis beneficijs rependi non debeat. Cui Philippus, qua par erat modeſtia reſpondit, ſe beneficiorum immemorem nunquam futurum: de cætero autem laudare potiùs amorem, quàm conſilium.

Romam proficiſcitur: & quos in ſpiritu feruores ibi conceperit. Cap. III.

DVos apud Sanctum Germanum commoratus annos[1], diuino afflatus ſpiritu, ne quid à ſuſcepto propoſito retardaretur, inconſulto etiam patre, Romam venit.

2 Vrbem ingreſſus confeſtim nactus eſt occaſionem, qua ſe totum Christo, quemadmodum optabat, addiceret. Adijt enim Galeottum Caccium, patritium Florentinum, ſibi fortaſſe ſatis notum: qui percepta adoleſcentis modeſtia, illum domi excepit, eiuſque commiſeratus indigentiam, paruo aſſignato cubiculo, eidem in ſingulos annos etiam frumenti modium attribuit: quem Philippus piſtori dare, & ad eum quotidie ſe conferre conſueuit, vt recepto pane vitam toleraret.

3 Non propterea erubuit ſanctus iuuenis, quo maiori beneficio beneficium compenſaret, duos ipſius Galeotti filios, eoſque impuberes literis, & moribus imbuendos ſuſcipere: quos, eò breui perduxit, vt animi candore Angelos potiùs, quàm homines ſeſe oſtenderent.

4.7 Hic Philippus per annos plurimos aſperrimum duxit viuendi genus, hominumque frequentiam ſic declinauit, vt vel in media Vrbe anachoreticam egiſſe vitam nonnulli affirmauerint. Eâ fuit in victu parſimonia, vt nec inedia tangi, nec ſiti vexari facilè dixeris: nam etſi domeſtici ei obſonij partem aſſeruare initio conſueuerant, ipſe tamen in atrium domus deſcendebat, & ad puteum, pane tantùm, ac frigida contentus, vel prandebat, vel cœnabat, additis aliquando aut oliuis, aut oleribus. Quin etiam ſæpenumero triduum cibo abſtinuit. Eius verò cellula tantam redolebat inopiam, vt ſi lectulum demeres, & libellos aliquot, vix quicquam ibi præterea offenderes. Vtenſilia tum lanea, tum linea funiculus in tranſuerſum protenſus ſuſtinebat. Orationi addictiſſimus fuit, qua afficiebatur adeo, vt potius ad eam raperetur, quàm incitatione opus haberet: atque in ea noctes aliquando

integrás, dieſque totos traducebat. Hæc eius eminens viuendi ratió eò vſque euulgari cœpit, vt non ſolùm Florentiam, ſed ad complures Italiæ vrbes fama peruenerit.

Philoſophiæ, ac Theologiæ vacat.
Cap. IV.

1 VErùm quò meliùs diuina attingeret, ac perfectiùs
2 cæleſtia meditaretur, ſtatuit Philippus pietatis operibus Philoſophiæ, ac Theologiæ notitiam adiungere. Primò igitur Philoſophiæ operam dedit: in qua ſic ſe geſſit, vt inter eruditiſſimos ſcholaſticorum, qui per eos dies in Romano Gymnaſio florebant, iure merito cenſeretur. Præceptores nactus eſt in Vrbe primarios, Alphonſum Ferrium, & Cæſarem Iacobellium, qui poſtea ad Epiſcopalem Cathedram euectus eſt.

3 Theologiæ operam dedit apud Auguſtinianos: in qua tantum profecit, vt ſatis deinceps habuerit, ad ſuas, dum vixit, partes optimè obeundas. Quamobrem, vel ſenio iam grauior altiſſimis reſpondebat quæſtionibus, ea memoriæ felicitate, ac ſi nuper ſtudia intermiſiſſet: & ideo de huiuſmodi interdum diſceptabat, etiam cum ſuis in Chriſto filiolis ad ſtudia incumbentibus, tum vt eorum ſibi beneuolentiam conciliaret, tum vt ſic delinitos ad Chriſtianam pietatem faciliùs promoueret. Aliàs item, rarò tamen, de his diſſerebat cum peritiſſimis illius æui Theologis: inter quos præcipui fuere, Ambroſius de Balneolo, & Paulinus Bernardinius Lucenſis, ex Dominicana familia, quibus familiariſſimè vtebatur: quorum alter a Pio Quinto Epiſcopus Nardenſis creatus eſt, alter doctrinæ, & prudentiæ laude maximè enituit. Cum cæteris verò modeſtè adeo ſe gerebat, vt vix a limine literas ſalutaſſe videretur. Quare cùm Præſul quidam, ſatis eruditus, ad illum acceſſiſſet, & cum eo pluribus egiſſet, diſcedens ait: Hunc ego virum idiotam, & illiteratum eſſe cenſebam, reuera tamen comperi, & morum probitate, & ſcientiarum pe-

ritia excellere : id quod etiam accidit Alexandro Saulio, Aleriensi primò , deinde Papienſi Epiſcopo, pietate ac doctrina inſigni, qui prolatis in medium quibuſdam Theologicis quęſtionibus , Philippi ingenium admiratus, eandem de illo protulit ſententiam.

4 Hinc vſu poſtea venit,vt ſi quid fortè a ſuis,dum ex Inſtituto,de quo infra agemus,familiares de rebus diuinis cōciones haberent,aliquid vel minus peritè,vel certè obſcurius pronunciatum audiuiſſet, extemplò ſuggeſtum conſcenderet, atque ijs rationum ponderibus , verborumque proprietate rem explicaret , vt planè eius doctrinam infuſam potiùs crederes, quàm acquiſitam.

5.6 In Theologia Diui Thomæ doctrinam perpetuò ſecutus eſt,eiuſque Summam Theologicam ferè ſemper in manibus habebat. Nec minorem in ſacris Literis progreſſum fecit ; etenim ex earum frequenti lectione, iugique meditatione illud eſt aſſecutus , vt cum ſumma audientium vtilitate inter loquendum diuina proferret oracula. Neque verò,dum ætate floreret, omnino reſpuit Poëſim , tum Latinam , tum etiam Hetruſcam, qua præſertim feliciter adeo vſus eſt,vt verſus optimos funderet ex tempore.

7 Dum interea ad literarum ſtudia incumberet , non ideo religionis, & charitatis officia intermiſit: ſed præcipua Vrbis Noſocomia frequentare, languentibus ſolicitè inſeruire, ad ſacras Baſilicas fidei rudimenta docere , & id genus alia peragere , quæ ad procurandam animarum ſalutem facere videbantur. Imò quo tempore Theologiæ operam dabat , cùm in ſcholis piiſſima Crucifixi penderet imago , quotieſcunque in eam oculos defigebat, a lacrymis, & ſuſpirijs temperare non poterat. Igitur quemadmodum Florentiæ Pippi boni cognomentum fuerat aſſecutus, ſic Romæ Philippi boni nomen ſibi conciliauit.

Literarum ſtudijs dimiſſis totum ſe Chriſto dicat. Cap. V.

1 CVm itaque in ſcientijs,& ſacrorũ librorum lectione
2 tantum profeciſſet, quantum & ſuæ, & proximorum ſaluti ſatis eſſe cẽſeret, Diui Pauli ſententia nixus, Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſtudijs omnibus intermiſſis, nihil aliud ſcire decreuit, niſi Chriſtum, & hunc crucifixum. Quamobrem quotquot habebat libros vendidit, ac pretium omne in pauperes erogauit: quo perfunctus charitatis officio, intenſiori ſtudio orationi ſe dedit: ita vt in ea dies, noctesque conſumeret, & ad quadraginta interdum integras horas in ea perſeueraret.

3.4 Quæ quidem omnia, vt faciliùs aſſequeretur, cœpit grauiùs affligtare corpus, humi ſomnum carpere, ferreis catenulis ſe quotidie cædere, hominum deuitare frequentiam, ſeptem Vrbis Eccleſias,& præcipuè Cœmeterium Calliſti ſingulis diebus inuiſere; & inibi, vnum dumtaxat panem pro viatico deferens, totas in oratione noctes ſæpiſſime tranſigere: quod quidem admirabile inſtitutum decem annos ipſos retinuit. Id quod perpendens Franciſcus Cardonius Dominicanus, qui tum Romæ in Cœnobio S. Mariæ ſupra Mineruam Tyronibus præerat, vt eos ad arctioris vitæ normam alliceret, hæc ſæpius repetebat: Philippus Nerius, vir planè ſanctiſſimus eſt: etenim inter alia, quæ præclarè geſſit, decem integros annos in Catacumbis S. Sebaſtiani vitam traduxit.

5.6 Quod ſi in ſacris hiſce locis clauſas interdum offenderet Eccleſiarum fores, in ipſarum veſtibulis pedem ſiſtere ſolebat; ibique ſublimium rerum contemplationi vacare, & frequenter ad lunæ radios pium aliquem libellum lectitare. Hic porro tot cæleſtibus ditabatur theſauris, tot perfruebatur delicijs, vt cùm interdum amplius ferre non poſſet, exclamaret: Sat eſt bone Deus, ſat eſt: contine quæſo, contine vndas gratiæ tuæ; iam enim ſuſtinere non poſſum: & humi proſtra-

ſtratus, huc illuc ſe vertere cogebatur. Quocirca mirum non eſt, ſi eo plenus, qui cælum terramque implet, ſæpe affirmaret, verè Deum amanti nihil grauius, nihil durius eſſe, quàm viuere. Illud præterea præclarum ac vulgatum frequenter iterans, ſanctos viros mortem habere in deſiderio, & vitam in patientia.

7.8 Cæterum non ſolùm Deus militem ſuum ſpiritualibus hiſce delicijs recreabat, ſed etiam ex aduerſo dæmonum impugnationibus exercebat. Ibat aliquando ad Lateranenſem eccleſiam: dumque tranſiret, quà ſurgit Veſpaſiani amphitheatrum, impuriſſimus dæmon nudi hominis ſpeciem indutus, illi ſe obuiam prodit, turpiſſimaſque cogitationes excitat. At caſtus adoleſcens, ſubdola antiqui ſerpentis artes agnoſcens, ad conſueta orationis arma confugit: atque ita dæmonem ignominiæ plenum a ſe longiùs auertit.

9.10 Item cùm nocte quadam non procul ab ædibus S. Sebaſtiani, orans ac meditans perambularet, tres ei repentè dæmones occurrunt: qui vt magis perterreant, truces, atque immanes vultus obiectant. Verùm is per contemptum, nullo dato timoris ſigno, intrepidus pergit; & in oratione ſua magna cum tranquillitate perſeuerat: quod ipſi videntes, ſpe deiecti ſtatim euanuerunt. Multis alijs iſtiuſmodi concertationibus a malignis ſpiritibus appetitus eſt, de quibus tamen optimus Chriſti miles victoriam reportauit. ſed de his ſuis locis aptiùs.

De mirabili cordis eius palpitatione,
Cap. VI.

HOc vitæ genus cùm diu ſeruaſſet Philippus, & ad vigeſimum nonum ætatis perueniſſet annum, inter cætera, quæ ſibi a Deo impertita ſunt beneficia, præcipua quidem fuere, admiranda illa cordis palpitatio, & duarum coſtularum fractura, atque elatio; quæ illi in hunc ſanè modum contigerunt.

Pau-

2 Paulò ante feſtum Pentecoſtes, ad Paraclitum, cui ſe olim totũ religionis ergò addixerat, enixiùs fundebat preces, cùm ecce tibi tanto repente diuini amoris æſtu corripi ſe ſentit, vt illico humi ſtratus, inſtar eius, qui æſtuans auram frigidiorem captat, pectus denudare compulſus fuerit. At æſtu ex parte ſedato, conſurgit, atque inſolita geſtiens lætitia, ſiniſtro lateri dexteram admouet: & ad pugni magnitudinem, quo loco ſitum eſt cor, tumorem quendam reperit.

3 Quæ tumoris huius cauſa fuerit, poſtquam Philippus è vita deceſſit, multorum oculis patuit. Etenim dum chirurgus, artis peritis adſtantibus, corpus exenterat, duas coſtulas ex quinque, quas mendoſas appellant, penitus diſruptas, atque in arcum elatas reperiũt: quæ quidem per annos quinquaginta, quibus exinde vixit, nullo vnquam tempore coaluerunt. Nec tamen ex hoc, quod planè hominum fidem ſuperat, vel tum, vel in poſterum ipſe quicquam moleſtiæ, aut doloris contraxit.

4 Eodem temporis momento, etſi optima erat corporis habitudine, & ab omni triſtitia prorſus alienus, ſubita cordis palpitatione correptus eſt: quæ eum proinde vſque ad vltimum vitæ ſpiritum detinuit. Ei tamen dumtaxat contingere ſolebat, quoties aliquod pietatis officium exerceret: videlicet, dum Miſſam celebraret, a peccatis abſolueret, Chriſti corpus miniſtraret, preces funderet, & id genus alia exequeretur: inter quæ vſque adeò exultabat cor eius, vt è pectore quodammodo erumpere videretur. Quamobrem vidiſſes interdum ſedes, lectulum, & cubiculum ipſum, veluti quodam terræmotu concuti, & agitari: & cùm poſtea ſemel in Baſilica Principis Apoſtolorum flexis genibus pergrandi, & ponderoſæ tabulæ incumberet, ſic cœpit toto corpore contremiſcere, vt tabula ipſa ſurſum deorſumue, ac ſi nullius eſſet ponderis, extolleretur. Fuit exinde Philippus tam piè affectus erga Paraclitum, vt Sacerdos factus quotidie, dummodo Eccleſiæ ritus non repugnaret, in Miſſæ Sacrificio precationem illam, Deus cui omne cor patet, adiunxerit.

5 Hinc etiam fiebat, vt ſi quis fortè pœnitens, eius hæ-

reret

reret pectori, illam cordis commotionem non ſine admiratione perciperet, & aliquando, ac ſi quodam malleo ſibi caput repelli ſentiret, atque interim tentationibus liber ſæpiſſime euaderet. Quocirca Tiberius Ricciardellus prædictæ Baſilicæ S.Petri Canonicus, qui Viro Dei ſpontè toto quadriennio inſeruierat, hoc teſtatum reliquit.

6 Quo tempore huic ſancto Viro, inquit, inſeruiebam, impura me cogitatio apprehendit: qua ei detecta, me ad ſe propius accedere, ac pectus pectori adiungere iubet. Accedo, adiungo, liberor: & in poſterum huiuſmodi impuritatibus haud vnquam afficior. Hactenus Tiberius. Hoc idem Marcellus Vitelleſcus S.Mariæ Maioris Canonicus, Philippo apprimè charus, alijque permulti teſtantur.

7.8 Præterea in ea thoracis parte tanto Philippus æſtuabat ardore, vt per vniuerſum etiam corpus diffunderetur: & quamuis iam grauiori eſſet ætate, atque incredibili abſtinentia propè conſumptus, ſumma tamen hyeme, & alta etiam nocte pectus nudare, fores, feneſtraſque aperiri, ac varijs modis frigidiorem aërem colligere opus haberet. Qui quidem ardor in tantum quandoque augebatur, vt illius non ſolùm manus mirum in modum incaleſcerent, verùm & ipſæ fauces exuſtæ, quaſi incendio afflatæ viderentur. Quamobrem brumæ quoque tempore, cũ niue obrigerent omnia, aperto pectore per Vrbem incedere hominem iam ſenio confectũ vidiſſes.

9.10 Atquoniam ob diuerſa, quæ Philippus ex huiuſmodi palpitatione patiebatur ſymptomata, medici non ſemel contraria adhibebant medicamenta; is quaſi per iocum aiebat: O vtinam hi valeant ægritudinis meæ cauſam deprehendere! innuens, non ſe naturæ morbo affectum, ſed diuino potiùs amore ſauciatum eſſe. Quapropter illud obiter vſurpabat: Vulneratus charitate ſum ego. Quemadmodum etiam ſe Christi amoribus irretitum ſentiens, illud Italicum carmen decantabat.

Vorrei ſaper da voi com'ell'e fatta
Queſta rete d'amor, che tanti hà preſo?

Sæpius itidem nimia ſpiritus dulcedine delibutus in lectulum

abijciebat ſeſe, ibique languebat: vt planè in eo illud Canticorum impleretur: Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Attamen ne ſuum cuiuis temerè aperiret ſecretum, ſe vel ex mala corporis habitudine, vel aſſuetudine quadam huiuſmodi deliquia pati dicebat: & ne tumor ille, vel elatio coſtarum deprehenderetur a ſuis, ſudariolum in ſinu ad læuam ex induſtria geſtare conſueuit. Illud etiam in hac cordis palpitatione miraculo aſcribendum videtur, quod nimirùm id ſancto Viro, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate eueniret: quod quidem ipſemet Federico Cardinali Borromæo, amicitia ſibi coniunctiſſimo, ſemel atque iterum patefecit.

11 Itaque iure optimo Andreas Cæſalpinus, & Angelus Victorius, alijque medicæ artis peritiſſimi, præclaros hac de re tractatus ediderunt, aſſerentes ſingulari Dei prouidentia, ac beneficio hanc ei coſtarum elationem contigiſſe, ne fortè cor in illa vehementi palpitatione offenderetur, ſed dilatato ſinu liberè ſe iactaret, atque aërem apertiùs hauriret.

12 Hoc igitur a Deo accepto beneficio, cœpit Philippus vt cum maximè ſeptem Vrbis Eccleſias perluſtrare: cui die quodam inter eundum contigit, vt irruente ſuper eum ſpiritu Domini in terram deiectus, clamare coactus fuerit: Recede a me Domine, recede: en profectò morior: & niſi opem feras, haud diutius ſuſtinere poſſum. Exinde igitur pius Dominus æſtum illum, atque amoris impetum paululum leniuit, ac mitigauit.

Ad proximos adiuuandos ſe confert. *Cap. VII.*

HAnc ergo viuendi rationem, ab hominum conſortio ſemotam, cùm diutius tenuiſſet, ſe a ſummo rerum Opifice in animarum ſalutem vocari intelligens, ad bonam frugem reuocandos peccatores totum ſe dedit. Quapropter publicos hominum cœtus adibat, ſcholaſticorum collegia, & academias frequentabat, improborum conuenticulis

ticulis ſe ingerebat, atque in præcipua negotiantium loca ſedulus conferebat ſeſe: vbi opportunam nactus occaſionem, nullo habito perſonarum delecta, diuina intermiſcens, multorum animos ſibi conciliabat, ac ſuauiter deducebat ad Chriſtum.

2 Inter plures, quos Deo adiunxit, fuit Henricus Petra, Placentinus, qui eius hortatu, mercatura dimiſſa, ſacerdos effectus, in ædibus Sancti Hieronymi vita ſanctiſſimè ducta; religioſiſſimè pariter diem clauſit. Hic porrò fuit, qui in Vrbe Doctrinæ chriſtianæ Congregationem amplificauit, & auxit. Pellexit etiam ad Chriſtum Theſeum Raſpam: qui & ipſe mercatura dimiſſa, ſacris initiatus, ijſdem in ædibus, vnà cum Henrico, plenus dierum ac meritorum vitam finiuit. Ad meliorem quoque frugem perduxit Ioannem Manzolium, qui ad perfectionis apicem aſpirans, etſi laicus, ſingulis tamen extitit exemplo virtutum. Alios præterea multos ad ſalutis ſemitam reuocauit, de quibus opportuniori loco dicturi ſumus.

3. 4 Creſcente autem Charitate, non ſine peculiari Spiritus ſancti impulſu cum ſceleſtiſſimis, ac perditiſſimis hominibus familiariter agere cœpit (cum fœminis verò, illa præſertim ætate, nunquam) eorumque plurimos ad meliorem viuendi normam traduxit. Ex his fuit nummulariorum præcipuus, qui tum ſordidis quæſtibus illaqueatus, tum carnalium voluptatum cœno demerſus perditiſſimè viuebat. Is porrò Philippi opera ad Dei obſequium inflammatus, expiandorum criminum cauſa Sacerdotem adit, a quo reiectus, quòd proximas peccandi occaſiones abijcere recuſaret, ſubtriſtis ad Philippum redit, remque omnē quemadmodum acciderat, narrat, eumque etiam atque etiam rogat, vt ſibi quantumuis indigno, a Deo auxilium expoſcat. Philippus demiſſum hominis animum erigit, difficultateſque extenuans, Abſcede, inquit, iam pro te ad orationem me confero; adeoque precibus inſiſtam, donec Altiſſimum inflexero: neque abfuit dicto fides: ſiquidem breui, proxima occaſione abiecta, ab eodem Sacerdote, a quo repulſam paſſus fuerat, optatam

tam

tam peccatorum abſolutionem recepit, ac deinceps ſe totum Philippo addixit.

5 Hic verò omittendum non eſt, quòd cùm Philippus, florente ætate, eximia corporis forma preditus eſſet, a ſceleſtis quibuſdam, dum ſemel a concione rediret, ad malum allicitur. At ille continuò tanto cum feruore de ſcelerum turpitudine, ac virtutum dignitate ad eos ex tempore ſermonem habuit, vt qui acceſſerant peruerſuri, conuerſi receſſerint.

6 Impulit etiam plurimos ad varias Religioſorum familias. Quamobrem Sanctus Ignatius Loiola, Societatis Ieſu Fundator, qui per id temporis Romæ morabatur, eum Campanæ nomine nuncupare conſueuit: quippe qui alios ad regularem diſciplinam incitabat, ipſe verò in ſeculo ætatem degebat: non ſecus quàm campana, quæ ad eccleſiam alios conuocat, & ipſa in turri hæret immota. Optauerat quidem Ignatius ſuorum numero Philippum aſcribere, ſed Deus illum ad alia deſtinauerat.

7 Notarunt præterea ſui, eos, qui Philippi monita contempſerunt, funeſta morte plurimùm perijſſe. Ita planè accidit cuidam, qui Philoſophiam profitebatur, nam a Philippo de graui facinore obiurgatus, correctione deſpecta, ſtatim atque loco diſceſſit, miſerrimè trucidatus eſt. Nec multo ſecus alij contigit, qui ſemel ac ſæpius ab eo rogatus, vt reſipiſceret, obſtinatior factus, intra paucos dies in carcerem conijcitur, & manifeſto conuictus crimine, capite damnatur: tametſi ad ſuorum ardentiſſimas preces ad triremes fuerit condemnatus.

8 Interea verò dum animarum ſaluti incumbit, non propterea cætera pietatis opera remittit: etenim frequens Noſocomia inuiſebat, vbi ſuiſmet manibus componebat lectulos, purgabat ſordes, pauimenta verrebat, miniſtrabat cibos, & id genus alia peragebat: ſed in primis obeuntium animas Deo commendabat: a quibus non recedebat, niſi vel animam efflaſſent, vel meliùs habuiſſent.

9. Hæc porrò Chriſtianę charitatis exempla plurimorum animos ad pietatem excitarunt: quamobrem non ſolùm cleri-

rici,ſed etiam laici, nobileſque viri publica Noſocomia, & Xenodochia frequentare cœperunt(res planè ijs temporibus inuſitata)vbi ægrotis,vel peregrinis pro cuiuſque pietate humillimè obſequia præſtabant. Hinc etiā originem traxit Miniſtrantium infirmis Inſtitutum: qui Camillum Lellium patrem agnoſcunt, virum virtutibus inſignem, eundemque Philippo addictiſſimum. Hîc prætermittendum neutiquam eſt, Philippum ipſum affirmaſſe, ſe, cùm duo ex eorum familia morientium animas Deo commendarent, vidiſſe Angelos ad eorundem aures verba ſuggerentes: idque ſæpius iiſdem enarraſſe,vt religioſos hoſce viros ad tam ſalubre pietatis officium inflammaret: quod etiam in eorum Chronicis notatum legitur.

Sodalitium Sanctiſſimæ Trinitatis vnà cum aliquot alijs inſtituit. Cap. VIII.

ALias præterea vias ad proximorū ſalutem Vir ſanctus excogitauit:quandoquidem anno Domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo, decimo ſeptimo Kalendas Septembris,vnà cum Perſiano Roſa, Sacerdote piiſſimo, ſibique a confeſſionibus, in templo S.Saluatoris in Campo Sodalitium Sanctiſſimę Trinitatis inſtituit,cuius exordia hęc extiterunt.

2.3 Hunc in locum conueniebant Philippus, atque alij ferè quindecim: vbi præter frequentem Sacramētorum vſum, aliaſque pias exercitationes, ſuauiſſima de rebus diuinis habebant colloquia, ac ſe mutuò ad Chriſtianam perfectionem incitabant. Primo cuiuſque menſis dominico die, nec non ſingulis annis, in maiori hebdomada, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ad quadragenas horas, Eccleſiæ ritu, ſolemniter exponebant: in qua functione Philippus ſermones de rebus diuinis habebat, & interdum ad ſingulas horas: & quidem cum tanto ſpiritus ardore, vt nullus tam durus eſſet, tamque pertinax, vt ipſo dicente non emolliretur: & ſe-

mel accidit, vt miſſis diuini verbi retibus vnico iactu ad triginta iuuenes è peccatorum cœno extraxerit: nec non plurimi, qui potius accedebant irriſuri, quòd viderent hominem laicum concionantem (erat enim ea tempeſtate res inſolita) verborum eius efficacia perciti, ad bonam frugem ſe recipiebant.

4 Toto autem orationis tempore Philippus plerunque diem totum, totamque noctem in cæleſtium rerum meditatione traducebat: & ſingulis horis dato ſigno eos, qui orauerant, dimittebat, alioſque aduocabat, dicens: Eia fratres hora quidem defluxit: haud tamen bene agendi tempus defluxit.

5 Sodalitatis huius Inſtitutum (quod hactenus retinetur) erat, vt peregrini, qui Romam pietatis cauſa ſe conferunt, hoſpitio exciperentur. Id quod anno Iubilei ſub Iulio Tertio Summo Pontifice in opus ſumma cum laude perduci cœpit. Cùm enim hiſce annis numerus accedentium ad Vrbem longè maior eſſe ſoleat; neque certus tunc eſſet conſtitutus locus, quò pauperes ac peregrini diuerterent; Philippus, eiuſque ſocij charitate permoti illos amantiſſimè excipiebant. At magno iam facto confluentium numero laxiorem domum conducere neceſſe fuit, vt aduentantium multitudo commodiùs excipi poſſet.

6 Iſtiuſmodi charitatis officium plurimis extitit incitamento pietatis. Vidiſſes namque quotidie, dum ingens vndequaque confluebat peregrinantium multitudo, alios accedentium pedes abluere, alios afferre cibos, quoſdam lectulos componere, nonnullos ſolari afflictos, & rudes inſtruere, ac demum omnes charitatis, & pietatis obſequia ſtudioſiſſimè præſtare. Quamobrem Inſtituti bonus odor ita fragrare cœpit, vt longè lateque diffuſo, complures inter ſodales adſcribi flagitauerint.

7 Primis his conſodalibus, qui omnes Philippum parentis loco venerabantur, etſi domeſticarum rerum ſatis anguſta, precioſiſſima tamen erat virtutum ſupellex. Quandoquidem is, qui inter eos vltimas partes tenebat, & rem

coquinariam adminiſtrabat, ad eum perfectionis gradum peruenerat, vt ſæpenumero media nocte cubiculo egreſſus cælum ſuſpiciens, in diuinarum rerum contemplationem raperetur. Et alius eiuſdem pariter Sodalitij, obitus ſui diem imminentem præuidens, ſororem ad ſe accerſit, & ſcribe, inquit, ſexta feria, hac & hac hora decedam: & ea qua prædixerat hora, è vita ceſſit.

8 Verùm hi quidem pietatis & miſericordiæ viri, cùm animaduerterent ægrotos non ſatis adhuc firmæ reſtitutos valetudini, de Noſocomijs dimiſſos ſæpius maiori vitæ periculo in morbum recidere, ſtatuerunt eos in eodem hoſpitio per aliquot dies reficiendos detinere, donec firmiùs conualeſcerent. Quæ quidem omnia indies aucta, & amplificata, vt commodiùs fierent, ab eccleſia S. Saluatoris in Campo ad eum locum tranſlata fuerunt, vbi nunc ſurgit Templum ſanctiſſimæ Trinitatis ad pontem Xyſtum.

9 Ad quæ verò incrementa id opus effloruerit, his tribus annis Iubilei proximè præteritis, & maiores noſtri, & nos ipſi ſpectauimus. Enimuerò viſi ſunt eo in loco non ſolùm primarij Romanæ Curiæ Præſules, ac S.R.E. Cardinales, non ſolùm principes viri, ac fœminæ, maribus illi, fœminis iſtæ, cuiuſque generis obſequia exhibere; ſed videres quoque ibi Summum Pontificem non ſine ſpectantium admiratione, & exemplo peregrinis pedes abluere, diſcumbentibus miniſtrare, eleemoſynas elargiri, & id genus alia quamreligioſiſſimè exhibere, vt ideo huius rei fama toto iam Chriſtiani nominis orbe percrebuerit.

Sacris initiatur, & Confeſſionibus audiendis præficitur. Cap. IX.

CVm igitur Deus in animarum ſalute Serui ſui operam collocandam deſtinaſſet, nec poſſet Philippus in eo ſtatu tantum exequi munus, Perſianum Roſam ipſi à confeſſionibus interius mouet, vt eum ad ſacros

ſuſci-

ſuſcipiendos Ordines impellat. Ille primò reluctari, & virium infirmitatem excuſare, multiſque rationum argumentis eniti, vt Perſianum a propoſito dimoueat. Sed Perſianus iubet ipſum omnino obtemperare.

2 Anno igitur a Chriſto nato milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, quo nondum finem acceperat ſancta Tridentina Synodus, Philippus annum agens ſextum vltra trigeſimum, in Eccleſia S.Thomæ in Parione, menſe Martio, diuerſis tamen diebus, primam tonſuram, quatuor minores Ordines, & ſubdiaconatum ſuſcepit: atque eodem anno, eodemque menſe, id eſt, ſabbato maioris hebdomadæ in Lateranēſi Baſilica, Diaconatu, & in prænominata eccleſia S.Thomæ, decimo Calendas Iunias eiuſdem anni Sacerdotio fuit inſignitus.

3 Mox in ædes S.Hieronymi a charitate ad habitandum ſe contulit: vbi pauci quidam, pijque ſacerdotes morabantur, hoc eſt, Bonſignorius Cacciaguerra, patria Senenſis, vir ſanè tum litteris, tum vitæ ſanctimonia celebris; Perſianus Roſa Philippi, vt diximus, a confeſſionibus; Franciſcus Marſupinius Arretinus, morum puritate ſpectabilis, qui poſt Perſianum Roſam Philippi confeſſiones excepit; Franciſcus alter cognomento Hiſpanus, probitate a ceteris haud inferior; & Petrus Spatarius itidem Arretinus, ſummæ virtutis vir, qui poſtremus omnium ex presbyteris S.Hieronymi eius confeſſiones excepit. His enim morte præreptis Ioannem Baptiſtam Peruſcum è Societate Ieſu per aliquot annos, ac denique Cæſarem Baronium ad vltimum vſque diem ad hanc rem ſibi adhibuit.

4 Viuebant Chriſti ſerui in eadem domo, vno charitatis, mutuæque obſeruantiæ vinculo aſtricti, nec alias conſtitutiones, quibus viuendi rationem dirigerent, ſibi præſcripſerant, quàm amoris. Præerat nemo, nec vna erat eorum menſa; ſed ſeruato dumtaxat ingreſſus ordine, nihil præterea curabant, niſi vt alter alteri in diuino cultu, proximiſque iuuandis antecelleret. Quod quidem Inſtitutum non ſine magno virtutum exemplo etiam nunc viget, flo-

retque. Hic igitur Philippus confeſſionibus audiendis præficitur: ex qua re ampliorem indies ſibi aditum ad procurandam animarum ſalutem aperuit.

Familiarium concionum origo. Cap. X.

AT quoniam ea tempeſtate ferè omnes ijs, quæ ad ſalutem pertinent, remiſsè vacabant, & plerique ſatis ſibi conſultum habebant, ſi ſemel aut iterum in anno peccata expiarent; animaduertens Philippus ex hoc animarum perniciem potiſſimùm emanare, omnem operam, atque ingenium adhibuit, vt homines ad frequentiorem vſum Sacramentorum, aliaque religionis munia obeunda excitarentur. Quamobrem ipſe vnà cum illis, de quibus modò egimus, ſanctiſſimis viris, Sacramẽtorum frequentem vſum Romæ reſtituit, vel certè auxit.

2 Verùm quò id facilius aſſequeretur, ceteris poſthabitis, excipiendis confeſſionibus totum ſe deuouit: ac pœnitentium non exiguum iam numerum nactus, cùm planè intelligeret, quanti exinde fructus orirentur, noctis etiam partem in hac re inſumebat: quamobrem ſummo manè ex ijs nõ paucis in cubiculo confitentibus aures iam præbuerat; quorum commoditati conſulens, oſtij clauem certo ponebat loco, vt per ſe ipſi adire ad libitum poſſent.

3 Apertis autem eccleſiæ foribus, illicò ad Pœnitentiæ ſedem ſe conferebat: a qua nunquam recedere ſolitus erat, niſi ad Sacrum peragendum, vel ſi qua vrgente neceſſitate aliò auocaretur. Quando verò nullus aderat, vel ibi meditans, vel ante templi veſtibulum deambulans morabatur, vt ſi quis eius opera vti vellet, facilè ipſum obuium, expeditumque haberet. Demum in confeſſionibus auſcultandis ea potiebatur animi iucunditate, vt ſæpius affirmaret, maxima ſe voluptate perfundi in ipſa dumtaxat Pœnitẽtiaria ſede ſedendo: quamobrem, quoad vixit, huiuſmodi munus nunquam intermiſit. Si verò quiſpiam interrogaſſet: Quorſum

Pater

Pater tantis te laboribus grauas? Fili, reſpondebat, non ſolum non grauor, ſed refici, & recreari me ſentio.

4 At non ſatis ei fuit hiſce artibus allexiſſe multos, ſed ipſos corrobare, & in via Dei confirmare operam dedit. Statuit igitur, vt a prandio in cubiculum conuenirent (ijs quippe horis probè norat vir ſapiens, quammaximè præcauendos, arcendoſque meridiani dæmonis incurſus) vbi facta illorum corona, ipſe lectulo vel innixus, vel inſidens, morale aliquod proponebat argumentum, vel de virtutum pulchritudine, vel de vitiorum deformitate, ſeu etiam de geſtis Sanctorum: in quod vnuſquiſque ſuum conferebat ſymbolum. Habito iam ſacro colloquio repetens Philippus, quæ dicta fuerant, tanto cum feruore argumentum proſequebatur, vt corporis motu non modò lectulus, ſed ipſum aliquando cubiculum quateretur; quemadmodum etiam ſæpenumero ſublatus in aëra toto corpore conſiſtere cernebatur.

5 His porrò colloquiis ſeptem vel octo ad ſummum initiò interfuerunt: nimirùm Simon Grazinius, & Montes Zazzara Florentini; Michael a Prato ſutor; duo iuuenes aurifices; necnon ex Maximorum familia Romanus vnus: ſed aucto exinde numero, vir Dei ampliorem, & commodiorem locum in ijſdem ædibus ſibi proprio ære parauit.

De primis Philippi diſcipulis. Cap. XI.

PIjs hiſce exercitationibus pellexit Philippus complures ex primoribus Vrbis viros, qui omnium virtutum genere effloruerunt. Inter quos præcipuè enituit Ioannes Baptiſta Saluiatus, Catharinæ Mediceæ, Galliarum Reginæ conſobrinus. Is namque non ſuffundebatur pudore humiliora miniſteria, ac præſertim Noſocomiorum officia (id quod eo tempore apud nobiles dedecori eſſe perperàm putabatur) pro Chriſto obire: quæ omnia eo charitatis, & humilitatis ſenſu præſtabat, vt ægroti ob viri nobili-

tatem ea recipere recuſarent, & is cum illis contendere ſæpenumero opus haberet. Etenim certo die, dum ſcilicet lectos in Noſocomio, vt illi mos erat, aptaret, ægrotantem offendit e famulis olim ſuis vnum; cui cùm vellet ſtratum componere, æger opponebat ſeſe; inſtabat herus, reſiſtebat famulus. Quapropter maxima inter eos orta eſt contentio: at poſt longam altercationem heri pietas de famuli reuerentia triumphum reportauit.

2 Profecit adeò vir iſte in edomandis animi ſui ſenſibus, vt qui antea ſplendidè per Vrbem incedebat, numeroſa comitatus famulorum caterua, guſtato ſpiritu, cœperit huiuſmodi ſuperbiæ pompas a ſe penitus remouere: Philippus tamen eum modeſtè ornari, ac decentem famulatum ad familiæ honeſtatem retinere iuſſit. Hiſce, alijſque virtutibus prœditus a Deo tandē promeruit, vt in mortis articulo Sacramentis Eccleſiæ munitus, paſſis ad cælum manibus, illud Dauidicum cecinerit: Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus: atque in amantiſſimi patris ſui Philippi complexu animam efflauerit.

3 Iampridem Philippus ad mirum ſanctitatis gradum extulerat Portiam de Maximis, eiuſdemmet Saluiati vxorem: quæ orbata viro, Florentiæ degens, arctiùs Deo ſeruire conſtituit. Quapropter in ſacrarum Virginum cœnobium ſe recepit. Verùm cùm Florentiæ aduerſa ſemper valetudine plus nimio affligaretur, Romam redijt, ac Monaſterium S. Catharinæ Senenſis in Viminali ingreſſa, ætate longæua ſanctiſſimè, prout vixerat, vitam finiuit.

4 Acceſſit ad Saluiatum Franciſcus Maria Tauruſius, Politianus, Iulio Tertio, ac Marcello Secundo, Summis Pontificibus ſanguinis propinquitate coniunctus, vir maximi ingenij, & ob præclaras animi dotes Principibus apprimè charus, ſummæque apud aulicos exiſtimationis. Is igitur cuiuſdam Indulgentiæ occaſione tunc temporis euulgatæ, templum S. Hieronymi a charitate peccata expiaturus adiuit, & ſanctum virum, ad eam rem nunquam imparatum inuenit. Confeſſione igitur peracta, Philippus in cubiculum

lum hominem deduxit: vbi poſt ſatos varios, multipliceſquè ſermones, data occaſione ipſum hortatur, vt ſecum ad integram horam orare velit. Annuit Tauruſius: & eo temporis interuallo tam ingentem cæleſtium rerum dulcedinem hauſit, vt hora illa momento ſibi citiùs euolaſſe viſa fuerit. Quapropter cum deinceps Philippi cellulam frequentaret, eumque inter precandum frequenter in aëra elatum videret; auguſtiùs de eo ſentire cœpit, atque ardentiori virtutum amore ſuccenſus nouam viuendi normam ſibi præſcribere cogitauit. At quoniam nonnullis detinebatur impedimentis, quo minus Dẽo pro votis deſeruire poſſet, ijs Philippo patefactis: Abi, inquit, & confide: nam quæ nunc te impedimenta irretiunt, infra menſem profectò euaneſcent. Tranſacto igitur menſe, iam liber & expeditus ab omnibus ad beatum virum rediens, totius vitæ culpas cum maximo doloris ſenſu per confeſſionem Sacramentalem expiauit. Verùm quia inter confitendum deprehendebat, ſibi paſſim intimos animi ſui ſenſus a Philippo aperiri, tanto cœpit amore atque obſeruantia illum proſequi, vt aulæ ſplendore poſthabito, ad vnius Philippi ductum ſe contulerit.

5 Tanta vir iſte pietate ardere, tantoque feruere ſpiritu cœpit, vt fræna potius inijci, quàm calcaria admoueri deberent: & adeo a diuino nutu pendebat, vt quam animi ſerenitatem ab initio conuerſionis adeptus fuit, nunquam amiſerit. Philippum præterea tantopere obſeruauit, vt octogenarius licet, & Cardinalitia purpura fulgeret, id ſolum ſibi gloriæ duceret, quod in ſchola Chriſti ſub Nerio ad quinquaginta annos & amplius tyrocinium poſuiſſet. Orationis & lacrymarum dono maximè enituit. In concionibus familiaribus habendis ſic excelluit, vt a Baronio in Annalibus Eccleſiaſticis Dux verbi ſit appellatus. Demum a Clemente Octauo, primùm Archiepiſcopus Auenionenſis creatus, ac deinde ad Cardinalatus dignitatem euectus, annis iam grauior, cùm Patres inſtanter rogaſſet, vt ſibi liceret ad eos reuerti, & in Congregatione extremos dies traducere, aſſentientibus cunctis, non multo poſt, anno ſcilicet Chriſti mille-

ſimo ſexcenteſimo octauo, atque ætatis octogeſimo ſecundo & menſe octauo pijſſimè diem clauſit, & in eccleſia noſtra ſepultus quieſcit.

6 Fuit præterea inter S. Patris alumnos Conſtantius Taſſonius, Petri Bertani Cardinalis Phanenſis nepos: qui cùm rebus aulicis vſque adeo ſe deuouiſſet, vt nunquam ab ijs diuelli poſſe conſeret, Philippi tamen vſu & conſuetudine ab ijs in poſterum ita ſe abduxit, atque ad illud pietatis faſtigium conſcendit, vt nullum eſſet tam humile charitatis officium, quo libentiſſimè non fungeretur. Ter in hebdomada, & plerumque ſingulis diebus apud Confeſſarium peccata deponebat, cæleſtique cibo reficiebatur. Noſocomia, vel Xenodochia ſingulis diebus inuiſebat, nec vllum frangendæ voluntatis genus ſibi a Philippo iniunctum reſpuebat. Sacerdos verò ex obedientia factus quotidie Sacrum faciebat, adeoque diuitias, & Eccleſiaſticas dignitates declinauit, vt delatum vltrò opulentiſſimum Sacerdotium repudiauerit: qui ob eximiam vitæ probitatem a S. Carolo Mediolanum euocatus, in eius familia ad mortem vſque ſumma cùm laude perſeuerauit: ac denique ab eodem ſancto Cardinali negociorum cauſa Romam miſſus, morte ipſi a Philippo prænuntiata, in eiuſdem Philippi ſinu, vt fuſiùs ſuo loco dicemus, expirauit.

7 Ex antiquioribus itidem Philippi diſcipulis fuit Ioannes Baptiſta Modius, natione Calaber, profeſſione medicus, vir doctus ac pius, qui de aqua Tyberina optimè ſcripſit & ſuper Cãtica B. Iacoponij nonnullas adnotationes elaborauit. Hunc aliquando calculi morbo vexatum, mortique proximum Philippus inuiſit: eumque ad patientiam cohortatus, domo egrediens, viciniorem ingreſſus eccleſiam, pro eo ardentiſſimas ad Dominum preces direxit: & ad primam, quam ſanctus orando effudit lacrymam, Modius calculum exonerauit. Quapropter ſanitati reſtitutus, nõ immemor beneficij, in eius patrocinium ſe totum commiſit. Erat is ingenio mitiſſimus, & alienis miſerijs facillimè tangebatur, ad ſermones autem habendos aptiſſimus: qui in Oratorio, de quo infra dicturi ſumus, Philippo iubente, etiam tum laicus, Sanctorum

rum

rum geſta non ſine maxima audientium oblectatione, ac fructu enarrauit. Cui vita functo in eodem munere, Philippi pariter iuſſu, ſucceſſit Antonius Fuccius Tifernas, & ipſe profeſſione medicus, doctus æquè ac pius, atque vnus ex ijs ſancti Viri diſcipulis, qui vnà cum ipſo, vt mox dicemus, Indias ad propagandam Christi fidem luſtrare decreuerant.

8 Philippo addictiſſimus etiam fuit Martius Altorius Romanus; qui eius diſciplina adeo profecit, vt præ ſpiritus redundantia, Moyſis inſtar, de rebus diuinis verba vix fingere poſſet. Tanta inſuper miſericordia in pauperes, vt etiam lecti culcitram erogauerit.

9 His annumerandi ſunt Matthæus Stendardus, Pauli Quarti nepos; Bernardinus a Valle, Comenſis; Fuluius Amodeus; Iacobus Marmita; Ioannes Antonius a S.Seuerina; Ludouicus Pariſius, qui Philippo annos fermè triginta domeſticè inſeruiuit; atque alij permulti ex primarijs Italiæ familijs, qui omnes in Romana Curia ſub eius diſciplina præclarum virtutum ſpecimen præbuere.

10.11 Hos præter, alios quoque habuit, infimæ quidem conditionis alumnos, ſed probitate illuſtres. Ex quibus primus omnium ſe offert Stephanus ſutor Ariminenſis, qui militiam dudum profeſſus, graueſque gerens inimicitias, profligatiſſimam vitam traducebat. Hic igitur cùm Romam veniſſet, ad Oratorium S.Hieronymi fortè ſe contulit, ac familiaribus de rebus diuinis ſermonibus interfuit: qui reueritus auditores, poſtremus omnium conſedit. Sed Philippus, etſi eum nec nouerat, nec vnquam viderat, ipſum tamen ad ſedendum blandè alliciens ad primas ſedes deducit. Concione dimiſſa ad eum redit, ac tanta cum benignitate ipſum excipit, vt is & Dei verbo, & huiuſcemodi captus officijs, quotidie deinceps ſermonibus interfuerit: ex quorum frequentia, & Sacramentorum vſu prauas, & inueteratas animi affectiones ſenſim depoſuit, & ad virtutum ferè omnium culmen gradatim conſcendit. Fuit is ad opera miſericordiæ adeo propenſus, vt etſi pauperrimam degebat vitam, ex eo

tamen

tamen,quod per hebdomadam in conſuendis calceis lucrabatur, dempto neceſſario victu, reliquum in pauperes diſtribueret. Mortem perpetuò meditabatur, & ad eam ſic præparabat ſeſe, ac ſi eo die fuiſſet moriturus: nec tamen ex aſſidua huiuſmodi meditatione viſus eſt vnquam ſolitam vultus hilaritatem, vel animi lætitiam intermittere. Obedientiæ & orationi quàm qui maximè addictiſſimus, per quam multa & maxima a Deo beneficia promeruit: & illud præcipuè, vt in eccleſia Sanctiſſimæ Trinitatis ingenti ſplendore coruſcare viſus fuerit. Hunc vitæ curſum ab omni conſortio ſeiunctus degit in anguſta domuncula annos circiter tres & viginti, qui cùm ab amicis interdum admoneretur, ne tam ſolitarius viueret, fore ſuſpicantibus, vt nemine aduertente repentina morte periret; Beatiſſimæ Virginis patrocinio ſe confidere reſpondit, nec timere pietatis Matrem ſibi in huiuſmodi periculo defuturam. Neque ſpes illum fefellit: etenim, cùm noctu ex improuiſo in vitæ diſcrimen incidiſſet, domo egreſſus vicinos aduocans, vt ſibi præſto eſſent, Parochumque accerſerent, ad lectulum reuerſus, Sacramentis omnibus ritè munitus, ſpiritum placidiſſimè reddidit.

12.13.14 Stephano addendus eſt Franciſcus Maria, cognomento Ferrarienſis, vir ſimplex ac rectus, qui teterrimum peccatorum odorem percipiebat, & nonnunquam Angelorum concentus audiebat. Is vel Altaris Sacramento ſe muniens, (quod agebat quotidie) vel de cæleſtibus colloquens, totus ibat in lacrymas. Inſuper pro Chriſto patiendi tam cupidus, vt cùm ſemel acerrimis calculorum doloribus angeretur, Deum rogauerit, vt ſi expediret, ſibi grauiores adiungeret: quibus vix prolatis, repentè fit ſanus. Proximorum ſalutis tam auidus, vt Iudæi cuiuſdam conuerſionem poſt lacrymas triennium effuſas, a Domino tandem impetrauerit. Virum hunc vberiùs lacrymantem reperit olim Taurufius, qui cùm fletus cauſam quæreret, ille, lacrymis opprimor, inquit, Chriſti verba recogitans, Cùm hæc omnia feceritis, dicite, ſerui inutiles ſumus: nam ſi Apoſtoli tot pro Chriſto perpeſſi, ſe inutiles vocare debebant, ego

ho-

homuncio quid dixerim, qui nihil boni me vnquam peregiſſe memini? Eundem idemmet Tauruſius aliâs in oratione defixum inuenit: & quoniam is ac ſi pergrandis aliqua moles ipſi obiectaretur, ſenſim retrocedebat; quærit cur ita? At ille: Immenſam, inquit, Dei magnitudinem contemplor; quæ cùm maiorem, ac maiorem ſe mihi offerat, etiam corpore retrocedere cogor.

15 Fuit quoque Philippi diſcipulus, Thomas Siculus, qui ipſius ductu ad eum humilitatis gradum peruenit, vt ſummo ſibi honori futurum crederet, ſi Eccleſiam S.Petri in Vaticano ſcopis ex officio verrere liceret. Id quod aliquando aſſecutus, omni prorſus diligentia, ac ſedulitate munus ſuum explebat. Interdiu nunquam è templo diſcedebat: noctu verò in alicuius altaris ſuppedaneo proiectus leuem carpebat ſomnum: qui cùm in hoc officij munere obeundo plures tranſegiſſet annos, dæmon perſeuerantis animi conſtantiam non ferens timorem incutit, vt eo terrore perfuſus ab incepto deſiſtat. Idcirco dum nocte ſecurus quieſcit, ſpiritus nequam tantum ex improuiſo in templo fragorem excitat, vt Dei ſeruo omnia ſedilia ſurſum efferri, & mox ad terram collidi viderentur. Ad hæc experrectus, illicò ſurgens, accenſo cereo perluſtrat ædem, & nihil prorſus loco dimotum reperit: at dum magis, magiſque abditos Eccleſiæ receſſus inueſtigat, ne alicubi fortè fur deliteſceret, dæmonem mauri fœdiſſima ſpecie poſt columnam latitantem videt: cui Thomas impauidus occurrens manum attollit, vt alapam impingat, ſed ſuperbię pater pudore confuſus euanuit: Siculus verò imperterritus ad locum redit, ac placidiſſimè ſomno indulget.

16 Floruit etiam inter Philippi alumnos Frater Ludouicus Spoletanus, non ea ratione id nomen adeptus, quòd Religionis ordinem ingreſſus eſſet, ſed quòd in honorem Sancti Franciſci cinericium gerebat habitum. Is, vt ſumma laborabat rerum inopia, ſic etiam pretioſiſſimarum virtutum opibus, & puritate in primis affluebat: ob quam præcipuè Philippus curæ puellarum S.Catharinæ de Roſa ipſum præfecit. A quo munere cùm ille certis de cauſis diſcedere optaret;

nun-

nunquam a beato Viro, qui eius caſtimoniam perſpectam habebat, abeundi facultatem obtinuit.

17.18. Aſcribendus eſt etiam Philippi diſcipulorum numero Petrus cognomento Molinarius, vir, qui ex profuſa lacrymarum copia oculorum aciem amiſerat, quam poſtea a Deo optimo maximo mirabiliter recuperaſſe ferunt. Alios quamplurimos illuſtres in Chriſto filiolos Philippus habuit, qui non vulgari ſanctitatis fama obierunt: ex quibus nonnullos, breuitati conſulentes, conſultò omittimus: alios, cùm tulerit occaſio, ſuis locis interſeremus.

Fidei propagandæ ſtudium. Cap. XII.

CVm igitur, vt diximus, Beati Parentis alumni de rebus diuinis in eius cubiculo quotidie inter ſe conferrent, ibique interdum legerentur epiſtolę, quæ ad Patres Societatis Ieſu quotannis ab Indijs tranſmitti ſolebant; Philippus ſecum reputans quanta ſeſe explicaret meſſis; & quàm pauci in ijs partibus verſarentur operarij; ſtatuit (modò noſſet id Domino gratum fore) in Indias proficiſci: ibique pro viribus Chriſtianam propagare fidem, nec non, ſi opus eſſet, pro Chriſti nomine ſanguinem effundere.

2 Aperit quibuſdam ſibi coniunctiſſimis, numero ferè viginti, inter quos erat Tauruſius, animi ſui conſilium; atque ex ijs quoſdam, vt Presbyteratus ordinem ſuſcipiant, hortatur, non alia ex cauſa, niſi vt Sacerdotio inſigniti, Apoſtolica impetrata benedictione, iter ad Indias aggrederentur. Attamen, quippe qui nihil vnquam graue ſine conſilio, oratione, ac temporis beneficio moliri, vel decernere audebat, prolixioribus adhibitis precibus, monachum Ordinis S. Benedicti, qui tunc in Cœnobio Sancti Pauli extra Vrbem morabatur, conuenit: eumque vtpote litteris, & morum probitate pollentem conſuluit. Verùm is Philippum ad alterum tranſmiſit monachum Ordinis Ciſtercienſium, qui eo tempore præe-

rat

rat Monaſterio SS. Martyrum Vincentij & Anaſtaſij ad aquas Saluias, nomine Auguſtinum Ghettinum.

3 Inſignis erat vir iſto tum litteris, tum vitæ ſanctimonia, & a parentibus, antequam ex vtero matris in lucem erumperet, Religioni addictus, & conſecratus. Solebant enim pij genitores, peccata ritè confeſſi, & Chriſti corpore refecti, Deo naſcituram prolem, quotieſcunque contingeret, deuouere. Spiritu etiam prophetiæ clarus erat, & S. Ioannem Euangeliſtam vnicè colebat: cuius beneficio plurima ſe gratiarum dona aſſecutum eſſe profitebatur: ita vt morti proximus liberè dixerit: Meus S. Ioannes (ſic illum appellabat) ſuo die feſto è vita diſceſſurum certiorem me fecit. Et quidem Natalitijs Domini Sacrum faciens, ab Euangeliſta admonitus, quòd poſtridie moriturus eſſet, peracto Sacrificio in lectulum ſe recepit, & ſacramentali Extrema vnctione delibutus, poſtero die ſpiritum efflat.

4 Tanto igitur viro enarrat Philippus, quod mente conceperat, rogatque, vt pro rei momento conſilium det. Diſtulit ille rem, & vt reſponſum maturiùs reddat, reuerti iubet. Cùm ergo Philippus ad dictam diem redijſſet, monachus in hæc verba reſpondit, nimirùm apparuiſſe ſibi S. Ioannē Euāgeliſtā aperteque renunciaſſe, Indias eius Romę futuras, ibique Deum ad multorum ſalutem ipſius operam deſtinaſſe. Addiditque aquas Saluias a ſe viſas eſſe ſanguineo colore conſperſas: quæ ipſo Euangeliſta interprete, magnam Vrbi calamitatem portendebant. His verbis penitus acquieſcens Philippus, in eo hæſit propoſito, vt Romæ degens, ſe totum dum viueret, in proximorum ſalute prouehenda, curandaque traderet, & conſecraret.

5 Non tamen in eo deferbuit vnquam vehemens illa Fidei propagandæ cupiditas: quod enim apud Indos ei non licuit, pro viribus in Vrbe præſtare enitebatur. Cum itaque Iudæus, vel hæreticus, ſeu quiuis infidelis occurreret, tanto ſalutis illius flagrabat deſiderio, vt ad primum aſpectum erumpentes lacrymas cohibere non poſſet. Quare ad ipſorum conuerſionem promouendam nihil penitus prætermittebat.

Iter

6 Iter quondam faciebat ad Baſilicam S.Ioannis in Laterano vnà cum Proſpero Cribellio, alumno ſibi chariſſimo, quibus acceſſit comes Iudęus. Illis autem templum ingredientibus atque ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti piè in genua procumbentibus, Hebræus tecto capite, humeriſque ad Altare conuerſis ſtetit. Cui Philippus: Amice, quæſo te, vt ſic mecum pauliſper ores: Chriſte ſi tu verus es Deus, largire, vt Chriſtianam fidem amplectar. Abſit, inquit Iudæus, fidem enim meam in examen reuocarem. Tum Philippus, ijs qui aderant: Orate, inquit, pro viro, nam Chriſti fidem haud dubiè amplectetur. Nec abſuit a dicto veritas: etenim paulo poſt Iudæus & Philippi precibus, alijſque ſpiritualibus auxilijs ſuffultus, Baptiſmi lauacro ablutus Chriſti militiæ nomen adſcripſit.

7 Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli peruigilio, cùm Marcellus Ferrius, & ipſe Philippi alumnus in duos adoleſcentulos Hebræos in porticu Vaticanæ Eccleſiæ incurriſſet, blandè illos affatus, cœpit (nec temerè) vtile, ac pium tum de fide, tum de Apoſtolorum illorum gloria, qui Hebræi extiterant, ſermonem inijcere: quo longius ducto ſenſim, ac leniter ſuaſit, vt Philippum, qui ædes S. Hieronymi id temporis inhabitabat, vt primum commodè poſſent, inuiſerent. Morem geſſere adoleſcentuli: & perhumaniter a S.Parente ſuſcepti, eius affabilitate, comitateque deuincti, erga illum adeo ſunt affecti, vt ipſum certo quoquo dierum ſpatio per aliquot menſes adirent. Verùm paulo poſt, illis amplius non accedentibus, Philippus Marcellum accerſit, iubetque, vt adoleſcentulos eo vſque diligenter perquirat, donec reperiat. Qui ad illorum domicilium ſe confert, matremque interrogat: Num filij bellè valeant? Illa, alterum ex his periculoſiſſimo morbo decumbere ſubijcit. Inſtat ipſe, ſibi aditum ad ægrotantem permitti: cui mulier (ſic diſponente Deo) aditum præbet. Cubiculum igitur ingreſſus iacentem in mortis diſcrimine conſtitutum reperit: & quoniam morbus omnem ei appetentiam ademerat, reſpuebat cibos, Marcellum mulier deprecatur, vt ſua ipſe manu ado-

le-

leſcenti cibum porrigat,num fortè ab ipſius manu admitteret. Porrigit Marcellus, atque adoleſcens quicquid ab eo offertur, libenter accipit. Marcellus ergo, occaſione ſibi data, iſtæc ad aures ægrotantis ſuſurrat: Philippus ſalutem tibi plurimam impertitur. Ad hæc æger admodum recreatus arriſit. Tum Marcellus: Memineris te Chriſti fidem amplexurum Philippo pollicitum eſſe: Probè teneo, ait ille, & quidem promiſſis ſtabo. Marcellus rem totam ad ſanctum Parentem defert, qui lætitia ingenti repletus, ne dubites, ait, precibus incumbemus, & pro certo habeas, quòd Chriſto aggregabitur. Conualuit ægrotus, atque vnà cum fratre Baptiſmum ſuſcepit.

8 Traduxit etiam Philippus ad Chriſti fidem Hebræorum quendam doctiſſimum: qui in Baſilica S. Petri ſacris Baptiſmalibus initiatus fuit. Verùm quia ipſius pater adhuc Hebræus frequentiùs, quàm par erat cum filio, Chriſto nuper renato, familiariter agebat, Gregorius Decimus tertius, qui tum Pontificatum gerebat, veritus, ne iugi parentis conſuetudine nouus Chriſti miles aliquid detrimenti acciperet, Philippo indicat huiuſmodi commercium non ſibi ſatis probari. Cui vir ſanctus ſubintulit, ſe hac de cauſa patris conſuetudinem permiſiſſe, quòd filij conſortio ipſum quoque Chriſto nomen daturum confideret. Nec ſpes Philippum deluſit: etenim cum ſemel filius parentem ad Philippum adduceret, is tanto charitatis ardore, ac verborum vi de recta in Deum fide verba fecit, vt eius ſermonibus accenſus, breui & ipſe Baptiſmo ablutus, fidelium numero ſe aggregauerit.

9 Poſt annos aliquot, cùm nimirum Philippus ex ædibus S. Hieronymi in Vallicellam demigrauerat, hic idem quatuor ex fratre nepotes, parente orbatos, a Iudæorum gente ſegregandos curauit, vt ſacris myſterijs imbutos facilè ad Chriſti fidem perduceret: eoſque pius patruus Philippo cõmendat: quos ille more ſuo blandè humaniterque ſuſcepit, ſed de fide nullam tum mentionem fecit. Multis poſtmodum interlapſis diebus ipſos rogat, vt velint Deum Abrahæ, Iſaac, & Iacob interpellare, vt eorum mentes veritatis luce colluſtrare dignetur:

tur: ſpondetque ſe proximo adueniente die in Miſſæ ſacrificio vim Deo facturum. Dum ergo adoleſcentes cohortationibus, atque argumentis a patribus diu concuſſi, inconcuſſi perſiſterent, animaduerſum fuit, eo prorſus tempore, quo Philippus Miſſam celebrabat, illos ad ſuſcipiendam Chriſti fidem aures aperuiſſe: quamobrem, qui aderant, quæ pridie verba Philippus protulerat, ſe videlicet velle vim Deo inferre, in memoriam reuocarunt.

10 Interea dum pueri noſtris in ædibus verſabantur, vt prima fidei rudimenta perdiſcerent, ex ijs vnus in febrim incidit, atque adeo ſexta die morbus exaſperatus eſt, vt Patres veriti, ne adoleſcentulus mortem oppeteret, de impartiendo ei Baptiſmate deliberarint. Sed cùm Philippus ſub veſperum iacentem inuiſeret, eius frontem, ac pectus leui manu permulcens, ait: Ex hoc morbo fili nolim decedas: iactarent enim Hebræi, tibi a Chriſtianis mortem illatam. Cras igitur ante prandium mittas, qui reuocet in mentem, vt in peragendo Sacro pro tua valetudine Chriſtum exorem. Quibus auditis e noſtris Petrus Conſolinus (fuit is diſcipulus ille, quem diligebat Philippus) adoleſcentulum ſic alloquitur: E morbo iam fili conualeſces: etenim probus hic ſenex plures talibus apud Deum fuſis precibus ſanitati reſtituit. Ea nocte ægrotans grauiſſimè laborauit: & medicus, qui eius gerebat curam, patruum admonuit, vt ſi viuum nepotem videre cupiat, quamprimum aduolet. Verùm imminente iam hora, qua Chriſti famulus Sacrum facturus erat, Conſolinus iuuenem interrogat, an velit, vt ex condicto Philippum moneat. Aſſenſit æger. Rem miram! vix ſanctus Sacrificium perfecerat, cùm adoleſcens planè ſanus exurgit, lectoque inſidet. Mox cùm acceſſiſſet patruus, nepotem a febri penitus liberum reperit. A prandio verò cùm de more medicus rediens, arterias exploraſſet, Crucis ſigno per ſummam admirationem edito, exclamat: Medicos domi habetis, externoſque exquiritis? Sub veſperum Philippus adoleſcentem reuiſit, adijcitque: Perieras quidem fili: ſed ne mater obitus tui cauſam in nos deriuaret, valetudinem tibi a Domino precibus impetraui.

traui. Cùm igitur adoleſcens ſanitati redditus eſſet, poſt duos menſes tum ipſe tum fratres in feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ, non ſine ingenti ſancti Senis lætitia, a Clemente Octauo Pontifice Maximo in Baſilica Lateranenſi Baptiſmum ſuſceperunt.

11 Sed quoniam ipſi matris ſalutem ex animo deſiderabant, tandiu apud Superiores inſtiterunt, quouſque illam apud primariæ nobilitatis fœminam ſegregari obtinuerunt. Ipſis interea quidnam de matre Philippus ſperaret interrogantibus, Senex optimus: Nunc, inquit, ipſa Chriſti fidem nequaquam amplectetur; nec vobis id nunc expedit; opportuniori autem tempore id fiet, tum vobis, tum ipſi magis profuturo. Nec dicto fides abfuit: quandoquidem poſt annos circiter ſex ipſa, atque alij ad viginti quatuor ſacro Baptiſmatis fonte renati ſunt.

12 Complures etiam hæreticos, quorum nomina de induſtria prætermittimus, ad Eccleſiæ gremium reuocauit. Silentio tamen prætereundum non eſt, quonam pacto quidam cognomento Palæologus, eius opera hæreſim abiurauerit. Detinebatur is vti hæreſiarcha apud ſacræ Inquiſitionis Officium; & quoniam tentatis omnibus in ſua obfirmatus perſiſtebat hæreſi, flammis addictus fuerat. Dum igitur ad ſupplicium deducitur, Philippus, qui in ædibus S. Hieronymi per id tempus agebat, re comperta confeſtim per viam a peregrino dictam peruolans, Palæologo occurrit, atque inter confluentem turbam prolapſus, ſatellitum cuneos intrepidus penetrat, reumque amplectitur, ac peramanter admonet, vt reſipiſcat. Cumque ad patibuli locum iam ventum eſſet, Philippus ea præcipiendi auctoritate, quam eo momento contulerat ei Deus, miniſtros conſiſtere iubet: obtemperant. Interim Philippus verbis, etſi paucis, vim tamen diuinitùs inferentibus, ad veritatis agnitionem hæreticum perduxit, eumque iubet ſcamnum conſcendere, & publicè hæreſim execrare, qui circumſpectante populo impiè dicta pijſſimè abiurauit, atque proſcripſit. Obtinet deinde Philippus, vt reus in carcerem reducatur; vbi vt faciliùs pœnitentis cor

demulceat, præter id, quod ſingulis diebus ſacræ Inquiſitionis adminiſtratores ad victum ſuppeditabant, a Gregorio Decimo tertio ampliſſimam illi eleemoſynam erogandam curauit, & ne a piè ſuſcepto propoſito recederet, eum ferè quotidie inuiſebat; ac de ijs dumtaxat, quæ ad pietatem pertinent, cum illo agebat: quem, vt ad ſuperbiæ tumorem infringendum, comprimendumque iuuaret, quo fermè peccato irretiri ſolent hæreſis labe inquinati, Beatorum Ioannis Columbini, & Iacoponij geſta perlegenda obtulit, aſſerens hoc genus hominum faciliùs reſipiſcere ſanctorum exemplis, morumque ſimplicitate, quàm rerum ſubtilitate, & diſputationibus: quamobrem idem Palæologus dolebat plurimum in Philippum iam pridem non incurriſſe, eumque non habuiſſe amicum. Attamen diutius in bonæ mentis propoſito non perſtitit: quod Philippus his ferè verbis præſagierat: Haud mihi vndequaque placuit viri huius conuerſio. Suis tamen precibus, ac lacrymis a Deo obtinuit, vt ipſum rurſus ad pœnitentiam reduceret. Verùm tanquam r lapſus, non ſine veræ contritionis argumento, demum capite mulctatus eſt. Cui Philippi iuſſu ſuam operam porrexere Cæſar Baronius, & Ioannes Franciſcus Bordinus, vt in extremo illo mortis confinio eius animum in fide confirmarent.

Baronio ſcribendorum Annalium prouinciam mandat. Cap. XIII.

TAm vehemens fidei propagandæ zelus haud intra Romæ limites ſe continuit, ſed longè, lateque ad Chriſtiani orbis remotiſſimas oras ſe diffudit. Siquidem animaduertens in nonnullis regionibus, quæ ad ſeptentrionem pertinent, Catholicæ fidei aduerſarios indies magis nouas peſtes euomere, tantam animarum ruinam commiſeratus, eas ex aduerſo oppugnare decreuit. Singulari igitur Spiritus ſancti impulſu in Oratorio, de quo inferiùs acturi ſumus inſtituit, vt ex alumnis vnus, quoties e ſuggeſto de diuinis

ſermonem habiturus eſſet, ſuo ordine ab incarnato Verbo hiſtoriam Eccleſiaſticam reſeraret, eo conſilio, vt vniuerſalis Eccleſiæ exordium, veritas, & progreſſus in lucem produ-cerentur, atque hæreticorum artibus, fraudibuſque patefactis, non tam facilè rudiores in errorem induci, & doctiores excuſationem prætexere nullam poſſent.

2 Ad hanc prouinciam delegit Philippus Cæſarem Baronium Soranum, Iuris vtriuſque doctorem, virum & ſacra Hiſtoria celebrem, & vitæ probitate inſignem, qui adhuc priuatus adeò profuſæ erat in pauperes liberalitatis, vt veſtes, & omnem ſupellectilem vſque ad argenteam thecam maximi pretij, ſibique apprimè charam, ad ipſos ſubleuandos erogarit: ab honoribus verò ſic abhorrens, vt doctoratus priuilegium ob vnum ſuimet contemptum dilacerarit. Huic igitur viro ſanctus Pater iniunxit, vt Eccleſiaſticam hiſtoriam in Oratorio ſæpius repetitam, & ab eodem bene in ordinem digeſtam tandem in lucem ederet. Quod opus ex obedientia ſuſceptum poſt multos labores, diuturnaſque vigilias omnibus numeris abſolutiſſimum feliciter in lucem prodijt.

3.4.5 Quòd ſane tantum, atquè admirandum opus Philippo magis, quàm Baronio ſit adſcribendum, ipſe Cardinalis in præfatione ad Tomum octauum poſteris teſtatum reliquit: quam, vt veritas illuſtriùs niteat, eiuſdem verbis ad calcem apponemus. Accedit, quod ipſe Philippus paulo antequam e vita decederet, Baronio ad ſe accerſito, ait: Tibi de te ipſo humiliter ſentias, ô Cæſar: etenim quæ ſcripſiſti, non tuæ ſunt operæ ac laboris, ſed diuinæ liberalitatis donum; cumque iterum, atque iterum idem ipſe repeteret: ita Pater, reſpondebat Baronius, quicquid enim in eis eſt, tuis poſt Deum precibus acceptum refero.

6. Id inſuper confirmatur cæleſti viſu, quod ſe illi obiecit non longè antequam hiſtoriam Eccleſiaſticam conſcribendam aggrederetur. Quandoquidem cùm primùm cœpit in Oratorio ad populum dicere, ferè ſemper mortis, & inferorum minas in auditores intonare conſueuerat. Quod cùm diutius praſtitiſſet, Philippus diuino ſpiritu illuſtratus,

præuidens fore, vt ſi dicendi argumentum commutaſſet, vberiori cum fructu & ſuo, & aliorum dixiſſet; cohortatus eſt virum, vt miſſis mortis, & inferni terroribus ad hiſtoriam Eccleſiaſticam enarrandam ſe conferret. Tum haud ſanè contradixit Baronius: ſed cùm propter contrariam naturæ propenſionem adhortamenta negligeret, Philippus pro imperio iubet, quantocyus impoſitum munus exequatur. Duriora viſa ſunt Baronio Philippi imperia; cumque hinc obedientiæ virtus vrgeret, hinc naturæ repugnantia deterreret, in maximis anguſtijs verſabatur. Sed pius Dominus, vt animi æſtum compeſceret, ſuum ipſi hoc modo conſilium patefecit.

7.8 Certa quadam nocte cùm ſomnum teneret, viſum eſt Baronio ſe cum Honuphrio Panuino, qui etiam Eccleſiaſticam hiſtoriam proſequebatur, differere; cui animo valde anxius, quæ Philippus præceperat inſinuans, rogat, vt tantum opus abſoluere non recuſet. Dumque rationes cumulat, vt id amicò ſuadeat, en Philippi vocem repentè audit: Cede iam ò Cæſar, cede, neque diutius obſiſtas: quandoquidem hiſtoria Eccleſiaſtica tibi, non Panuino ſcribenda eſt. Hæc inter expertectus Baronius, atque exinde Dei voluntate percepta, confeſtim in animum induxit, vt Annales Eccleſiaſticos in Oratorio percurreret: quos cùm a Chriſto nato ad ſua prope tempora ſemel produxiſſet, Philippus ei præcepit, vt iterum atque iterum eos ab initio ad finem repeteret. Atque ita triginta annorum ſpatio, ſicut in relata præfatione teſtatur, ſepties antequam primum Tomum typis mandaret, totam a principio hiſtoriam in concionibus percenſuit: ac deníque opus vniuerſum in duodecim Tomos diſtributum edidit: qui propterea de Eccleſia optimè meritus a Clemente Octauo Pontifice Maximo ad Purpuræ amplitudinem euectus fuit: quam dignitatem ſe inuitum ac reluctantem admiſiſſe, ibidem pluribus teſtatum reliquit, præterquam quod tres olim Epiſcopatus opulentiſſimos recuſaſſe exploratum eſt. Denique ſtudiorum aſſiduitate, atque inualetudine longa confectus, cùm in Tuſculano degens, ſibi mortem

tem imminere ſentiret, Romam, inquit, petamus: non enim decet Cardinalem mori in agro. In Vrbem ergo lectica vectus, ingraueſcente morbo, anno a Virginis partu milleſimo ſexcenteſimo octauo, ætatis autem ſexageſimo nono, quem numerum multis in librorum ſuorum paginis calamo præſignatum expreſſerat, pridie Kalendas Iulij, in domo noſtris ædibus coniuncta, non longè diſtante a Sacello S. Philippi, præſentibus Congregationis Patribus, Deo animam piiſſimè reddidit, atque in eccleſia noſtra ingenti populi concurſu ſepulcro traditus eſt.

9 Eandem ob cauſam, ad refellendam videlicet pertinaciam hæreticorum cultum Sanctorum ineptiſſimè reſpuentium, Philippus eidem Baronio præceperat, vt Martyrologio Romano adnotationes adijceret. Et hac pariter de cauſa Thomas Bozzius Eugubinus, & Antonius Gallonius Romanus, ambo Congregationis noſtræ presbyteri, ille de ſignis Eccleſiæ Dei, hic autem de geſtis Sanctorum non ſine maxima vtilitate, ac laude pulcherrima ſcripta ediderunt.

Oratorij initia. Cap. XIV.

CVm ergo Philippus in alliciendis ad ſalutem animabus operam Romæ collocare decreuiſſet, ac pœnitentium numerus indies magis augeretur, nec locus, etſi amplus confluentes caperet, anno quinquageſimo octauo ſupra milleſimum quingenteſimum a Deputatis Archiconfraternitatis S. Hieronymi illud obtinuit eccleſiæ ſpatium, quod a cornu Euangelij ſuper templi fornicem ſitum conſpicitur: ibique Oratorium inſtruxit, quò colloquiorum Inſtitutum e cubiculo tranſtulit.

2 Extat adhuc Oratorium iſtud, ornatiùs tamen, atque elegantiùs inſtructum: vbi venerabiles eius loci Presbyteri & orationem quotidie frequentant, & diebus feſtis maximo cum animarum fructu ſacra verba facere conſueuerunt.

3 Huc igitur Phippus vnà cum ſuis quotidie tempore

pomeridiano ad ſpiritales collationes habendas accedebat: quibus peractis, diebus profeſtis eos ad apricum aliquem Vrbis, vel ſuburbis locum, feſtiuis verò modò ad hanc, modò ad illam eccleſiam deducebat. Atque hinc & verbi Dei quotidianum pabulum, & familiare ad populum dicendi genus a ſancto Parente noſtro inſtitutum dimanauit.

4 Ceterùm hæc Oratorij naſcentis exordia nemo melius nobis deſcripſerit, quàm qui omnia perſpexit, ac fuſiùs deſcripſit *Baronius*. Ipſe namque in primo Annalium tomo, cùm de ſacris agit comitijs, de quibus meminit Apoſtolus ad Corinthios, Diuino planè conſilio factum eſt, inquit, vt noſtra ætate, ante annos triginta, ad eiuſmodi Apoſtolici conuentus formam, magna ex parte, ac ea potiſſimùm, quæ ad audientium ædificationem ex rerum diuinarum ſermonibus comparata, ad profectum Eccleſiæ peragi mandauit Apoſtolus, in Vrbe fuerint inſtituta, opera in primis R. P. Philippi Nerij Florentini, qui tanquam ſapiens Architectus poſuit fundamentum, & eius in Chriſto alumni R. P. Franciſci Mariæ Tauruſij Politiani, qui in his videbatur eſſe dux verbi. Horum igitur ſtudio & induſtria inſtitutum primitus fuit, vt per ſingulos fermè dies, qui ardentiori ſtudio Chriſtianam vitam excolerent, ad Oratorium S. Hieronymi conuenirent (ex eo namque & noſtro Collegio nomen eſt inditum, vt Oratorij Congregatio diceretur) vbi hoc ordine religioſus haberetur conuentus: præmiſſaque in primis, ſilentio facto, precatione, ex fratribus aliquis lectionem auſpicaretur ad permouendos animos ad pietatem accommodatam. Inter legendum etiam idem qui præeſſet Pater, ſolitus eſſet interloqui, ac eadem quæ dicta eſſent, accuratiùs explicando, ampliando, & ardentiori ſtudio in audientium corda inſinuando, interdum etiam aliquorum ex fratribus quid de aliqua re ſentirent, rogando ſententiam, in modum ferè dialogi ſermonem ad horæ ſpatium magna audiẽtium alacritate perduceret. Eiuſdem iuſſu poſtea ſuggeſtum gradibus ſublimiorem conſcenderet ex fratribus aliquis, qui ex vitis Sanctorum probatis, atque receptis, diuinaque Scriptura ac SS. Patrum ſententijs abſque

fuco

fuco vel pigmentis intextam orationem haberet. Qui huic ſuccederet, eodem planè dicendi genere, ſed diuerſo argumento ſermonem diceret. Demum tertius his accederet, qui hiſtorias Eccleſiaſticas ordine temporum diſpoſitas enarraret. Quibus dimidiæ horæ ſpatio ſingulis ad dicendum conceſſo, mira audientium auctoritate pariter & voluptate perfunctis, cantato hymno, ac repetitis iterum precibus, iam conuentus abſolueretur. Rebus igitur in hunc modum diſpoſitis, atque Romani Pontificis auctoritate firmatis, viſa eſt pulchra illa conuentus Apoſtolici facies pro ratione temporum reddi: cui adgaudentes probi omnes, complures ex ipſis inde mutuati exemplum, alijs in locis eadem pietatis officia inſtituere, ac propagare conati ſunt. Hactenus Baronius: ex quo planè conſtat Oratorij noſtri initium atque origo.

5 Ad has autem quotidianas exercitationes, alias adiunxit Vir ſanctus feſtis diebus peragendas. Primò ſuos ritè confeſſos monebat, vt antequam Miſſæ ſacrificio intereſſent, orationi vacarent, ac poſtmodum ſacro Chriſti corpore reficerentur. Deinde eoſdem ſeiunctim ad diuerſa Noſocomia mittebat: alios nimirùm ad hoſpitalem domum S. Ioannis in Laterano, alios ad Sanctæ Mariæ de Conſolatione, & alios ad Sancti Spiritus in Saxia: vbi pro ſuis quiſque viribus & verbo, & manu ægrotantibus opem ferebat. Ex ijs tamen aliquot, qui maiori virtutis ſectandæ ſtudio feruebant, numero circiter triginta, vel quadraginta, eximio ſpectantium exemplo, ad pium hoc charitatis officium exercendum quotidie ſe conferebant.

6 Præterea ex ijſdem pariter aliquot ſingulis ferè ſabbatis, & dierum ſolemnium peruigilijs Philippum veſpere conueniebant, quos ipſe noctu ex ædibus S. Hieronymi ad eccleſias, vel S. Mariæ ſupra Mineruam, vel S. Bonauenturæ ad montem Quirinalem (ibi namque tunc temporis Capucinorum familia inhabitabat) ſecum deducebat: vbi vnà cum fratribus in choro matutinis precibus intererant, noctéque totam orando, ac meditando exigebant, vt deinde manè ſanctiſſimum Chriſti corpus maiori pietatis guſtu, ac delectatione perciperent

rent. Quorum numerus adeo nonnunquam augebatur, vt Regularium choros ſecularibus, laiciſque viris refertos ſæpiſſime vidiſſes. Quin etiam Philippus per multos iam annos ſingulis ferè noctibus ad prædictas ſe cõferre eccleſias conſueuerat: cui ex condicto, dato ſigno, ianitor aperiebat; imò Dominicani, vt pro arbitrio ingredi poſſet, Monaſterij claues vltro conceſſerant.

7 Verùm hiſce pietatis operibus non contentus, vt ſuos inſuper ab omni peccandi occaſione auocaret, iuueneſque præſertim, ſolitus fuit certis anni temporibus, id eſt, Bacchanalium, & poſt Reſurrectionis dominicæ feſtum vnà cum illis ſeptem Vrbis eccleſias inuiſere, quamuis hodie Bacchanalibus dumtaxat diebus eaſdem inuiſendi apud Oratorij fratres ferat conſuetudo. Ibant initiò perpauci quidem, hoc eſt, vigintiquinque, vel ad ſummum triginta: ſed breui adeo auctus eſt numerus, vt etiam Philippo viuente duo hominum millia non rarò confluxerint. Omnes cuiuſcunque eſſent conditionis, fœminis exceptis, admittebantur. Concurrebant Regulares viri quamplurimi, & præſertim ex Capucinorum, & Dominicanorum familijs, ex quibus interdum totus tyronum cœtus conuolabat.

8 Sacri itineris obeundi mos hic erat: Præſtituta die omnes ſummo manè ad eccleſiam Sancti Petri in Vaticano, & ad Baſilicam Sancti Pauli extra muros gregatim, vel ſeorſum ſe conferebant, vbi collecto agmine ad reliquas eccleſias progrediebantur. Dum pergerent, temporis partem in præſcripti cuiuſdam diuinorum myſteriorum thematis contemplatione inſumebant (erat multitudo in claſſes diſtributa, quarum ſingulis præficiebatur ſacerdos) reliquum verò temporis, ductis cantoribus, in hymnis, pſalmis, canticis ſpiritualibus, & litanijs concinendis tranſigebant. Si quid verò diei ſupereſſet, de diuinis colloquia intermiſcebant.

9 In ſingulis eccleſijs, prædictis duabus exceptis, breuis ad populum habebatur ſermo vel à ſuis, vel ab exteris. Cùm verò ad S.Sebaſtiani, vel S.Stephani templum peruenissent, Miſſa ſolemni ritu celebrabatur: vbi ferè omnes cæ-

leſti

leſti cibo reficiebantur. Inde vel ad hortos Maximorum, vel Creſcentiorum, nec non interdum ad hortos Matthæios in monte Cælio digrediebantur (hodie tamen ad hortos dumtaxat Matthæios, dominis ex benignitate annuentibus, diuertunt) Quo in loco ſingulis ex ordine conſidentibus panis, ac vini quantum ſatis eſſet, menſa apponebatur, addito ouo, caſei fruſtulo, & pomo. Inter prandendum cantores inducebantur, qui muſicis etiam inſtrumentis ſacrum aliquid concinebant: remotis deinde menſis ad reliquas pergebant eccleſias; ac denique maxima cum ſpiritus exultatione domum ſe quiſque recipiebat.

10 Sacris huiuſmodi itineribus obeundis Philippus ipſe præerat, tantoque hac in re ſe labore obterebat, vt interdum nimia corporis laſſitudine fractus in febrim incideret, etſi vltimis vitæ ſuæ annis tum ob ſenium, tum quia res ſatis bellè inſtituta erat, ad alia pietatis opera peragenda domi conſiſtebat.

11 Quàm Deo gratum, acceptumque id pium opus extiterit, etſi apertis fortaſse miraculis conſpicuum non eſt, nonnullis tamen diuinis argumentis videtur pulcherrimè cõprobatum. Ibat aliquando Philippus Bacchanalibus diebus, vti mos erat, vnà cum ſuis ad prædictas eccleſias; cumq; viam iniret, quæ à D. Pauli templo ad S. Sebaſtiani ædes excurrit, tanta extemplò coorta eſt tempeſtas, vt omnes fugam arripere cogitarint; verùm Philippus: State, inquit, confidite, etenim certiſſimè polliceor nemini, qui mecum iter fuerit proſecutus, quicquam moleſtiæ ab imminenti pluuia illatum iri. Alij fidem præſtiterunt, alij verò ſecus. Dictis conſenſit exitus: eos enim; qui à Philippo non receſſerunt, ne gutta quidem aſperſit: in ceteros autem, qui in fugam ſe dederunt, effuſiſſimus imber vndequaque irruit.

12 Has adeo pias conſuetudines ab optimo parente piiſſimè introductas multi tum auctoritate, tum doctrina lectiſſimi viri & voce & ſcriptis dilaudarunt: quos inter Ioannes Rubeus in ſuo, quem Philippo dicauit, libello, his ferè verborum præconijs huiuſmodi Inſtituta celebrauit:

Inter

13 Inter cetera omnia (inquit ſanctum alloquens virum) verè admiranda, quæ ſuperiori anno (is enim fuit milleſimus quingenteſimus ſexageſimus octauus) Romæ conſpexi. Periucundum in primis fuit videre ab ingenti piorum hominum multitudine Oratorium S. Hieronymi à Charitate frequentari: quod quidem dum attentiùs meditarer, omnium antiquarum rerum, quæ in Vrbe ſunt, hanc longè pulcherrimam, ac pręſtantiſſimam iudicaui. Eoque magis obſtupui, ſimulque gauiſus ſum, quòd viderem nobiliſſimos, ac diuerſarum nationum viros ſumma alacritate excipere Dei verbum, quod à te tam purè, tamque ſincerè adminiſtratur. Ex quo accidit, vt penè innumeri mundo ſe abdicantes Chriſto inſeruire deliberent, prout hodie in Vrbe planè conſpicitur: vbi diuerſis Religioſorum clauſtris, pijſque congregationibus addicti, in ſancta viuendi ratione conſtantiſſimè perſeuerant. Hactenus Rubeus.

Florentinorum Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcipit. *Cap. XV.*

DVm ſeriò perpendunt ex Florentinis primarij vberrimum, quē ex prędictis exercitationibus fructum cōplures perciperent, & quanta pariter prudētia, & induſtria Philippus moderaretur ſuos, curarunt pro viribus, vt is ſuæ ipſorum S. Ioannis eccleſiæ regimen, curamque ſuſciperet. Quam ob cauſam anno Salutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto mittunt ſuæ nationis viros, qui omnium nomine Philippum rogent, vt huiuſmodi velit onus amplecti, & ædes ad habitandum, & omnia, quæ opus eſſent, vltrò offerant. Quibus reſpondit Philippus, ſibi de hoc recogitandum, preceſque ad Deum fundendas omnino eſſe: quòd ſi noſſet ita ferre Dei voluntatem, ſe illorum votis protinus aſſenſurum. Paucis igitur lapſis diebus, Florentinis redeuntibus perſpicuè mentem aperuit, nullo ſe modo committere poſſe, vt ab ædibus S. Hieronymi, vbi tandiu moratus

fuerat,

fuerat, diſcederet. Reſponſo accepto eiuſmodi Bernardinus Cyrillus tum præceptor domus hoſpitalis ſancti Spiritus in Saxia, Ioannes Baptiſta Altouitus, & Petrus Antonius Bandinus, quibus cura fuerat demandata, Pium Quartum Summum Pontificem adeunt, rogantque, vt ſuam in ea re auctoritatem adhibeat; quem cùm ad optatum inflexiſſent, ad Philippum redeunt, atque exponunt Summi Pontificis mentem eſſe, vt ipſorum eccleſiam omnino adminiſtrandam ſuſcipiat. Quapropter Philippus inſigni animi demiſſione Chriſti in terris Vicarij ea qua par erat reuerentia impoſitam ſibi prouinciam ſubijt: ea tamen conditione propoſita, ne ab ædibus S. Hieronymi diſcedere cogeretur, quod ſanè libentiſſimè conceſſum fuit.

2 Interea tres è ſuis ſacris initiari præcepit, quorum primus fuit Cæſar Baronius, de quo ſupra ſatis diximus, alter Ioannes Franciſcus Bordinus Romanus in dicendo eloquens, qui à Clemente Octauo primùm Cauallicentium Epiſcopus, poſtmodum Archiepiſcopus Auenionenſis creatus eſt; tertius verò Alexander Fidelius à Ripa Tranſona, vir maximæ puritatis, & integritatis. Hos igitur Philippus in ædes Florentinorum traduxit, & aliquot alios ad parochiæ curam deſtinauit: ad quos etiam Germanicus Fidelius adoleſcens tunc temporis ſexdecim annorum, ac memorati Alexandri nepos ſe contulit.

3 Haud longè poſt horum numero ſe adiecerunt Franciſcus Maria Tauruſius, & Angelus Vellius Præneſtinus, qui puriſſimis moribus, ac planè Angelicis ornatus tertius à Philippo Congregationi præfuit; atq; annos natus octoginta quinque poſt viſam dilectiſſimi parentis Apotheoſeos pompam, quarto Idus Decembris in pace quieuit.

4 Viri itaque optimi ingenti ſpiritus feruore vineam Domini excolere cęperunt. Summo namque mane ab ædibus S. Ioannis ad templum S. Hieronymi, vt peccata confiterentur, quotidie adibant: à prandio eò redibant ad ſermones ſacros vel audiendos, vel habendos: veſpere itidem ad conſuetā orationem illuc reuertebantur, nunquam vſitatas

tas exercitationes intermittentes, quantumuis licet æſtus, aut hyems, venti, aut pluuiæ obſiſterent. Quod attinet ad res domeſticas, per aliquot annos ipſimet ſua quiſque hebdomada rem coquinariam adminiſtrabant; idque tam ex animo, tantaque cum alacritate, vt Baronius in camini fronte inſcriptum reliquerit: Cæſar Baronius Cocus perpetuus. factumque eſt, vt ſæpenumerò viri nobiles, literisque præditi eum linteolo præcinctum patinas, ollasque lauantem reperirent. Lectionem ad menſam adhibebant, quæ ad duas prandij, vel cœnæ partes trahebatur. Lectio erat ex ſacris Biblijs, & pij cuiuſdam auctoris; qua finita ab vno eorum per orbem proponebatur quæſtio, vel ad mores, vel ex poſitiua Theologia petita. Lectores ad menſam per id tempus fuere, Germanicus Fidelius, & Octauius Parauicinus, eiuſdem ætatis adoleſcentes: quorum vltimus ob præclara merita à Clemēte Octauo ad Purpuram euectus eſt. Sabbato cuiuſque hebdomadæ eccleſiæ pauimentum ipſimet verrebant. Diebus feſtis alij ad confeſſiones excipiendas, alij ad diuinum epulum impertiendum incumbebant. Celebrabatur etiam Miſſa ſolemni ritu, qua perfuncta Baronius, & Bordinus alternis vicibus concionem è ſuggeſto habebant, Florentinis id efflagitantibus, ac Philippo conniuente. Veſpertinæ quoque Eccleſiæ preces hora ſolita decantabantur, quibus expletis beatum Parentem ſiue ad eccleſiam S. Mariæ ſupra Mineruam, ſiue ad templum S. Mariæ ad Martyres, vel aliò, prout ille indixiſſet, conueniebant: ibique propoſito tum à Philippo, tum ab alijs pio quodam argumento, vel themate, modò hic modò ille ad eiuſdem ſancti Parentis nutum reſpondebant; atq; ita in diuinis colloquijs tempus ſumma religione tranſigebant.

5 Hinc poſt primum Dominicæ Reſurrectionis diem originem conſuetudo traxit eundi ad eam Ianiculi partem, vbi ſitum eſt Monaſterium S. Honuphrij, locum & ſitu apricum, & ſubiacentis Vrbis conſpectu periucundum: quanquam inualeſcente poſtmodum æſtatis calore ad ſelectam quandam eccleſiam intra mœnia, ad huiuſmodi exercitatio-

tiones peragendas ſe conferant. Quibus in locis, muſico præmiſſo concentu, puerulus ſacram oratiunculam ad auditorum coronam è memoria repetit: & continuò duo ex Oratorij presbyteris, muſicis modulationibus interpoſitis, perbreues & ipſi conciones ad populum habent. Verùm hyemis tempore, hoc eſt, a Kalendis Nouembris vſque ad feſtum Paſchatis, ſub veſperum in Oratorio paruo poſt mentalem orationem, & Litanias, atque antiphonam B. Virginis decantatas, puerulus, vt ſupra, piam hortatiunculam recitat: ac deinde, ab vno tantum ex noſtris ad ſemihoræ ſpacium habetur ſermo, ante & poſt modulatione adhibita.

6 Illam eundi ter in die cõſuetudinem ab ædibus S. Ioannis ad eccleſiam S. Hieronymi, primi illi Patres decem ipſos annos tenuerunt. Quæ quidem omnia libuit hoc in loco ſigillatim recenſere, vt ſciant poſteri, quanta cum ſanctimonia, atque humilitate viri illi & litteris, & generis nobilitate inſignes, qui ſcilicet ad primarias ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dignitates prouehi meruerunt, Chriſto inſeruierint.

7 Tranſacto decennio, cùm a Florentinis optimè compertum fuiſſet, quot & quanta Sacerdotes illi ſuſtinerent incommoda, a Philippo petierunt, vt quæ in Oratorio S. Hieronymi functiones agebantur, eas ad Oratorium ſancti Ioannis transferri pateretur. Annuit ille. Itaque Chriſti anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto, decimo ſeptimo Kalendas Maias in Oratorio S. Ioannis ob id in ampliorem formam redacto, cœperunt Patres conſuetos de diuinis familiari illo dicendi ſtylo habere ſermones. Quapropter Dei ſeruus Iuuenalis Ancina, Congregationis Oratorij poſtea preſbyter, atque exinde Salutiarum Epiſcopus (de quo Sanctorum catalogo adijciendo auctoritate Apoſtolica acta confecta ſunt, cuiuſque vitæ ſeriem, ac virtutum geſta ſuperioribus annis conſcripſimus) ad prædictas functiones ſæpe ſæpius ſe conferens, Philippi ſanctimonia, atque inſtituto captus, in quadam epiſtola ad Ioannem Matthæum fratrem Foſſani tum commorantem, hæc habet:

8 Aliquot abhinc diebus (erat hic Salutis annus milleſimus

mus quingenteſimus ſeptuageſimus ſextus) Oratorium ſancti Ioannis Florentinorum frequens adire ſolitus ſum: vbi quotidie a quatuor, vel quinque ex ijs ſaluberrimi quidem de vitijs, & virtutibus, vel de hiſtoria Eccleſiaſtica, ſeu Sanctorum geſtis ſermones habentur. Conueniunt illuc nobiles, illuſtresque viri, Præſules, Epiſcopi, &c. ſermonibus verò peractis ad recreandum parumper audientium animos, muſicalem concentum ſubnectunt. Præteritis diebus geſta S. Franciſci, & ſancti Antonij de Padua clarè admodum, & apertè enarrarunt. et re vera maximum in Domino ſolatium ex huiuſmodi hiſtoriarum explanationibus auditores percipiunt. Equidem vehementer doleo, quòd anno ſuperiori tam vtiles exercitationes ad aures noſtras non peruenerint. Porrò qui ad populum verba faciunt, viri lectiſſimi ſunt, in ſacris ordinibus conſtituti, & virtute, ac pietate ſpectabiles. Horum namque dux eſt, & moderator Sacerdos quidam venerabilis, Philippus nomine, iam ſexagenarius, ſed multis nominibus admirabilis, & præſertim vitæ ſanctitate, & prudentia, necnon ſingulari dexteritate in pijs exercitationibus indagandis, promouendisque. Ipſe enim auctor eſſe perhibetur præclariſſimi illius operis, quod proximo præterito anno Iubilei tanta cum pietate, & charitate exerceri conſpeximus apud eccleſiam Sanctiſſimæ Trinitatis, cui a peregrinis nomen eſt inditum: atque huic inſuper viro plurimum tribuunt patres, Toletus, & Poſſeuinus, alijque permulti. Tandem ad illum tanquam ad oraculum plurimi ſe conferunt, non ex Vrbe ſolùm, & ex Italia, ſed etiam ex Gallijs, & Hiſpanijs, alijsq; prouincijs valde remotis. hactenus Iuuenalis. Ex quibus colligi poteſt, quanta etiam tunc temporis exiſtimatione Oratorij Inſtitutum floreret.

Varijs modis ad patientiam exercetur. Cap XVI.

ATqui, vt rem altiùs repetamus, piæ eiuſmodi exercitationes, quæ apud omnes amorem potiùs, ac beneuolentiam conciliare debuerant, in perditis quibuſdam inuidiæ, & calumniarum fomitem miniſtrarunt. Initio etenim dum in eius cubiculo ſingulis a prandio diebus de cæleſtibus collationes haberentur, atque ipſe ad confeſſiones excipiendas totus incumberet, cœperunt multi liuore ſuffuſi in huiuſmodi opera clam muſſitare, deinde quicquid in buccam veniſſet, palam obloquendo effutire. Horum antesignanus fuit Vincentius Teccoſius a Fabriano, qui rem medicã profitebatur, ex quatuor Deputatis, vnus, qui loco præerant: cui ſe duo addidere apoſtatæ, qui ibidem ſub habitu clericali incogniti morabantur. Hi ergo ſuggerente Teccoſio omnem lapidem mouent, vt Philippum inde expellant. Etenim cùm æedituorum munus exercerent, vbi primum ad ſacrarium ipſum accedentem conſpicerent, occluſis repentè foribus, excludere, ſacerdotalia illi denegare indumenta, vel dilacerata obijcere; quandoque verò calicem, ſeu Miſſale è manibus eripere, vel clam recondere; aliâs, vt ſacras indutus veſtes exueret, vel ab vno ad aliud altare iret, rediret, imperare; ac ſæpe ad celebrandum vix è limine egreſſum, ſtatim ad ſacrarium reuocare, eo conſilio, vt hiſce tandem laceſſitus iniurijs a ſancti Hieronymi ædibus ſponte diſcederet.

2 Has omnes contumelias Chriſti famulus diſſimulabat, ſeque cum ijs tum verbis, tum rebus perhumaniter gerens, pro eorum ſalute conſequenda aſſiduè Deum deprecabatur: quamobrem a ſuis nõ ſemel rogatus, vt ſe è loco ſubduceret, haud equidem committam, reſpõdebat, ne crucem ſubterfugere videar, quam mihi Dominus hoc in loco deſtinauit. Interim cùm pro viribus niteretur illorum peruicaciam delinire, quò ille mitiorem ſe præbebat, eò peruicaciores illi euadebant. Cùm itaque animaduerteret, ſe nihil proficere, ad

eum

eum confugit, qui ſeruis ſuis omni humano auxilio deſtitutis diuinitus opitulatur. Aliquādo igitur cùm ſacrum de more faceret, oculis in Chriſti crucifixi imaginem conuerſis, his planè verbis illum cōpellat: Cur me, ò bone Ieſu, cur me non audis? tandiù, tamque enixè patientiæ virtutem efflagitaui, cur quæſo precibus meis non indulſiſti? Vocem extemplò intus ſe alloquentem inaudit: Nonne patientiæ virtutem efflagitaſti? Te quidem illam conſecuturum eſſe ſcias, ſed per iniurias, & contumelias. Hoc igitur confirmatus oraculo, cœpit deinceps æquiùs ac libentiùs conuicia perferre: ita vt priùs illi defatigarentur contumelias inferendo, quàm ille perferendo fatiſceret. Idque ex hoc aſſecutus eſt, vt exinde improperijs laceſſitus, vel offenſam rideret, vel offendentem a culpa eximere conaretur.

3 Duo effluxerant anni cùm die quodam alter ex apoſtatis Philippum aggreſſus, cœpit tot, tantisque eum conuicijs impetere, tantaque animi ſæuitia in ipſum inuehi, vt alter, qui aderat, Dei ſeruum commiſeratus, eo impetu in ſocium proſiliret, vt faucibus manu compreſſis, ni Philippus obſtitiſſet, hominem præfocaſſet. Quapropter ſecum reputans, quàm impiè in eum ſe geſſerat, votorum memor, quæ olim in Religione emiſerat, rem totam ex ordine ſeruo Dei enarrat: atque eius hortatu ad regularem diſciplinam ſe retulit, & Philippi ſanctitatem in poſterum vbique celebrabat.

4 Vincentius verò Teccoſius & ipſe Philippi tolerantia fractus, victusque coram multis veniam expoſtulauit, ac Dei ſeruo totum ſe tradidit; cumque ſibi in confeſſarium deligens, adeo illi adhæſit, vt nullum ferè diem prætermitteret, quin ipſum familiariter inuiſeret.

5 Non ideo tamen omnia in Philippum extincta ſunt odia, ſopitæque calumniæ: imo maioribus ab improbis in poſterum eſt appetitus. Arguebant enim, quòd ad ſeptem Vrbis eccleſias nimia conſtipatus hominum caterua incederet, idque ad ſuperbiam vertentes, aiebant nōn eſſe hominis mundi faſtum contemnentis, tanta populi multitudine

con-

congregata totius Vrbis oculos ad ſe conuertere. Alij verò conſiderantes duntaxat pecuniæ vim, quæ in cibos erogabatur, nec perſonarum numerum attendentes, rem totam potationibus, & gulæ tribuebant. Qui autem acrioris erant ingenij, publicæ tranquillitatis prætexru rem damnabant, quòd tanta perſonarum turba non leuis daretur anſa diſſenſionibus, & tumultibus cōcitandis. Philippo hæc ſingula renūciabantur, qui cuncta ſine vlla animi perturbatione ferebat.

6.7 Huius porrò rei quotidie magis increbeſcebat rumor, adeo vt ad Vrbis Vicarium tandem peruenerit, qui maleuolorum ſermonibus permotus, Philippum accerſiri iubet; quem accedentem acriùs obiurgat: Non te pudet, inquit, hominem, qui mundi contemptum profiteris, vt auram popularem colligas, tanta ſtipatum turba per Vrbem incedere, tibique hiſce quaſi retibus Eccleſiæ dignitates aucupari? Cumque ſimilibus verbis aſperiùs illum increpuiſſet, præcipit, vt quindecim dies a confeſſionibus audiendis abſtineat, & non niſi obtenta licentia Oratorij exercitationes proſequatur, neque vllo pacto hominū coetus ſecum ducat; & niſi obtemperet, carcerem comminatur: quin inſuper loco diſcedere non permiſit, niſi prius iudicio ſiſtendi cautionem præſtitiſſet: cui placido ſerenoque vultu Philippus reſpondit, ſe quemadmodum ſingulis rebus a ſe inſtitutis ad Dei gloriam exordium dediſſet, ita pariter ſe ad eiuſdem Dei gloriam a ſingulis deſiſtere paratum eſſe; ſemperque futurum, vt Superiorū monita proprijs votis anteponeret; neque alia de cauſa hunc eccleſias inuiſendi morem a ſe inductum fuiſſe, niſi vt ſuos a peccandi periculis, quæ inter Bacchanalia occurrere ſolent, auocaret. Ad hæc Vicarius: Tu iſtæc omnia non ad Dei gloriam, ſed vt ſectam tibi conſtituas, operaris. Tum Philippus Crucifixi imaginem, quæ in eo loco propoſita erat, intentis oculis intuens: Tū ſcis Domine, ait, num vt ſectam mihi conſtituam, id agam: atque his dictis abſceſſit. Verùm qui obedientiæ virtutem, præſertim erga Superiores plurimi ſemper fecit, alumnis ſtatim vetuit, ne deinceps ad ſe conuenire auderent.

8 Interea dum vir ſanctus ſe Deo ex animo commendat, dumq; complures, etiam religioſos viros, enixè precatur, vt orationibus pro hac re inſiſtant; die quodam ecce tibi extemplò ſacerdos aſpera indutus veſte, funeque præcinctus, neque ante, neque poſt illum diem de facie vnquam notus, vel viſus, qui ait: Mittor ad vos, vt ſolemni horarum quadraginta ſupplicatione ſanctiſſimum Chriſti corpus adorandum populo exponatis: hoc enim tutelari præſidio perſecutiones penitus euaneſcent; ita namque quibuſdam Dei ſeruis de cælo oſtenſum eſt. Inde ad Franciſcum Mariam Taruſium propiùs accedens in aures ipſius hæc verba inſuſurrat: Futurum profectò eſt, vt vexatio quàm citiſſimè dilabatur, opuſque inceptum firmiùs reddatur;& qui nunc oppugnant, propugnent; & ſi quis diutiùs obſiſtere auſus fuerit, citò Deo vindice pœnas luet:qui verò Præſul nunc infenſiſſimus eſt,intra quindecim dies haud dubiè morietur: atque his dictis è conſpectu euanuit. Res prout prædixerat, ad amuſſim euenit: quandoquidem Præſul (erat enim Papæ Vicarius) cauſam ad Summum Pontificem non æquo animo deferens, repentina morte interijt: quod Philippus intelligens, hominis obitum commiſeratus, nec verbum quidem grauius contra ipſius exiſtimationem a ſuis proferri paſſus eſt vnquam.

9 Oportuit tamen Chriſti ſeruum omnia, quæ ſibi obiecta fuerant, apud Superiores diluere non alio, quàm innocentiæ clypeo munitum. Inſtantiùs ergo diuinis ſe precibus exercens, ſuos frequenter ita compellabat: Nequaquam propter vos orta eſt hæc tempeſtas, ſed propter me: vt hoc ſanè pacto humilitatis, & obedientiæ virtutibus erudiar: cùm enim ex his deſideratum a Deo fructum percepero, inſectationes procul dubio finem habebunt.

10 Ceterùm cùm Summus Pontifex Paulus Quartus rem totam, prout acciderat, proprijs auribus accepiſſet,Philippi innocentia optimè comperta, in beneuolentiæ argumentum duos ad eum cereos deferendos curauit, ex ijs nempè, qui in die Purificationis B. Virginis in Pontificio Sacello ardere conſueuerunt; eique renunciari iubet, non ſolùm

ſeptem

ſeptem Vrbis eccleſias viſitandi, ſed omnes alias Inſtituti functiones exercendi ſe illi omnimodam concedere facultatem; ſibique acerbum eſſe, ſpiritualibus hiſce exercitationibus intereſſe non poſſe. His auditis ingenti gaudio perfuſi ſunt Alumni,& paucis poſt diebus vnà cum Beato Parente ſeptem de more eccleſias obire cœperunt, immenſam Dei bonitatem collaudantes, quòd iam ea procella diſcuſſa ſingulas Oratorij functiones liberè exercere liceret.

11 Hac extincta perſecutionis flamma, altera rurſus planè ſæuior contra Inſtitutum excitata eſt: etenim nonnulli obtenta ſpecie pietatis, ac religionis, Pio Quinto ſanctæ memoriæ retulerunt, eos qui apud ædes ſancti Hieronymi conciones haberent, ſæpenumero vel leuia dicere, vel etiam non ſatis probata narrare; quod maximam vel imprudentiam, vel ignorantiam arguebat, nec non mediocre auditoribus detrimentum poterat afferre.

12 Ad hæc Pius, vti paſtor bonus, ac peruigil, duobus ex Dominicana familia Theologis ſeorſim euocatis, vtriſque mandat, vt ad eccleſiam ſancti Hieronymi ſe conferant, & quæ dicantur vel fiant, diligenter expendant,& ſi quid contra fidem,vel bonos mores offendant,ad ſe deferant.

13 Interea dum viri religioſi Pontificis mandatum diligenter curant, ipſe Pontifex Alexandro Medici, qui tunc pro magno Etruriæ Duce Oratoris munere fungebatur, ſibi relatum indicat, imprudenter quidem, vel non ſanè cautè Patribus, qui in D. Hieronymi templo concionarentur, aliqua excidiſſe: ac præſertim enarratum fuiſſe ex S. Apolloniæ geſtis, vltrò ſe in ignem conieciſſe, non addito, quòd præcipuo Spiritus ſancti impulſu id egerit. Alexander ergo à Pontifice dimiſſus ad eccleſiam S. Mariæ ſupra Mineruam concionem auditurus ſe contulit: vbi fit ei obuiam Germanicus Fidelius, de quo ſupra meminimus,qui Philippi nomine eum rogat, vt quamprimum ad illum venire ne dedignetur: quandoquidem ipſum alloqui omnino opus habebat, daretque veniam valetudini: etenim altero pede laborans lecto ſe mouere non poterat. A prandio igitur Alexander ad Philip-

pum pergit, ſed priùs de induſtria concionibus intereſt; cùm ecce inter alios, qui dicere conſueuerant, apparet Franciſcus Maria Taurũſius, qui actionem S. Apolloniæ enarrandam aggrediens, eam debita cum cautela quampulcherrimè explicat: & quos cum Alexandro difficultatum nodos Pontifex contulerat, maxima facilitate diſſoluit. Concionibus expletis Orator ad B. virum accedit, quem Philippus illico interrogat, quid manè de rebus Oratorij Pontifex ſecum egiſſet. Ille ſtupore defixus, quonam pacto res innotuerit, ſingula ingenuè faſſus eſt.

14 Viri autem illi religioſi, quos ab ipſo Pontifice miſſos ad Oratorium diximus, cùm per aliquod tempus omnia, quæ in Oratorio fierent, accuratiſſimè obſeruaſſent, ad Pontificem referunt, ſe nihil audiuiſſe, quod non eſſet cum ſumma pietate, ac doctrina coniunctum. Gauiſus eſt ſummopere Pontifex, quod ſuis maximè temporibus Romæ eſſent viri, qui Dei verbum quotidie populo tam proficuè diſſeminarent. Atque exinde cum Philippus, tum alumni in tanta apud Pontificem exiſtimatione fuerunt; vt Cardinali Alexandrino nepoti ad Hiſpaniæ, Galliæ, & Luſitaniæ Reges legato proficiſcenti Taurũſium comitem dederit, eumque de omnibus, quæ pertractanda erant, ex ordine erudierit.

15 Porrò Patres illi Dominicani eo in poſterum erga Inſtitutum fuerunt animo, vt per multos annos ſingulis ferè diebus ſermonibus interfuerint, necnon ſæpiſſime ipſimet familiares conciones ibidem habuerint. Id quod aliorum quoque Ordinum Concionatores præclari ſubinde facere conſueuerunt.

Congregatio Oratorij erigitur. Cap. XVII.

CEterum etſi Philippus, quippe qui de ſe demiſsè admodum ſemper ſenſerat, nunquam, vt ipſe aiebat, de Congregatione inſtituendâ cogitaſſet; enixè tamen rogatus à ſuis, in hoc tandem aliquando acquieuit. Quapropter ipſi conſultò ad huiuſmodi opus ſtabiliendum maximi in-

intereſſe arbitrati ſunt, ſi propriam ſibi ſedem compararent, vbi Congregationis fundamenta ponere, eiuſdemque leges, atque inſtituta liberè poſſent exercere.

2 Dum ergo vir Dei rem ſibi propoſitam altiùs perpendit, duæ inter alias illi proponuntur eccleſiæ, valde ad Inſtitutum accõmodæ, id eſt, ſanctæ Mariæ in Monticellis, & ſanctæ Mariæ in Vallicella. Sed quoniam Philippus ancipiti cogitatione diſtractus vtram ſibi deligeret ignorabat, ratus eſt in tanti momenti negotio, præcipue verò vt diuinam exploraret voluntatem, rem deferendam ad Summum Pontificem Gregorium eius nominis decimumtertium, vt ipſemet quid agendum eſſet, ſtatueret. Qui Vallicellanam eccleſiam, vtpote in loco & frequentiori, & magis ad functiones idoneo, eligendam perſuaſit. Igitur Philippus ſatis iam explorata diuina voluntate confeſtim dat operam, vt Vallicellam obtineat, procuratione huius rei Tauruſio iniuncta, qui non modò eccleſiam, verùm quæcunque Patres habuerant in votis, a Summo Pontifice quàmfacillimè obtinuit. Itaque Chriſti famulus Apoſtolica fultus auctoritate apud Vallicellam Congregationem Presbyterorum ſecularium inſtituit, quam Oratorij voluit nuncupari: obtenta inſuper facultate conſtitutiones, ac decreta condendi, hac tamen conditione, vt poſt certum tempus a Sede Apoſtolica confirmarentur.

3.4 Iſtiuſmodi eccleſiæ poſſeſſionem adeptus, illi adminiſtrandæ præficit Germanicum Fidelium, & Ioannem Antonium Luccium, probatæ virtutis viros; ſed cùm templum valde angùſtum eſſet, & ruinam minari aduerterent, in meliorem formam illud redigere cogitarunt. Optabant quidem illud a fundamentis reficere, ſed cùm pecunia non ſuppeteret, ancipiti animo fluctuabant. Cùm Philippus die quodam, ſummo manè diuino afflante ſpiritu ex improuiſo iubet veterem eccleſiam funditùs euerti, nouamque in eam formam, & amplitudinem, quam hodie videmus, excitari.

5 Veteri igitur templo ſolo æquato, dum Matthæus Tifernas nobilis eius temporis architectus, noui templi latitudinem funiculo ducto deſcribit, Philippus qui tum Miſſam

apud S. Hieronymum celebraturus erat, nuncium mittit, qui architectum moneat, vt in aduentum ſuum rem integram ſeruet. Poracto ſacro ad Vallicellam ſe confert: dumq; latitudo præſcribitur, iubet funiculum vlteriùs produci. Paret Matthæus: & is iterum vlteriùs protrahi iubet. Architectus itorum obtemperat; at vir Dei adhuc anguſtum eſſe locum conſiderans, imperat & tertiò, vt vlteriùs funiculum protendat. Cùm igitur architectus perueniſſet ad locum Philippo cælitùs præmonſtratum: Hîc ſiſte, ait, hîc terram fodite. Vt effodiunt, ſolidum parietem, ac perue tuſtum ſub ruderibus latentem ab ea parte, quæ ad latus Euangelicum ſpectat, reperiunt, palmos latum decem, & vltra eccleſiæ longitudinem excurrentem: tantamq; inſuper inueniunt lapidum, laterumque congeriem, vt iaciendis fundamentis, extollendoque dextero parieti ſuffecerit. Decimo tertio igitur Calendas Octobris, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto primarium lapidem ſolemni ritu conſecratum in fundamenta iecit prænominatus Alexander Medices Florentiæ Archiepiſcopus, & S.R.E. Cardinalis, qui poſtea ad Pontificatum euectus, Leo Vndecimus eſt appellatus.

6 Opere conſurgente non defuere, qui infenſiùs aduerſarentur; etenim iniurias operarijs inferre, de noſtris detrahere; quin & baliſtis, ac lapidibus Ioannem Antonium Luccium fabricæ præfectum impetere ſæpius tentarunt: ſed heu! vlciſcente Deo ſeptem germani fratres, qui vehementius operi obſtiterunt, intra biennium omnes interiere.

7 Templo iam ferè constructo, anno nimirum ſalutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, tertio Nonas Februarij, in quem diem inciderat dominica Septuageſimæ, idem Alexander Medices ſolemni more Miſſam decantauit, & Patres cœperunt ibi diuina celebrare officia: & quo piè magis auſpicarentur initium, Summus Pontifex ijs, qui peccata confeſſi, & Euchariſtiæ Sacramento refecti vel Miſſæ ſacrificio interfuiſſent, vel ſaltem eo die eccleſiam viſitaſſent, plenariam indulgentiam conceſſit. Atque eodem

ſuper

ſuper anno, menſe Aprili, Florentinorum Oratorio dimiſſo conſuetum familiarium concionum vſum ad Vallicellam tranſtulerunt, Philippo tamen apud ædes S. Hieronymi permanente.

8 Verùm enimverò, quoniam domicilium non ſatis amplum erat, ſtatuerunt Patres quoddam coëmere Monaſterium eccleſiæ noſtræ coniunctùm: eò præſertim, quod loci moniales in aliud cœnobium a Muratis hodie nuncupatum Superiorum iuſſu tranſmigrare deberent. At Philippus futura a longè proſpiciens emptionis conſilium nullatenus probabat. Nonnulli tamen è noſtris humanæ prudentiæ ductu rem tentare ſunt aggreſſi: ſed cũ res è ſententia non ſuccederet: Nonne, inquit Philippus, frequenter dixi, Monaſterij huiuſmodi emptionem nunc noſtris rationibus non conducere? Monaſterium quidem adepturi eſtis, ſed alia qua cogitatis via. Nec a vero aberrauit: etenim vix quinque effluxerant menſes, cum Petrus Donatus Cardinalis Cæſius, qua erat animi munificentia præditus, illud, & alias adiacentes domus coëmit, quas Patribus ad habitandum dono conceſſit.

9 Quantum verò Philippus in hoc perducendo opere de Domino ſperaret, vel hinc colligi poteſt, quòd cùm nullæ ſuppeterent pecuniæ, tam grande opus aggreſſus fuerit; illique biennij ſpatio coronidem impoſuerit, id vnum cùm conſumptæ erant pecuniæ, ſæpius dictitans: Deus opem feret; & aliquando Comitiſſam Romæ primariam allocutus adiecit: Noueris Domina inter me, & Deiparam pactionem initam, me è viuis, niſi tecto eccleſiæ impoſito, non diſceſſurum. Arbitrati ſunt propterea plures, cùm nihil vnquam ab vllo peteret, ac tantam pecuniæ vim quotidie impenderet, nummos haud raro diuinitus vel auctos, vel allatos fuiſſe.

10 Qui primùm nummi in opere inchoando impenſi ſunt, ducẽtos aureos liberaliter effudit S. Carolus Borromæus; his octo millia addidit Gregorius Decimustertius: totidem legauit Petrus Donatus Cardinalis Cæſius; triginta millia, &

amplius ad conſtruendam, atque ornandam anteriorem eccleſiæ partem elargitus eſt Angelus Cæſius Epiſcopus Tudertinus prænominati Cardinalis germanus frater; præter quatuor millia, quæ in conſtructionem Præſentatæ Virginis Sacelli idem Angelus impēdit. Quatuor pariter millia impertitus eſt Federicus Cardinalis Borromæus: & pecuniam reliquam, quæ centena aureorum millia longè ſuperauit, aliunde Deus ſuppeditauit.

11 Quod verò nihil vnquam ab vllo expoſceret Philippus noſter, ab re non erit, quæ ſequuntur, attexere. Congregationis è fratribus vnus, qui fabricæ curam gerebat, Philippum aliquando ita compellat: Pater abſumpta eſt pecunia, & parietes vix ad templi coronam aſſurgunt, cui vir ſanctus: Ne dubites, filiolis enim ſuis non deerit omnipotens. Tum ille: Prædiues eſt in Vrbe vir, qui opulenti patrimonij partem maximam in pios vſus effundere conſueuit; ſi quis illi fabricæ attollendæ neceſſitatem indicaret, magnam fortaſſe ſuppeteret pecuniæ vim. Cui Philippus: Virum hūc non latet, quæ operi neceſſaria ſunt; ſi quid præſtare voluerit, ſpontè erogabit: equidem nil hactenus a quopiam poſtulaui, haud tamen quicquam defuiſſe expertus ſum: acciditque vt poſt menſes aliquot inſignis Cauſidicus obierit, qui quatuor millia aureorum, & amplius Congregationi legauit: nec diu poſt alter itidem Cauſidicus vita functus, & ipſe octo millia teſtamento reliquerit.

Philippus ad Vallicellam commigrat: Cap. XVIII.

1 REbus ſic conſtitutis, etſi Philippus Congregatio-
2 nem vniuerſam moderabatur; attamen, vt ſæpe diximus, ab ædibus S. Hieronymi diſcedere nunquam voluit: cuius rei cauſas plures afferebat; ſed inter præcipuas, ne videlicet Congregationis fundator (quod ille nomen conſtanter reſpuebat) appellaretur à ſuis. Præterea ne

cru-

crucem illam, quam ſibi Deus eo in loco amantiſſimè obtulerat, ſubterfugere videretur; ac demum cùm tres & triginta annos ibidem exegiſſet, tam diutinæ perſeuerantiæ fructum non amitteret.

3.4 Atqui cùm Patres perpenderent, quanti intereſſet corpori adhærere caput, noſſentque irritos fore conatus omnes, quibus Philippum a propoſito dimouere tentaſſent, ad Cardinalem Petrum Donatum Cæſium confugiunt, eumque rogant, vt rem ad Pontificem deferat, & quod ipſi neque per ſe, neque per alios obtinere potuerant, per Pontificis auctoritatem obtineant. Rem magno ſtudio ſuſcepit Cæſius; ac Pontifici (erat enim Gregorius XIII.) deſiderium Patrum exponit: qui annuens, confeſtim eidem Cardinali præcipit, vt ſuo ipſius nomine Philippum ad Vallicellam ſe transferre iubeat. Quod vbi primùm Philippus Pontificis mandatum inaudijt, illico ſubmiſſo capite, non eſſe cunctandum exiſtimans, quamcitiſſimè obtemperauit. Anno itaque ſalutis milleſimo quingenteſimo octogeſimo tertio, decimo Kalendas Decembris, recurrente natali die S. Cæciliæ Virginis, & Martyris, incredibili ſuorum gaudio ab ædibus S. Hieronymi ad Vallicellam cōmigrauit, ſed etſi vir ſanctus ſedem mutauit, veterem tamen illam viuendi rationem, quam ſibi in ædibus S. Hieronymi præclarè inſtituit, ſemper retinuit. Quāobrem quò faciliùs cæleſtium rerum contemplationi vacaret, cubiculum in altiori, ac ſecretiori parte ædium noſtrarum ſibi delegit.

5 Quo verò die ad Vallicellam perrexit, vt ſe, ſuosque in conſueta edomandi animi palæſtra exerceret, eos iuſſit ſupellectilem omnem per viam ex ordine incedentes vel humeris, vel manu ad Vallicellam publicè aſportare. Adeo tamen in reliquam vitam erga ædes S. Hieronymi animo affectus remanſit, vt cellulæ ſuæ claues apud ſe perpetuò retinere voluerit: & ad eam viſendam ſæpius vel ipſe ibat, vel aliquot è ſuis mittebat, vt hoc pacto veteris habitationis memoria recrearetur.

Con-

Congregationis Inſtitutum. Cap. XIX.

1 VBi igitur Philippus ad ſuos ſe recepit, ſummo totius Congregationis conſenſu Præpoſitus eligitur: quod ille munus cùm inuitus ſuſcepiſſet, cupiens exemplo docere, quidnam ſe è viuis erepto obſeruandum optaret, Præpoſitum videlicet tertio quolibet anno vel eligendum, vel confirmandum, hanc ipſe legem primus ſubire decreuit. Quod cum iam ſemel peractum eſſet, arbitrantes ſui alium ab eo Superiorem habere ſibi non conducere, Philippum ab hac regula eximendum putarunt. Quamobrem Chriſti anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo ſeptimo, decimotertio Kalendas Iulias illum Patres perpetuum Congregationis Præpoſitum crearunt.

2 Hoc ille ſuſcepto munere edixit, vt omnes, qui ſuæ vellent Congregationi nomen dare, ſecularium clericorum ſtatum, conditionemque omnino retinerent; neque vllo ſe vnquam voto, vel iuramento obſtringerent: ſubdens, ſi quiſpiam altioris vitæ genus profiteri vellet, non deeſſe Regularium coetus, in quibus pia deſideria complere cumulatiſſimè poſſet: Oratorij autem Congregationi ſufficere, ſi in ea degentes ſolo mutuæ charitatis nexu Chriſto inſeruirent, ibique ſuæ, ac proximorum ſaluti proſpicientes, ad ſtudium orationis, diuini verbi pabulum adminiſtrādum atque ad promouendum Sacramentorum frequentiorem vſum pro virili incumberent.

3 Nonnullas prætereа Patrum conſenſu, conſultisque viris tum dignitate, tum rerum peritia conſpicuis, ac præſertim Hieronymo Cardinali à Ruuere, viro ijs temporibus peritiſſimo, Conſtitutiones edidit: quæ poſtea per annos triginta, & amplius vſu probatæ maturiùſque diſcuſſæ, demum a Paulo Quinto Pontifice Maximo literis Apoſtolicis confirmatæ fuerunt.

4 Verùm quia de Congregationis Inſtituto plenè in dictis Conſtitutionibus agitur, hîc ſatis erit lectorem præmonere,

nerè, ſapientiſſimum rerum omnium Opificem in Vrbe Roma per ſeruum ſuum Philippum, nouum quendam, ac peculiarem Verbi Dei enunciandi excitaſſe modum, hoc eſt, popularem, & quotidianum. Cùm enim tum apud ædes S. Hieronymi, tum apud Oratorium Florentinorum experimento comperiſſet, quantum emolumenti ex hoc familiari concionandi genere auditoribus proueniret; ſtatim atque ad Vallicellam ſe contulit, ſtatutum voluit, vt quolibet operario die, ſabbato excepto, ſpirituali lectione præmiſſa, ſermones quatuor ad ſemihoræ ſpatium haberentur: quibus abſolutis muſicus ſubſequeretur concentus, & concio dimitteretur.

5 Quatuor hiſce conciunculis ipſemet per multos annos quotidie interfuit, quod & alij ex Congregatione presbyteri, & alumni præſtitere: quin eo tempore, quo in ædibus S. Hieronymi Oratorium habebatur, non ſolùm intereſſe, verùm etiam quotidie ſermones ipſemet habere ſolitus fuit.

6 Eos verò, qui ad huiuſmodi munus admittebantur, voluit a ſubtilium rerum quæſtionibus, & ſcholaſticarum in primis abſtinere; ac themata proponere popularia, ad cuiuſcunque captum facillimè accomodata. Quapropter ipſorum alijs Sanctorum vitas enarrandas, quibuſdam Eccleſiaſticam hiſtoriam proſequendam, & nonnullis S. Gregorij dialogos recenſendos aſſignauit, hoc vnum ſingulis admonitionis loco præſcribens, vt ſtylo facili, & candido virtutum amorem, vitiorumque odium in auditorum animis excitarent. Optabat etiam, vt animarum vtilitati conſulentes, ſelectum aliquod exemplum ferè ſemper ſubtexerent. Quod ſi aliquando audijſſet proponi argumenta nimis difficilia, vel eos nimis comptè, ornatèque dicere, vtpote qui non tantùm auctoritatem, verùm etiam apud ſuos retinebat imperium, vt mox è ſuggeſto deſcenderent, imperabat.

7 Atque ne ab hoc vulgari propemodum, vel humili dicendi genere aliquando deflecterent, ijs haud multum ſtudijs literarum inſiſtere permittebat: quandoquidem Baronium Annalium opus præ manibus habentem, vt rebus communibus ſtudia anteponeret, paſſus eſt nunquam. Non tamen

men literas omninò abijci volebat, ſed earum rerum lectioni, quæ Inſtituto Congregationis congruerent, potiùs inhæreri; dicere ſolitus, Dei ſeruo ſcientijs quidem nauandam operam, ſed oſtentationem vndequaque fugiendam; ſubdens, diuinarum Scripturarum cognitionem oratione magis, quàm ſtudiorum laboribus comparandam.

8 Porrò ad quotidianos ſermones ſtudium orationis adiunxit. Singulis igitur diebus Oratorij fores aperiri iuſſit, quod omnibus cuiuſque conditionis hominibus, fœminis exceptis, vltrò pateret: ibique orationem, quam mentalem vocant, ad ſemihoram protrahi, atque ita litanijs, & nonnullis alijs precibus recitatis, de quibus in Conſtitutionibus fuſiùs agitur, Oratorium dimitti. Ferijs autem, ſecunda, quarta, & ſexta in dominicæ paſſionis memoriam ſe funiculis cæderent, ſuo tamen quiſque arbitrio, præſcripſit.

9.10 Quòd verò attinet ad Sacramentorum frequentiam, a Sacerdotibus Congregationis ſacrum quotidie peragi cupiebat: quamuis aliquando nonnullis probandæ, exercendæque virtutis gratia, ſingulis celebrare diebus non ſemel vetuerit. Eoſdem inter celebrandum, ne adſtantibus tędio eſſent, hortabatur, vt breuitati potius, quàm prolixitati ſtuderent, ſpatio tamen temporis tantæ rei debito ſemper dato. Si quis verò eorum inter celebrandum diuino ſe ſpiritu vehementiùs afflari ſentiret, præmonebat dicerent: Non hîc te Domine, non hîc, ſed te mihi in cubiculo reſeruatum velim. Qui verò Sacerdotij ordine inſigniti non eſſent, eos ter minimùm in hebdomada peccatorum confeſſionem frequentare, eoſdemq; ſacro Chriſti corpore refici ex Confeſſarij conſilio exoptabat: ſingulos demum Confeſſarios, vt ſingulis diebus feſtis, quarta inſuper, & ſexta feria publicè in eccleſia confeſſionibus excipiendis aſſiſterent, admonebat: ferijs verò reliquis ex ijs ſaltem vnum adeſſe deſiderabat.

11 Quod ſpectat ad res domeſticas, medium quendam gradum a ſuis retinendum cenſuit, nec quippiam ſingulare admitti. Inter comedendum præter lectionem conſuetam, quæ parum vltra dimidium menſæ protrahitur; reliquum

tem-

tempus per vices & manè, & veſperi; in duabus quæſtionibus proponendis, vel ad mores, vel ex Sacris Biblijs, vel ex poſitiuæ Theologiæ theſibus deſumptis impendi conſtituit; iiſque per orbem pro ſuo cuiuſque ſenſu, modeſtè tamen & paucis reſponderi voluit.

12 Hæc ſunt, quæ præcipuè Philippus in Congregatione decreuit: quod Inſtituti genus in multas deinde tum Italiæ, tum aliarum prouinciarum vrbes propagatum eſt. Hanc tamen vir ſanctus ſententiam conſtantiſſimè tenuit, vt vnaquæque domus noſtræ inſtar erecta ipſa ſe regat, & moderetur, locorumque Ordinarijs ſubiaceat; neque Romanæ vllatenus cenſeatur Cõgregationi annexa. Qua de re duo Summorum Pontificum Pauli Quinti, & Gregorij Decimiquinti diplomata extant.

13 Ceterùm in ſuorum augendo numero haud nimium ambitioſè ſe habuit. Cùm enim maximæ expectationis iuuenes, atque ingenio præſtantiſſimi ad eum quotidie confluerent, illos tamen vel vt ad varios ſe conferrent Regularium cœtus, vel in ſeculo permanerent, hortabatur; prout eorum ſaluti conducere magis noſſet, vix vllum vnquam verbis, vel ſuaſionibus ad Inſtitutum ſuum allicere ſolitus. Quapropter ſi ſui omnes è Congregatione abire voluiſſent, animum non deſpondebat, ſæpe illud repetens: Haudquaquam hominum indiget Deus; ſuſcitat enim de lapidibus filios Abrahæ. Nec vnquam ægrè tulit, ſi qui non abſimile a Congregationis ſuæ Inſtituto opus attentaſſent: quandoquidem vni aliquando ſibi ſignificanti, Regulares quoſdam quotidie familiariter concionandi morem ſuis in eccleſijs introduxiſſe, ideoque omninò obſiſtendum; reſpondit vir ſapiens: Et quis det, vt omnis prophetet?

14 De reliquo Congregationem ſuam magna ſemper cum prudentia & conſilio eſt moderatus, talemque ſe geſſit, vt ſuos perpetuo charitatis vinculo, & pari concordiæ nexu obſtrictos retinuerit, aſſerens ſupra quàm credi poſſit, difficilè eſſe inter homines, alioquin liberos iugem diutius ſeruare concordiam: quod nil facilius, quàm ſeruata in agen-

do benignitas, atque in imperando parcitas præſtare ſolet. Non ideo tamen, dum vrgebat neceſſitas, remiſſum, ac mollem ſe vnquam præbuit in imperando: nam ſuorum aliquos vnico dumtaxat oculorum nutu quocunque vellet dirigebat: illudque ipſi ſolemne erat, quotieſcunque ex ijs quenquam reprehenſurus eſſet, ſeueriore tantum ſupercilio intueri.

15 Inobedientiæ culpam ſic porrò ſemper aduerſatus eſt, vt ſiquando in hoc ſui deliquiſſent, eos vellet extemplò è Congregatione dimitti. Quam ad rem hoc loco apponam, quod ipſemet Philippus ſua manu conſcriptum reliquit: Si quis (ait) forte credat ſe vel propter victus tenuitatem, vel propter Eccleſiæ ſubeunda munera, vel ob aliud quid ſimile progredi non poſſe, quin ſocios perturbet, quamprimum è Congregatione ſponte abeat, ſin aliter, poſtquam ſemel, aut bis prolapſus fuerit, omnino dimittatur. Id enim mihi Patres certum eſt, nolle me apud nos retineri, qui pauca hæc noſtra inſtituta ſeruare neglexerint. Hactenus Philippus.

16 Verùm vt ſuorum quilibet proprium deponere ſenſum aſſueſceret, illos ea temporum, & horarum importunitate ad negotia peragenda mittebat, quæ humano videbatur captui penitus repugnare; & quotieſcunque eorum quis paululum retardaſſet, iteratis inſtabat præceptis, vt ſic paulatim fracto, edomitoq; animo ad veræ humilitatis faſtigiũ citiùs peruenirent. Quos verò in virtute progreſſus a ſuis exquireret Philippus, quantumque improbis aduerſaretur, & diſcolis, epiſtola, quam Cardinalis Baronius Romam ad Conſolinum tunc temporis tyronum Præfectum Ferraria miſit, dum ibi cum Clemente Octauo moraretur, optimè probat. Ait igitur:

17 Eſt profectò cur me accuſem, qui nihil adhuc ad te ſcripſerim, ſaltem vt gratias agerem, quod pro me preces ad Deum effuderis. Nunc igitur debitum perſoluo, & ea qua poſſum efficacia, gratias ago, rogoque vt vnâ cum tyronibus tuis, filiolis meis, iterum atque iterum charis, quibus in dies maiores deprecor pietatis acceſſus, in poſterum idem præſtes. Excole mi pater, excole, vt facis, nouas iſtas plantulas ad il-

lius

lius magnæ arboris exemplar, cuius ſunt germina, & qua via, ac ratione directus es tu, illos dirige: exploratumque habeas, beatum Parentem noſtrum adhuc viuere, videre, ac moderari ſuos, flagellumque in manibus tenere, quo animaduertat in diſcolos. Quod verò ad me attinet, abs te peto venerande Pater, vt me tyronibus tuis adſcriptum veliś, measq; culpas ſine vlla cunctatione corripias. O vtinam hunc in modum iuueneſcerem, illudque propheticum in me impleretur: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Id enim exiſtimo ſignificare Abiſag ſenio confectum Dauidē fouentem, cum ſcilicet feruor ſpiritus adiungitur ſenectuti. Recubuit vtique (vt probè noſti) Abiſag cum ſancto Patre noſtro, qui vel in ipſa ſenectute tanto æſtuabat ardore, vt ſe quodammodo comburi ſentiret. Non pelles, neque purpura ſenes calefaciūt, ſed ſola Abiſag. Merear ipſe in hac mea gelida ætate, vt ipſius amplexibus fruar; hoc mihi a Domino precibus impetrate: ſiquidem hoc vnum me impulit ad ſcribendum. Sic te Deus ſoletur, ſanctumque faciat. Ferrariæ. 19. Kalend. Septembris M.DXCVIII. Cæſar Cardinalis Baronius.

18 Denique in re domeſtica quàm maximè cautum volebat Philippus, ne Congregationis bona, quæ Chriſti ſunt patrimonium, & peculium pauperum, vllatenus prodigerentur: adeoq; huic inſiſtebat rei, vt nihil vnquam pateretur expendi, quod ſummè neceſſarium non eſſet: in medium proferens, quod de coquo ſcribit Caſſianus, quem acerrimè corripuerunt Patres, quod tria lenticularum grana diſperſerat: & S. Antoninum Florentiæ Archiepiſcopum, qui in templum noctu deſcendebat, atque inibi ad lampadis lumen ſtudijs vacabat, ne quid omnino de bonis pauperum, vt aiebat, minueret. Si quis autem fortè id nimiæ ſeueritati tribuiſſet, ſtatim ſubijciebat: Scruplum eximite, ne ad Eccleſiam bona pertineant, & quæcunque libuerint, facite.

Suorum obedientia, & obſeruantia. Cap XX.

1 Congregatione igitur ad eã formam adducta obedientiam in primis S. Pater expetiuit a ſuis, quam ei plerique non ſolum domeſtici, ſed etiam externi tam exactè præſtiterunt, vt nihil difficile eſſet, & arduum, quod iuſſi non explerent. Quare Cardinalis Tauruſius ad rem aſſerebat, ipſorum aliquos nec voto, nec iuramento adſtrictos, Aegyptijs tamen Monachis non longè impares obedientiæ titulo extitiſſe: & vix vllis ex Religionum fundatoribus, quod ipſe ſciret, promptiùs, ac diligentiùs eorum ſubditos paruiſſe, quàm ſuos Philippo. Neque id leuiori argumento aſſeruit: quidam enim tantum illi deferebant, vt ſi vel ſe præcipites dare, vel in ignem ſe conijcere imperaſſet, ſine vlla cunctatione obtemperaſſent. Quod profectò haud rei amplificandæ gratia allatum videbitur, ſi quæ mox aſſeremus exempla, ſeriò perpendantur.

2 Loquebatur aliquando Philippus de obedientiæ virtute, dumque vnà cum ſuis moraretur, vbi quædam ſita erat piſcinula; Quis, inquit, inter vos tanta virtute obedientiæ præditus erit, vt iuſſus in hanc ſe lacunam promptè proripiat? Vix hæc obiter, non ſeriò Philippus protulerat, cum illico ex eis vnus, non expectato imperio, in illam rapto ſaltu deſilijt; qui proculdubio in vitæ diſcrimen incidiſſet, ſi qui aderant, ad illum citiſſimè eripiendum non accurriſſent.

3 Tres ex ipſis iuſſit quondam vir Dei per celeberrimum Vrbis locum, qui vulgo Banchi nuncupatur, nudos incedere. Rem miram! deponere illico pallia, laxare veſtes, calceos proijcere, ac præceptum nulla data mora exequi aggrediuntur: remque in opus perduxiſſent, ni vir prudens veſtes recip ere imperaſſet, eoſque ab incepto deſiſtere coëgiſſet.

4 Aliàs dum iter haberet prope amphitheatrũ Veſpaſiani, vt in hoſpitali domo S. Ioannis in Laterano ægrotos de more inuiſeret, in mendicum humi iacentem incurrit grauiſſimè laborantem, cœnoque reſperſum: quem commiſeratus

vni

vni è ſuis nutu indicat, vt ægrotantem è cœno tollat, humeriſque impoſitum ad Noſocomium deferat. Vix præceperat, cùm ille pauperem in humeros tollit, & maxima omnium admiratione ad locum ægrotantium defert.

5 Laborabat Baronius tanta ſtomachi imbecillitate, vt quicquid minimum cibi ſumpſiſſet, ingentem ſtatim moleſtiam perciperet: tantaquo inſuper capitis debilitate afflictabatur, vt ei Philippus, ne orationi vacaret, neue aliud quid ageret, quo mens defatigaretur, omnino vetuerit. Cum igitur is a prandio, vt ei mos erat, ad beatum Parentem accederet, in cuius cubiculo tum fortè erat malum citreum, paniſque ſatis grandis, protinus Philippus ait: Sume Cæſar malum illud citreum, ac panem, vtrumque totum comede. Confeſtim Baronius obedientiæ merito innixus, crucis ſigno ſe muniens, vtrumque totum abſumpſit: atque illico tum ex ſtomachi, tum capitis languore prorſus conualuit. Idem Baronius de ſe teſtatur, quod cum, iubente Philippo, per nouem annos ad ſancti Spiritus hoſpitalem ædem, vt ægrotis inſeruiret, quotidie ſe conferret, ſæpius febricitans illuc accedebat, & charitatis officio expleto, omnino ſanus domum reuertebatur.

6 Præterea, quæ conſulto Philippo feciſſent ſui, ad felicem ſemper exitum perueniſſe experientia didicerunt. Fabritius de Maximis ex primis alumnis, eique apprimè dilectus, duos habebat filios multos iam dies morbo implicitos, quorum alter potiunculis, iuſculiſve tantum veſcebatur: alter verò vix eiuſmodi deglutiebat. Sperans autem Fabritius fore, vt ſi filij ad ſalubriorem cœli temperiem Roma diſceſſiſſent, mortis periculum fortaſſe effugerent; hac de re medicos conſuluit, qui aſſeuerant, ſi filios ab Vrbe dimoueat, procul dubio morituros. Menſis Quintilis erat, & caniculæ ſidus æſtuabat, cum Fabritius Philippum adit, eique ſingula exponit; qui coram medicis, Abi, inquit, ne dubites, lectica vecti omnino diſcedant: etenim a morbo haud dubiè conualeſcent. Paret Fabritius, ac die poſtero Arſolum, viginti & octo milliarijs ab Vrbe diſtans, illos deducit; quò vbi fi-

Iij perueniunt, repentè vti Philippus edixerat, conualeſcunt. Quin alter inter eũdum ex vectatione nonnihil læſus, equum conſcendens, quod ſupererat itineris ſine vlla corporis defatigatione abſoluit.

7 Vincentius Creſcentius Cardinalis Creſcentij germanus frater, iuuenis optimæ indolis a Philippo petijt, vt certam adeundi eccleſiam poteſtatem faceret vnà cum eiuſdẽ ferè ætatis probis adoleſcentibus (conſueuerant enim alumni ipſo inconſulto nihil planè agere) obtenta igitur facultate pergunt. Dum autem reuertuntur, Vincentius è curru decidit, ſuper crura præteruolante rota, rem intuiti inclamant Ieſum. At ille humo ſurgit illæſus, ac pedes ad Philippum aduolans rem enarrat. Cui Pater optimus: Præſtitæ, inquit, obedientiæ totum adſcribito: ni enim veniam poſtulaſſes, cruris fractionem non euaſiſſes.

8 Alius itidem Romanus, qui nuper vxorem duxerat, teſtatur, quotieſcunque ſancti viri permiſſu conuiuijs, ludisq; intereſſet, ſuo nunquam animo turpes rerum ſpecies inſediſſe: contra verò ſi ſponte ijſdem intereſſet, ſe fœdis ſemper cogitationibus perturbari.

9 Marcus Antonius Maſſa, de quo alibi dicturi ſumus, cum nil grauius ferret, quàm ad populum verba facere, atque ad id præſtandum animum flectere non poſſet, imperante tamen Philippo, cuius imperio quàm qui maximè addictus erat, tam aptè dicere cœpit, vt inter primarios, qui dicebant, haud poſtremum locum teneret.

10 Ex contrario complures adnotarunt eos, qui Philippi iuſſa, vel monita neglexiſſent, infelices plurimum habuiſſe exitus. Franciſcus Maria Tauruſius, vt erat ſpiritu feruentiſſimus, per noctem ad orandum ſurgere vehementer optabat, cumque id agendi a Philippo facultatem crebrius poſtulaſſet, is imbecillam in homine corporis habitudinem conſiderans, poſtulatis nõ acquieſcebat. Ille tamen optimi Parentis conſilium non accepit, ſed quod mente conceperat, aggreditur: & vix nocte vna ad orandum ſurrexit, cùm capitis vſque adeo intemperie afficitur, vt vndecim ſubindè

menſes

menſes coactus ſit ab oratione penitus abſtinere.

11 Alius item ex alumnis inſcio Philippo quotidie flagellis affligebat ſeſe: verùm ex hoc neſcio quid ſcrupuli perpeſſus, vt rem concedat, S.Parentem efflagitat, qui,non ſolum, inquit, ne quotidie, ſed neque etiam ſemel flagellis te cædas volo. Sed cum is iterum atque iterum precibus inſiſteret, vt conſenſum præſtaret, Philippus tandem ait: Semel in hebdomada concedo. Mirum! non multo poſt is ad ſancti viri pedes prouolutus exclamat: Pœnitet,Pater, Pœnitet: quãdoquidem recurrente die, quo ex facta poteſtate flagellis me cædam,ab eis ſic abhorreo, vt nec ſemel quidem me cædere valeam. quod ergo antehac maxima cum iucunditate illud quotidie præſtabam, propriæ voluntatis meæ ſenſum extitiſſe fateor.

12 Vetuerat aliquando Philippus vni, ne adiret Tibur; & alteri, ne peteret Neapolim; vterque tamen contra præcipientis placitum egit: ex quo accidit, vt alteri equo corruenti tibia fracta fuerit, atque alter in mare lapſus magnum ſubierit vitæ diſcrimen.

13 Iunior quidam, cuius nomen de induſtria ſubticetur, contra beati Parentis mentem ſocietatis contractum inierat. Quo accepto Philippus finem infauſtum de iuuene pronunciat. Paucis interlapſis diebus occidit ille ſocium, ac Roma profugus, quò abierit, haud vnquam compertum eſt.

14.15 Fabritius de Maximis, de quo paulo ante meminimus, cum ingentem pecuniæ vim, quæ tota ab Helenæ filiæ capite penderet, in fœnus collocaſſet, vere ineunte ex Vrbe rus profecturus de more Philippum adit, qui ſtatim: Pecuniarum tuarum periculum,inquit, ex filiæ tuæ capite in alterum transferas. Neglexit Fabritius, neceſſarium non eſſe ratus, quòd Helena ætate florens optimè valebat. Verùm menſe Septembri filia in morbum incidens moritur: & pater quas transferre neglexerat pecunias, omnes amiſit: id quod alijs compluribus contigiſſe ferunt. Contra verò, qui Philippi inhæſerunt conſilio,æris multi iacturam euaſerunt.

16 Porro vir Dei non verbis modò, ſed exemplo præcipuè

puè ad hanc obedientiæ virtutem prouocabat ſuos: etenim præterquam quod Eccleſiaſticis Præſulibus, vt ſupra diffusè enarrauimus, exactiſſimè ſemper obtemperauit; Vallicellam ingreſſus, etſi Præpoſitus, quotieſcunque tamen vel ad ianuam, vel in ſacrarium, vel in eccleſiam aduocaretur, confeſtim, & quacunque hora, dimiſſis omnibus, præſto erat: illud dicere ſolitus: Præſtat magis ſacriſtæ obedire, & ianitori, quàm in cella precibus inſiſtere. Quod ſi quis interdum opponeret, non eſſe presbytero denegandum tempus, quo ſe ad celebrandum præpararet, ſacerdos, reſpondebat, tum verè paratus eſt, cùm ita viuit, vt quod attinet ad conſcientiæ nitorem, quibusque horis celebrare queat.

17 Medicis autem, dum ægrotaret, adeo ſemper paruit, vt quanquam in deglutiendis pharmacis non mediocrem experiretur moleſtiam, quicquid tamen illi ſumendum propinaſſent, alacriter & ſine cunctatione hauriret. Quod ſi indixiſſent, vt vel a precibus abſtineret, vel Miſſæ ſacrificium intermitteret, quod ferebat ægriùs, protinus acquieſcebat. Veluti, imperante olim medico, vt ad dies quadraginta a canonicis horis recitandis deſiſteret, vir aliòquin orationi addictiſſimus ſubitò morem geſſit.

18 Ceterum in hanc rem monita quædam afferre ſolitus erat. Primum; vt ſubditi in Chriſtiana diſciplina proficere cupientes ſe totos Superiorum arbitrio ſubmitterent: qui verò nullo ſubiectionis vinculo tenerentur, docti, ac prudentis Confeſſarij imperium ſubirent, nilque prorſus eo inconſulto deliberarent, aſſerens eos, qui id præſtitiſſent, Deo Iudici nullam in hac re operum ſuorum reddituros eſſe rationem. Vnumquemque tamen admonitum volebat, vt qui ſibi Confeſſarius deligēdus prius maturiùs cogitaret; electum verò nullis de cauſis, niſi fortè neceſſarijs, vel grauiſſimis dimitteret: improbus namque dæmon, aiebat, cùm ad grauia facinora homines pellicere nequit, pro viribus contendit, ne pœnitentes Confeſſario fidem adhibeant: vt quos palam decipere non valet, ſublato ductore clanculum proſternat. Aiebat præterea breuiſſimum iter ad perfectionem attingendam

ſtam eſſe obedientiam, multo pluris faciens, qui vitam a communi viuendi genere non diſcrepantem ſub obedientiæ iugo ducerent, quàm qui rigidiſſimum ſibi viuendi genus ſpontè imponerent. Optabat inſuper, vt in minimis parere aſſueſcerent: hoc enim pacto ſperabat fore, vt in maximis quoque facilius obtemperarent.

19 Miſit aliquando Franciſcum a Molaria, nobilem Romanum, ad negotium peragendum in ædibus S. Hieronymi: qui ex præſcripto ad locum perueniens, cùm immiſſa ſæpius claue fruſtra aperire tentaſſet, ad Vallicellam regredi cogitabat. Attamen pudore correptus iterum aperire contendit: ſed ſi primò aperire non valuit, ſecundò ne quidem clauem immittere potuit. Quare cum rubore ad Philippum reuerti coactus eſt: cui rem omnem, vt acciderat, enarrat. Imperat ille, iterum redeat, negotiumque perficiat. Abit, aperit: qui admiratione, lætitiaque perfuſus ad Patrem exultabundus regreditur. cui Philippus: Agnoſce iam, fili, quanta ſit obedientiæ virtus.

20.21 Quod verò peculiariter attinet ad ſuos de Congregatione, exquirebat in primis, vt ſine vlla cunctatione, quotieſcunque vel in templo, vel in Oratorio, vel domi ſuas obeundi functiones tempus inſtaret, ab omni ſe prorſus negotio expedirent. Admonebat præterea, ne quid ſibi quiſquam proprium, priuatumque in ſacrario haberet, non albam, non calicem, non altare, non horam: ſed in omnibus a ſacriſtæ nutu penderent. Ad veræ itidem obedientiæ partes ſpectare dicebat, quod ſine vlla intellectus diſquiſitione Superiorum iuſſis pareretur: & pro certo haberent, nil melius, nilque perfectius eſſe, quàm quod a Superioribus imperatum eſt. Quamobrem regularis obſeruantiæ viros hortabatur, vt ſi in eo loco, in quo morabantur, valdè proficerent, eoſque aliò Superior amandaret, vbi nulla prorſus expectaretur vtilitas, ſine mora præcipienti obtemperarent. Inſpiciendum quoque dicebat, an quod intendimus bonum, eo modo, vel eo tempore, ſeu a nobis, vel ab alijs illud Deus exquirat: quod totum obedientiæ virtus diſcernit.

22 Confeſſarios denique hortabatur, vt pœnitentes in hac potiſſimum virtute exercerent, eosque in edomando intellectu, frangendaque voluntate potiſſimum excolerent, magisque docerent proprium deponere ſenſum, ac ſe deprimere, quàm multis corporis macerationibus vexare ſeſe, ſubdens eos, qui per incuriam, vel leuibus de cauſis erga pœnitentes id præſtare non curaſſent, rationem apud Deum haud dubiè redituros.

VITAE S. PHILIPPI NERII LIBER SECVNDVS.

De Philippi Virtutibus.

Eius in Deum charitas, ac pietas. *Cap. I.*

1 AD Philippi virtutes enarrandas ordine progreſſuris, ab ea, quæ omnium radix eſt, & fundamentum, charitate in Deum, incipere viſum eſt. Hac enim tantopere exarſit, vt quæ flamma intus latebat in anima, extrinſecus quoque in corpore emicaret. Quandoquidem ſiue diuinum recitaret officium, ſiue de cæleſtibus loqueretur, vel quid ſimile faceret, igneæ quædam ſcintillulæ ex eius oculis erumpere ſæpenumero videbantur.

2 Is charitatis ardor adeo animum exuſſerat, vt interdum vir Dei, lectulo ſuo recubans, præ amore langueſceret; & aliàs vel ſtaret, vel iret, in varios diuinæ dilectionis affectus ora ſolueret. Etenim aliquando, minus aduertens, illa inchoabat Apoſtoli verba: Cupio, ſed illico diuertens, ſubticebat reliqua; diſſolui, & eſſe cum Chriſto: & interdum raptus in mentis exceſſum in illud pariter erumpebat: Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio.

3 Cum autem ſacras ædes oraturus intraret, tot, ac tantos diuini ſpiritus patiebatur illapſus, vt flexo vix genu, ne raperetur in ecſtaſim, exurgere cogeretur. Interdum verò ſic erat oculis in cælum intentus, vt qui hominem ſpectaſſet, ſibi videre beatiſſimum Martinum in oratione defixum videretur.

4 Sed quanquam Philippus tot diuinis delicijs delibutus eſſet, ipſe tamen ſine vllo ſenſibilis deuotionis affectu, ſi annuiſſet Deus, diuinæ eius Maieſtati inſeruire cupiebat.

5 Verùm procedamus ad reliqua. Primum namque ad ſacratiſſimum Chriſti corpus percipiendum tanto inflammatus deſiderio erat, vt laicus ſingulis diebus diuino hoc pabulo reficeretur, ac ſacerdos effectus vel valens quotidie Sacrum faceret, vel aduerſa valetudine præpeditus laicali more cæleſtem hunc panem ſuſciperet, quod nempe poſt mediam noctem facere conſueuit. Idcirco poſtremis vitæ annis, ne nimio ſuorum incommodo id ageret, Euchariſtiæ Sacramentum prope cubiculum in quadam cellula aſſeruandum a Summo Pontifice impetrauit, quę quidem cellula ipſo Sanctorum catalogo adſcripto, ſummæ cœpit apud omnes venerationi eſſe, necnon Miſſarum celebratione, & piorum hominum frequentia coli; ac tandem ſuperioribus annis ad nouas ædes honorificè, vt cernitur, tranſlata fuit.

6.7 Quotieſcunque verò vir ſanctus ægrotaret, ac de more Dominicus ei panis poſt mediam noctem afferendus eſſet, ſi miniſter interdum non ita celeriter acceſſiſſet, vſque adeo intus excruciabatur, vt ſomnum capere minimè poſſet. Quare cum ſemel periculosè decumberet, audiretq; ſignum dari ad matutinas horas, nec ſibi ſolitum ſacræ alimoniæ cibum afferri; eo quod Taurusius, ne ſomnum abrumperet, rem differebat, moræ cauſam prænoſcens, vocato Taurusio, dixit: Ne putes hac mihi de cauſa vigilias obuenturas, ſed porrige Dominum, & protinus obdormiam. Sumpſit ergo panem Angelorum, & mox ſuauiſſimo ſomno correptus, melius habere cœpit, breuique conualuit. Cum aliàs itidem ægrotaret, & Antonius Gallonius Sacramentum manu teneret,

neret, & ad porrigendum plus ſolito remoraretur, diutius expectare non valens: Eia, inquit, Antoni, cur Dominum meum manu tenes, mihique æſtuanti non porrigis? Sacra ergo Communione porrecta ſtatim placidiſſimè quieuit.

8.9 Hunc ipſum affectum ac deſiderium in animos ſuorum inſerere ſtuduit: quamobrem omnes Congregationis ſuæ Sacerdotes, niſi graui detinerentur impedimento, etiam atque etiam hortabatur, vt quotidie celebrarent, nec eorum excuſationes facilè admittebat, qui animi recreandi gratia a celebrandi frequentia abſtinuiſſent. Quiſquis enim, aiebat, recreationem, niſi a Creatore, & conſolationem niſi a Chriſto exquirit, neque verè recreari, neque conſolatione affici vnquam poterit. A laicis quoque hoc Sacramentum frequẽtari ſummopere cupiebat. Idcirco ipſorum alij octauo quoquo die, alij ſingulis quibusque feſtis, & nonnulli, etſi pauci, quotidie eius conſilio Angelorum alimonia veſcebantur. Frequentius tamen ad Confeſſionis, quàm ad Altaris Sacramentum vt accederent, ſuadebat.

10 Sacrum verò facturus ea cæleſtium rerum contemplatione rapiebatur, vt ne ecſtaſes pateretur, aliò diuertere opus haberet: atque hinc ſæpe videre erat ſanctum virum inter ſacrificandum ſubſiſtere, varijsque artibus, & motibus mentis exceſſus euitare. Quapropter ſi in eccleſia publicè celebraret, præter ſibi notos, ac familiares ad inſeruiendum neminem admittebat. Non tamen inter iſtiuſmodi motus, & impetus quid vnquam geſſit vel indecens, vel minus congruum: quin potius ad pietatem, ac religionem adſtantium animos excitabat.

11 Ad eam Miſſæ partem, quam Offertorium vocant, deueniens, tanta cordis lætitia geſtiebat, vt quamuis adhuc vegeta eſſet ætate, neque paralyſis affectu vllatenus detineretur, niſi tamen prius cubitum firmaret, vinum in calicem infundere neutiquam poſſet. Haud vnquam tamen contigit, vt vel minimam ſanguinis, vel vini guttulam effunderet.

12 Dum ſacram Hoſtiam ex ritu attolleret, ſæpe manibus ſurſum elatis diu perſiſtebat, & nonnunquam ad palmum,

mum, & amplius a terra efferri videbatur. Quamobrem, vt huiuſmodi, quos vel inuitus patiebatur, motus effugeret, hoſtiam vix eleuatam deponebat.

13 Cæleſtem cibum ſumens tanta ſpiritus dulcedine affluebat, vt eo ſe prorſus modo haberet, ac ſi ore ſuauiſſimum, optimumque cibum ſumma cum auiditate deguſtaret. Hinc eſt, quod craſſiores hoſtias ad ſacrificium deligebat, vt videlicet ſacratiſſimæ illæ ſpecies diutius perdurarent, & inde magis Chriſti ſui præſentia frueretur.

14 Cùm verò Dominicum ſanguinem ſumeret, eo vſque calicem lambebat, hærebatque dentibus, vt non ſolùm auream ſuperficiem ſugendo abraſerit, ſed etiam dentium veſtigia argento impreſſerit.

15 De reliquo in re diuina peragenda expeditior potiùs, quàm prolixior erat: tantoq; tamen pietatis affectu, vt ſæpenumero qui aderant, ad lacrymas impellerentur.

16 Miſſa celebrata actisque ex ritu gratijs, in cubiculum rediens, ſic a ſenſibus ferebatur abſtractus, vt crebrò inter eundum, quos obuios habebat, non aduerteret; facie adeo pallens, vt magis mortuum præ ſe ferret, quàm viuum.

17 Poſtremis verò annis, quo ſeorſim maiore cum ſpiritus libertate Sacrum faceret, adhibito conſilio virorum tum doctrina, tum ſanctitate inſignium, a Gregorio XIII. ea in cellula, de qua modò egimus, celebrandi facultatem obtinuit. Vbi cum ſumendæ Euchariſtiæ tempus inſtaret, dimiſſis qui aderant, extinctisqe cereis, vno tantum relicto lumine, oſtio, ac feneſtris occluſis, ſolus remanebat, tumq; miniſter affigebat foribus tabellam, in qua hæc legebantur: Silentium, quoniam Pater ſacrificium peragit. Tranſacto exinde duarum circiter horarum ſpatio, redibat miniſter, oſtiumq; pulſabat: quòd ſi Philippus vel aduocaſſet, vel reſpondiſſet, fores continuò reſerabat, apertisque feneſtris accendebat cereos, S. Patre Miſſæ reliquum abſoluente. Quæ autem inibi cum Deo ageret, ipſi norunt.

18 Præterea dum alijs hoc Sacramentum adminiſtraret, tanto ſpiritus æſtuabat ardore, vt toto planè corpore concutere-

teretur. Quocirca refert mulier, tunc recenter ad fidem conuerſa, viſum a ſe Dei famulum pyxidem manu geſtantem, & corpore ſic contremiſcentem, vt ſacræ particulæ in altum a pyxide elatæ conſpicerentur: ipſumque primùm facie apparuiſſe ignita, & mox cineritio colore expalluiſſe.

19 Non diſſimile accidit Nero de Nigris domicello Romano, ac Patritio Florentino, ſancto viro apprimè charo; is namque venit aliquando ad eccleſiam, ſecumque duxit Archidiaconum Alexandrinum, nomine Barſum, qui per eos dies ab Alexandria Ægypti ad Pontificem legatus acceſſerat, & vterque ex Philippi manibus Dominicum corpus accepit. Dum igitur Pater ſacram pyxidem tenet, tanto tremore corripitur, vt Nerus dubitarit, ne qua ex ſacris particulis fortè decideret; quamobrem is Philippi dexteram reuerenter apprehendit, tenuitque, donec Euchariſtiam ſumeret. Illis deinde abeuntibus, dixit Nero: Magnum hodie profectò in me calorem excitaſtis, quod nimirum ex Archidiaconi illius præſentia plus ſolito ſpiritus feruore corripi ſe ſenſerat.

20 Cum itidem aliàs Iuliæ Vrſinæ Rangoniæ pijſſimæ, ac nobiliſſimæ fœminæ ſacræ Communionis hoſtiam porrigeret, vidit ipſa vnà cum adſtantibus ſacram particulam è digitorum eius ſummitate elatam, atque in aëre, maxima cum omnium admiratione ſuſpenſam.

21 In ſacratiſſimā quoq; Chriſti Domini paſſionē ingenti ardebat amore. Etenim hac de cauſa ænei Crucifixi imaginem a cruce ſeiunctam apud ſe habebat, qua poſſet liberiùs ori, vel pectori admota ſui cordis affectus explere: atque ex hac Dominicæ paſſionis aſſidua meditatione excitata eſt in eo illa tam feruens in Indias eundi cupiditas, vt ibi nempe pro Chriſto ſanguinem effunderet. Sed cùm voti compos factus non eſſet, alia via clementiſſimus Deus illius vota explere dignatus eſt; nam S. Luthgardæ virginis inſtar ſanguinem pro ſanguine, non gladio, ſed deſiderio, Chriſto rependere meruit. Quapropter per totius vitæ curſum tantam ſanguinis copiam ex ore profudit, vt quandoque aciem oculorum amiſiſſe, & interdum arteriarum pulſu penitus deſtitutus,

tutus,

tutus videretur. In quo dulciſſimo deliquio dicere conſueuerat: O vtinam pro te bone Ieſu tantum ſanguinis effundam, donec minima ex parte amori reſpondeam tuo.

22 Suauiſſimum inſuper nomen Ieſu tam ardenter colebat, vt vel ſola illius prolatione maxima ſpiritus dulcedine perfunderetur. Maximopere etiam oblectabatur vir fide plenus in Apoſtolorum ſymbolo recitando: Orationem verò dominicam ea mentis attentione repetebat, vt aliquando illam abſoluere vix poſſet.

Eius pietas in Deiparam, Sanctosque omnes. Cap. II.

1 VErùm haud quidem facilè verbis exprimi poteſt, quanta vir Dei animi demiſſione, quantoq; pietatis ardore ſanctiſſimæ Dei Matri ſe deuouerit. Illã enim ſuas delicias, amoresque ſuos nuncupabat, & Mariæ nomen, quod ſemper gerebat in corde, paſſim & ore promebat: adeoque tenero in eam amore ferebatur, vt ipſam ſæpiſſimè, quemadmodum aſſolent pueri, mammam per delicias compellaret.

2 Integras quoque noctes in dirigendis ad eam precibus frequenter inſumebat. Grauiſſimus illum morbus in ædibus S. Hieronymi aliquando oppreſſerat: & quoniam medicorum iuſſu cautum erat, vt laboranti quiſpiam aſſiſteret; is nocte quadam audiuit ſanctum virum (neminem Philippus illic adeſſe putabat) ſuauiſſimis, amãtiſſimisq; verbis cũ virginum Virgine colloquentem, inter quæ tota nox momenti inſtar ei fugiſſe viſa eſt; ita vt dato ſigno ad Salutationem Angelicam in aurora, datum ſub veſperum cenſeret.

3 Duas præterea oratiunculas inter ceteras, quas iaculatorias appellant, in honorem Beatæ Virginis admodum ſibi familiares adinuenerat. Primam: Virgo Maria mater Dei ora Ieſum pro me. Secundam: Virgo, & Mater. Quibus orandi formulis non ſine vberrimo animarum fructu ſuadebat

bat ſuis, vt in modum coronæ ſexagies Virginem ſalutarent.

4 Hunc precandi vſum mirabiliter diuina bonitas comprobauit: etenim cum ex fratribus Congregationis vnus (animo licet reluctante) de integerrima Virginis puritate tentationibus pulſaretur, rem Philippo ſignificans, ab eo monitus eſt, vt prædicto orationis ritu Dei Matrem ſæpius ſalutaret. Obtemperauit ille, & confeſtim ab omni tentationis moleſtia liber euaſit.

5 Multas inſuper ſe a Virgine recepiſſe gratias profitebatur. Inter quas ea fuit, quod quotieſcunque dæmonum viſis impeteretur, varijsque perturbaretur oſtentis; ſtatim atque ad Virginis imaginem confugeret, omnis ab eo timor illico euaneſceret.

6 Quo tempore Patres veteri demoliendo templo incumbebant, is, qui tunc fabricæ præerat, iuſſerat cæmentarijs, ne tecti partem, ſub qua peruetuſta B. Virginis imago aſſeruabatur, vllatenus euerterent. Verùm die quodam, ſummo manè Philippus mandat, vt tectum illud quàm citiſſimè demoliantur, quòd ea nocte B. Virginem ſua manu tectum ſuſtinentem inſpexerat. Parent, luſtratoque loco trabem a pariete ſeiunctam, atque omnino in aëre pendentem cernunt: quamobrem perterriti miraculum vna voce exclamant, ſtatimque adhibito ex arte remedio, tectum deponunt. Hæc Virginis imago ea eſt, quæ hodie in ara maiori conſpicitur.

7 Quamplurimis etiam viſionibus, & apparitionibus, quas dicunt, Philippus a Virgine decoratus eſt. Sit illa ſatis, quam fuſiùs ſuo loco ponemus paulo ante obitum omnium celeberrima.

8.9 Quod verò attinet ad Sanctos omnes, eos ſemper peculiari obſeruantiæ cultu eſt veneratus: quamobrem eorum geſta ſibi quotidie ad plures horas lectitari iubebat. Inter Patronos ſibi elegerat Mariam Magdalenam, in cuius peruigilio natus erat, & ſanctos Apoſtolos Philippum & Iacobum; illum, quòd eius gereret nomen; hunc, quòd vno eodemque die ſolemniter celebretur. In maioribus autem feſtis,

maio-

maioribus itidem è cælo afficiebatur muneribus, dicere ſolitus, haud bonum ſignum eſſe, in primarijs Eccleſiæ ſolemnitatibus cæleſtia plus ſolito non deguſtare.

10.11 Coluit etiam mirum in modum Sanctorum Reliquias. Eas tamen a ſuis alumnis apud ſe deferre ægrè admodum permittebat: tum quia non eo, quo par eſt cultu progreſſu temporis cuſtodiuntur, tum quòd ſæpe ſæpius apud heredes, rem ignorantes, deperire experientia doceat. Locus enim earum proprius, aiebat, ſacræ ſunt eccleſiæ, & cœmiteria. Veruntamen non penitus improbabat, ſi quis eas decenter ac piè domi aſſeruaret: cùm ipſe quoque in cubiculo thecam ſacris Reliquijs refertam detineret. Hîc ſilentio prætereundum non eſt, quid poſt obitum viri Dei acciderit, dum apud Baronium huiuſmodi theca ſeruaretur. Antonius Francus Clericus Regularis ita grauiter Romæ ægrotabat, vt medici palam edicerent, vitam eius in extremis verſari, iamque ſacrum ſumpſerat Viaticum. Hominem igitur Baronius inuiſens, prædictas Reliquias ſecum defert, eaſque ægrotantis pectori admouit, & quò magis animum illius erigeret, eaſdem apud ipſum vltrò reliquit. Cùm itaque æger ea nocte morbo grauius premeretur, aſſumpta theca, Deum rogat, vt beati Philippi meritis ſibi pro beneplacito conſulat. hæc animo agitanti placidiſſimus ſomnus illabitur; & mane experrectus morbo leuatũ ſe ſentit, ac breui planè conualuit.

12.13.14.15 Demum erga ſacras Reliquias Philippi pietas plurimum enituit, dum corpora ſanctorum Martyrum, Papiæ & Mauri a Diaconia ſancti Hadriani ad eccleſiam noſtram delata, ſubter altare maius honorificè recondita fuerunt. Quandoquidem celeberrimo ſupplicantium agmine compoſito, vbi primùm beatus ſenex ad eccleſiæ noſtræ fores ſacrum feretrum appropinquare proſpexit, cœpit præ cordis lætitia ſalire pedibus, geſtire manibus, corpore concuti, oculos ſurſũ tollere, atque intus præ gaudio colliqueſcere. Tranſlatione completa, præcepit deinde Gallonio, vt plenè, ac diligenter prædictorum Martyrum acta conſcriberet. rem fuſius is enarrat.

Pie-

Pietatem in alios transſundit. Cap. III.

1 MIrum præterea fuit, vt non ſolùm ipſe Dei charitate exardeſceret, ſed præcipuo Spiritus ſancti munere eos etiam, quibuscum ageret, mirificè inflammaret: quemadmodum è contrario, qui ab eius conſuetudine recederent, omni penè ſpiritualium rerum ſenſu paulatim deſtituerentur.

2 Lauinia de Ruſticis Fabritij de Maximis vxor, antequam Philippum in Confeſſarium ſibi deligeret, haud magnam de illo opinionem habebat: ſed cum de rebus diuinis ingenti animi ardore ipſum diſſerentem audiuiſſet; tanto mox in Chriſtum amore flagrare cœpit, vt ſe totam viri Dei obſequio manciparit, & quæ olim a ſeculi rebus non erat aliena, guſtato ſpiritu ter in hebdomada cõfitebatur peccata, ac totidem deinceps vicibus ſacratiſſimo Chriſti corpore reficiebatur. A Philippo inſuper edocta mundum contemnere, & affligtare ſeſe, vſque adeo orationi animum deuouit, vt in Deum quàm ſæpiſſimè raperetur. Quam exinde mortuam in cæleſti patria Beatorum gloria perfrui ipſemet Philippus teſtatus eſt.

3 Conſtantia Draco, Creſcentia, & eius pediſſequa, viro Dei Sacrum facienti quondam adſtabant: cùm ecce tibi tanto repentè ſpiritus feruore ambæ æſtuare ſe ſentiunt, adeoque ſolui in lacrymas, vt hera ad famulam conuerſa dixerit: Sentisne quid hoc ſit? vtique ſubijcit illa: quod attentiùs perpendentes rem totam Philippi meritis adſcripſere.

4 Nerus de Nigris, de quo ſupra meminimus, vbi primùm Philippum celebrantem inaudijt, cùm antea mente valde diſtractus eſſet, ſe vſque adeo deinceps ad cæleſtia meditanda expeditum aſſerit, vt ſecum ipſe ſummopere miraretur. Quod deinceps ſæpiſſime expertus eſt.

5 Qui verò cum ipſo fundebant Deo preces, tanta diuinarum rerum afficiebantur voluptate, vt ad multas horas orationem protrahentes, nil tamen temporis in ea conſum-

pſiſſe

pſiſſe exiſtimarent. Quandoquidem ex eis vnus horæ ſpatium in oratione impenſum, momentum credidit, dixitque: O ſi ita diuinis ſemper afficerer, quàm libenter cum Philippo ſemper orarem.

6 In ſacris confeſſionibus excipiendis ſic interdum cæleſti ſuccendebatur ardore, vt ex eius filiolis quamplurimi, quotieſcunque ipſe in abſolutionis articulo eos ſibi pectori admoueret, ineffabili ſpiritus dulcedine ſe recreari perciperent.

7 Ioannes Atrina Campanus beato viro familiaritate coniunctiſſimus, hæc ait: Quotieſcunque Philippi cubiculum ingrediebar, etſi maxima perfundebar lætitia, corpore tamen fateor contremiſcebam. Quoties itidem mihi dextera illa ſaluberrima vel humerum contrectaret, vel traheret comas, vel aurem vellicaret, confeſtim pijs, ſanctiſque cogitationibus animus abundabat meus, non aliter ac ſi tunc peculiaris quidam cæleſtis gratiæ motus cor meum afflaret; ex quo protinus ad altare ſanctiſſimi Sacramenti ad orandum trahebar.

8 Marcus Antonius Maffa, de quo ſupra, hæc ait: Ex quo die Philippo familiariter vſus ſum, æquè ac ſanctum ſemper ſum veneratus: & quoad licebat, apud eũ verſari conabar. Cũ verò ab ipſo ſacramentalem perciperem abſolutionem, ferè ſemper ex eius corpore quidam erumpebat ſanctitatis ardor; quo mox ad lacrymas cogebar, quod neutiquam contingebat, ſi alijs Confeſſarijs peccata detegerem; anguſtijs, ſeu tentationibus preſſus, eius precibus, & conſilio adiutus, diſcuſſis ijs ſubito gaudio perfuſus abibam. Poſtquam autem euolauit ad Superos, quotieſcunque anxius ad eum mente confugio, cæleſti illico conſolatione deliniri me ſentio, & quoties caſulas, quibus ipſe dum viueret, vtebatur, induo, vt Sacrum faciam, vberes profundere lacrymas compellor. Sic ille.

Donum

Donum Lacrymarum. Cap. IV.

1 PHilippi præterea cor, Chriſti amore ſaucium, ſic diuinitus emolliebatur, vt quandocunque in eum quis incideret ſermonem, qui vel commiſerationis, vel compunctionis ſaperet affectum, vltro protinus in lacrymas ſolui cogeretur.

2 Dei verò offenſas, præuaricatoresque adeo effuſè deplorabat, vt Federici Cardinalis Borromæi teſtimonio, puerulo a parentibus verbera deflenti ſimilem aliquando vidiſſes.

Nobilis adoleſcens peccata ex verecundia inter confitendum ſubticebat. Animaduertit id Philippus, illumque fixis oculis intuens, vim cœpit lacrymarum profundere: interim dum luget, tam vehementem peccatorum dolorem a Deo obtinet pœnitenti, vt protinus & ille vberes in lacrymas eruperit. Flebat vterque, vterque ſilebat: neuter niſi poſt longam temporis interuallum a fletu deſiſtit: iuuenis tandem procumbit in genua, omnesque prauæ conſcientiæ ſinus Philippo aperit; quem pius Pater peramanter amplexus, confeſſione excepta a culpis abſolutum, animoque pacatum dimiſit. At quoniam tenerrimus corde Philippus non ſatis adhuc lacrymarum effuderat, in cubiculum ſe recipiens, illic, vt libuit, fletibus liberas habenas laxauit. Adoleſcens poſt hæc totius vitæ culpas, cui ſolebat ſacerdoti detexit, & aliquot elapſis diebus ad Philippum reuerſus ei peccatorum omnium confeſſionem peregiſſe enuntiat. Cui Pater, etſi, inquit, hanc tuam totius vitæ confeſſionem auribus non percepi: omnes tamen, & ſingulas, quas antehac perpetraſti culpas, me adamuſſim cognitas habere certò ſcias. Quin addo, quod bonam nunc faciem præfers (hunc loquendi modum vſurpare ſolitus erat vir Dei, cum ſuos ad bonam frugem rediiſſe cognoſceret) tum ille ſubdit: Rogo Pater, vt mihi ſolidam cordis compunctionem a Deo precibus obtineas. Vix dixerat, cùm extemplò adeo intentus illi cælitus infuſus eſt

dolor,vt aſſeruerit, nullum ſibi vnquam obtigiſſe maiorem.

3 Contulerat ſe quondam vir ſanctus ad villam Patritiam (erat enim Patritius ex eius intimis vnus) eumque comitati fuerant Cæſar Baronius, Ioannes Franciſcus Bordinus, Thomas Bozzius, & alij. Poſt meridiem, ijs videlicet horis, quibus in eccleſia, ex inſtituto ſermones haberi ſolent, iuſſit Philippus, ne prorſus qui aderant, verbi Dei fructu carerent, vt Thomas ex improuiſo diceret. Obtemperat ille, & mox ad ea, quæ dixerat Bozzius, confirmanda, pauca quædam ipſemet Philippus addidit; dumque diceret, tantus ei ingruit totius corporis tremor, totque confeſtim lacrymæ, ac ſingultus erumpunt, vt cœptum ſermonem intermittere cogeretur. Idque fere quoties de diuinis loquebatur, ei contingere ſolitum erat.

4 Præſul quidam Sanctorum geſta perlegentem, atque vberrimè lacrymantem olim inopinato Philippum reperit, quem ſic interrogat: Quorſum iſte fletus ò Pater? Cui Philippus rem ad iocum detorquens, reſpondet: An non mihi lugendum orphano,& vtroque orbato parente? Subriſit tum Præſul: Atque ita Philippus fletus cauſam,lepidè quidem non tamen imprudenter hominem celauit. Aliàs Angelus Victorius medicus, quo Chriſti ſeruus etiam extra rem medicam familiariter vtebatur, illum Sanctorum vitas lectitantem, pariter ac lugentem inuenit, & quæ luctus cauſa ſciſcitatur, cui Philippus: Lugeo, inquit, quia Sanctus hic, cuius geſta præ manibus habeo, abdicauit ſe mundo, ego autem nil vnquam boni feci, ſubditque: O mi Angele, quid ſi videres me aliquando per Vrbem ſuſtibus cædi? Reſpice, tum diceres, reſpice Philippulum illum,qui ſanctimoniam profitebatur. Impinge carnifex, impinge grauiùs, & hæc enuncians lacrymis profluebat.

5.6 De paſſione verò dominica ſi quicquam, vel diceret, vel legeret, depluentes confeſtim lacrymæ cernebantur. Olim per maiorem hebdomadam Chriſti paſſionem inter celebrādum de more legebat, cum ſe rapi ſentiens, omnem adhibuit curam,vt mentem aliò diuerteret; ſed vbi ad morientis

Chriſti

Chriſti ſacram hiſtoriam peruenit, ſe amplius continere non valens, gemitibus, ac ſingultibus ſe totum dedit, cunctis qui aderant admirantibus ſimul & collugentibus. Quin etiam ſæpenumero, vel vno tantum audito paſſionis verbo, totus in lacrymas diffluebat: aliàs de hoc myſterio, vel loquens, vel audiens, ore pallebat. Aliàs vix ſpirare poterat, & aliàs toto corpore contremiſcere cogebatur. Quare conſilium iniјt, vt non publicè amplius ſermones haberet: interrogatus verò cur non diceret? abſtinuiſſe reſpondebat, quod ingenium minus aptum ſortitus eſſet: non renuiſſe tamen antea dicere, quòd paruo exiſtente ſermocinantium numero, naturæ defectum ſuppleret Deus.

6 Adierat aliquando ſanctę Praxedis cœnaculum, a S. Carolo Borromęo erectum: adierat, inquam, vnà cum Cardinale Vercellenſi, pijſſimo, atque doctiſſimo viro, inibi pranſurus. Cumque de more poſt menſam collationes ſpirituales haberentur, ſingulis ex ordine reſponſuris, Philippus pro re nata cum de Chriſti amore loqui cœpiſſet, tot rumpit ſuſpiria, tantisque lacrymis perfunditur, vt præpedita voce immobilis hæreret.

7.8 Ipſi grauiſſimè olim ægrotanti ſuccus gallinaceus hauriendus porrigebatur: at ille vaſculum manu tenens abundantiſſimè flebat, dicens: Tu mi Chriſte è ligno pendes, & mihi meo in lectulo, tot inter commoda, tot inter obſequia, tot inter delicias miniſtratur? Quæ verba cùm ſæpius iteraſſet, exuberante fletu ſuccum haurire nequaquam potuit.

9 Dum verò alumnis ſacræ Communionis cibum diſpenſabat, ea lacrymarum copia opprimebatur, vt ſæpe a functione deſiſtere cogeretur.

10 Si diuinis autem intereſſet officijs, eccleſiaſtici cantus ſuauitate permotus, continuò lacrymas emittebat. Etenim cum olim apud Eccleſiam S. Mariæ ſupra Mineruam vnà cum Fratribus in choro adeſſet, vſque adeo flere cœpit, vt anteriorem veſtimenti partem totam madefecerit.

11 Denique ad fletum ſic pronus erat, vt qualibet occurrente pietatis occaſione lugeret: fuitque miraculo tribu-

tum, quod diuturna lacrymarum effuſione oculorum aciem non amiſerit, quam vſque ad annos octoginta perſpicaciſſimam ſeruauit, nunquam conſpicilijs vſus. Ex ijs tamen quamplurima apud ſe retinebat, ad viſum, vt aiebat, recreandum, fouendumque: per quæ poſt eius obitum, morbis adhibita, complures ſe beneficia cælitus recepiſſe teſtantur.

12 Inter alios Lucia Marzana, in Monaſterio S. Luciæ in ſilice de Vrbe Monialis, grauiſſimo capitis dolore correpta, ſtatim atque conſpicilia viri Dei loco, quo fixus erat dolor admouit, placidè obdormiſcit, atque euigilans ſe omnino liberam ſentit.

Orandi ſtudium. Cap. V.

1 HVnc charitatis ardorem, hanc lacrymarum copiam non aliunde adeptus eſt Philippus, niſi ab aſſidua orandi conſuetudine. Quandoquidem orandi ſtudium, ſic ſemper coluit, vt quotquot in Congregatione pias exercitationes inſtituit, huc eas omnes directas eſſe, atque hanc ob cauſam Oratorij Congregationem appellari voluerit.

2 Huic planè diuino ſtudio eatenus ſe dedit, tantumque in eo profecit, vt ſtaret, iret, mentem ſemper in Deum erectam haberet: ſibique facilius eſſet ad ſuperna ferri, quàm mundi amatoribus ad terrena deflectere.

3.4 In eius cubiculo dum ſæpeſæpius permulta, & grauia a ſuis tractabantur negotia, ipſe inter negotia liber, vel oculos ad cælum tollebat, vel decuſſatim componebat manus, vel ex intimò cordis ſuſpiria trahebat. Per Vrbem verò incedens paſſim commonendus erat, & plerumque etiam trahendus, vt ſalutationes, aut daret, aut redderet, ita a ſenſibus abſtractus incedebat. A prandio ne ob nimiam animi contentionem corporis læderet valetudinem, ſi parumper vel obdormiſcere, vel quieſcere cuperet, Gallonium aduocabat dicens: ſi vis me ſomnum capere, quid tibi agendum ſit, optimè noſti: ſignificans, vt ſuam ipſius mentem a rerum ſuper-

ſupernarum contemplatione, vel colloquiorum varietate, vel lepida quadam lectione data opera abduceret. Atque ita in ſeipſo experiebatur, quod de alijs generatim dictitabat: nẽpe, hominem Dei amore incensũ ad hunc dilectionis cumulũ perueniſſe oportere, vt dicere cogeretur: Sine Domine, ſine me paululum conquieſcere: qui enim meridie ineptus eſt ad orandum, adhuc orationis donum non accepit.

5 Nunquam inſuper alicui negocio manus admouebat, niſi oratione præmiſſa, vel ſua, vel ſuorum: ex quo tantum adeptus erat fidentis animi robur, vt dicere non dubitaret: Detur orandi ſpatium, & quidquid petiero, haud dubiè a Deo impetraturum ſcio. Et interdum: hoc volo, hoc iubeo, & voluntati eius reſpondebant cuncta. Tandem orandi aſſiduitate eò ſuperni luminis deuenit, vt quinam è ſuis manè oraſſet, & qui ſecus, optimè dignoſceret.

6 Ceterum, etſi Philippi vita, perpetua quædam oratio iure optimo dici potuit; certas ſibi tamen præſcripſerat horas, vt illi ex conſilio intenſius inſiſteret. Aeſtiuo namque tempore, tum manè, tum veſperè, aliqua pietatis cauſa non præpeditus, in æditiores domus partes, vnde cælum, terraſque conſpiceret, recipiebat ſe ſe: ideoque non ſolùm apud ſanctum Hieronymum, verùm etiam & apud ſuos in Vallicella contignationem ſibi quandam ſuper tecta conſtruxerat: etſi poſtremis vitæ ſuæ diebus Eccleſiæ fornicem conſcendebat: vbi plurimum temporis in pijs meditationibus tranſigebat: at tamen ſi quando ad aliquod pium opus euocaretur, confeſtim contemplatione dimiſſa deſcendebat, ac peracto negotio redibat: aſſerens, non ideò contemplationem abijci, ſed Chriſtum pro Chriſto relinqui, nec vim orationis minui, ſed augeri.

7 Per hyemem poſt ſolis occaſum, ad ſecundam vel tertiam vſque horam, ſuas ad Deum producebat preces; cùm itidem dormitum ibat, vt ſtato ſibi tempore ad orationem exſurgeret, horologium ex ære penſile prope ceruical eum in modum aptabat, vt vel ſolo contactu, quota eſſet hora, dignoſceret; atque ibi iuxta Crucifixi imaginem, Roſarium

beatæ Virginis collocabat, vt experrectus ſtatim orationi incumberet.

8 Quibuſdam verò præcipuis anni temporibus, feſtis nempe ſolemnioribus, vel quando publica, vel priuata vrgeret neceſſitas; orationem contentiore ſtudio protrahebat. Feria quinta in cœna Domini, per totas illas horas, quibus ſacratiſſimum Chriſti corpus, ad recolendam ſepulturæ eius memoriam, ſeorſim aſſeruatur; ieiunus, atque inſomnis in oratione traducebat.

9 Canonicas horas piè admodum, & attentè recitabat, ac ferè ſemper ſocium adhibebat; ſolus etenim propter mentis raptus perſoluere haud facilè potuiſſet. Breuiarium apertum haberi volebat, diligentiſſimè præcauens, ne quid erroris in proferendo committeretur; qua in re, etſi a ſenſibus videbatur abſtractus, errantem tamen illicò corripiebat. Iam octogenario Gregorius Decimus quartus Roſarium beatæ Virginis pro diuino officio recitandum indulſerat, quo indulto ipſe vti nunquam voluit. Immo ſi grauius ægrotaret, horas canonicas ſaltem recitari ſe præſente iubebat.

10 Orationi lectionem addebat inque recolendis Sanctorum geſtis aſſiduè verſabatur; nulla re magis homines ad pietatem inflammari affirmans, quàm Sanctorum exemplis, vel ſententijs. Præter vitas a Lippomano collectas, libri ei familiares fuerunt, Ioannis Caſſiani collationes; libellus de imitatione Chriſti, ſub titulo Ioannis Gerſonis; vita ſanctæ Catharinæ Senenſis, ac ſingillatim præ cæteris B. Ioannis Columbini acta. Quod verò attinet ad ſacrarum Scripturarum paginas, D. Pauli epiſtolas in delicijs habebat. Quos autem ad ſermones habendos deſtinaſſet, admonebat plurimum, vt eorum legerent ſcripta, quorum nomina a littera S inchoarent; hoc eſt S. Auguſtini, S. Gregorij, S. Bernardi, & cõſimilium.

11. 12. 13. 14 At quoniam maximè optabat, vt orantes potius ſenſu deliniti, quàm tædio defeſſi ab orando diſcederent, quos minus idoneos ad prolixè orandum dijudicabat, hortabatur, vt breuioribus ijs oratiunculis, quas iaculatorias

dicunt

dicunt, mentem erigerent. Ex quibus nonnullas, ipſi magis frequentiores ad calcem apponere viſum eſt.

15 Verum enim verò his non contentus Philippus, apud complures Vrbis familias, vt in ſua quiſque domo priuatum haberet Oratorium induxit, vbi domeſtici, tum mares, tum fœminæ ad precandum Deum conuenirent. Immo ex ijs aliquot non ſolùm Oratorij vſum, ſed ipſam conuiuendi rationem, quæ in Congregatione ſeruatur, ſuſceperunt.

16 Documenta, quæ in hanc rem afferre conſueuerat, iſthæc ſunt. Optimum in primis aiebat orationis apparatum, ſi quis tanti obeundi muneris indignum ſe prorſus exiſtimaret. Rurſus optimum proprij ſenſus edomandi exercitium dicere ſolitus, qui vincendi, frangendique ſui imperitus orandi prouinciam aggreditur, auis inſtar eſſe, quæ non inſtructa pennis, ſurſum euolare contendat. Quapropter cùm ſemel ab alumno rogaretur, vt orandi modum doceret; Eſto humilis, atque obediens ſubiecit; teque Spiritus ſancti vnctio docebit. Subdebat etiam parendum eſſe ſpiritui, quem Deus cælitus inter orandum menti dignatur afflare, veluti ſi ad Chriſti paſſionem meditandam impellit, haud facilè quis debet ad reſurrectionis tranſuolare myſterium: affirmans, ab oratione non deſiſtendum; propterea quod non ſtatim quis poſtulata obtineat, ſed inſiſtendum viriliter, quouſque demum voti compos euadat. Dicebat quoque, quod ſi aliquis in oratione tranquillam, pacatamque mentem ſentiret, planè ſignificari, vel quod poſtulat, iam eſſe obtentum, vel iam obtinendum proculdubio fore. Suis itidem ſuadebat, vt pro Chriſti amore præſtare maxima cuperent, nec mediocris ſanctitatis gradu contenti eſſent: exempli gratia Apoſtolos Petrum, & Paulum, ſi fieri poſſet, charitate præcellere: vt ita quod opere conſequi non poſſent, animo ſaltem quoquo modo compararent. Hortabatur inſuper, ne qui orationi vacarent, diu in ſacras imagines obtutum defigerent; id enim & capitis valetudinem lædere, atque illuſionibus aditum patefacere affirmabat. Spiritus ariditate laborantibus hoc ipſe remedio conſultum volebat, vt ſe videlicet coram

Deo, Sanctiſque eius tanquam mendicos proſternerent, atque ab ijs ſpiritualium elargitionum ſtipem expoſcerent, eo mentis affectu, quo ceteri vulgò pauperes corporis victum emendicare videmus; atque idcirco modò ad iſtam, modò ad illam pergerent eccleſiam, quaſi oſtiatim eleemoſynas poſtularent. Ad quatuor nouiſſimorum contemplationem iuuenes præcipuè etiam, atque etiam hortabatur; aſſerere ſolitus, eos qui viui ad inferos non deſcendiſſent, in magno verſari diſcrimine, ne mortui illuc deuoluantur; ſuadebat præterea ſuis, vt aliorum precibus humiliter ſe commendarent; ac veſpertinas ſupplicationes, aſſuetaſque flagellorum verberationes in Oratorio non intermitterent. Hominem inſuper ſine orationis vſu inter pecudes propemodum collocandum affirmabat. Immo iuſſus olim a medicis, vt aliquandiu a meditationibus abſtineret, ne corporis valetudo læderetur, poſt aliquot dies ait: Heu miſerum! iam enim mihi in brutum animal videor deſiiſſe. Aſſerebat demum nil magis dæmonem expaueſcere, quàm orationem; ideoque illam pro viribus diſturbare. Sed de his hactenus.

Salutis animarum zelus. Cap. VI.

1 VT Vir ſanctus maxima ſuccenſus erat in Deum charitate, maximo etiam proximi adiuuandi deſiderio flagrabat: atque in animarum ſalute promouenda totus incumbebat. Ob id itaque ſingulos quoſque ſibi beneuolentiæ vinculis deuincire ſtudebat. Quamobrem qui ſemel illum adibat, ab eo ſeſe auellere vix poterat. Profligatos, ac perditiſſimos homines (vt ad rem propius accedamus) pius admodum Pater primum ad culpas dumtaxat mortales euitandas blandè hortabatur; vt deinde ad eam perfectionis metam, quam ſibi præfixerat, illos paulatim deduceret.

2 Vir eum aliquando adijt, vt peccatorum ſarcinam deponeret adeo veteri peccandi conſuetudine irretitus, vt ferè nullus effluerет dies, quo in certum peccatum non laberetur:

cui

cui nil præterea ſacramentalis pœnæ Philippus impoſuit, niſi vt illico: poſt peccatum ad ſe culpam confeſſurus rediret. Obtemperauit ille, & Pater quoties is reuertebatur, nullam ei præter allatam pœnam iniungebat: rem miram! poſt paucos menſes tantum animi robur ad reſiſtendum pœnitens eſt adeptus, eòque chriſtianæ perfectionis deuenit, vt ipſo aſſerente Philippo candidiſſimos Angelorum mores imitaretur.

3 Hac eadem ſpiritus lenitate, iuuenem quoque perditiſſimum ad bonam frugem perduxit; id vnum hortatus, vt ſingulis diebus antiphona, quæ incipit, Salue Regina, Virginem ſalutaret: terramque deoſculans, ſecum diceret: Cras vtique mortuus eſſe poſſem. Hoc ille præſtito, breui laudabilem vitæ rationem inſtituit, ac poſt annos quatuordecim non ſine magno ſalutis indicio mortem obijt.

4 Alius quidam perditis itidem moribus ad Philippum confeſſurus acceſſit, qui more patrio aſſuetus, abſolutione accepta, volebat pecuniam elargiri, cùmque nihil pecuniæ apud ſe haberet, Parce, inquit, Pater, mihi nummi deſunt; Subridens tum Philippus; Eia fili, ſat pro nummis erit, ſi proximo die ſabbati ad me redieris. Reuerſus itaque pœnitens, ac ſerui Dei ſuauitate captus, breui ad optimam frugem redactus eſt.

5 Ioannes Thomas Arena proiectæ impudentiæ iuuenis Oratorium interdum S. Hieronymi adibat; non vt è pijs ſermonibus fructum caperet, ſed vt concionantibus illuderet. Cùm igitur Oratorij ſodales id ferre non poſſent, rem Philippo deferunt, quibus ille: Sinite filij, cito enim quid facturus ſit Deus, videbitis. Improbus iuuenis interim cœptas iniurias pergit inferre; cùm repente improbitatem ſuam ſeriò recogitans, emollito corde, B. Parentis imperio ſe totum dat: nec multò poſt ſpiritus feruore concepto, Dominicanã familiam ingreditur: vbi dum adhuc inter tyrones agit, religioſiſſimè moritur.

6 Petrus Focilius, iuuenis Neapolitanus, facetiarum, & ſcurrilitatum plenus, ac ſalibus iaciendis apprimè deditus, inuitus admodum, ac fere per vim a ſocijs ad Oratorium deducitur;

citur; vbi obſeruat ſe a Philippo fixis oculis aſpectari,& quaſi acutiſſimis haſtis penetrari.Cunctis tamẽ Oratorij functionibus interfuit:quibus delinitus, cõfeſtim mutatis moribus, templo egreſſus, alter ſibi propemodum factus videbatur. ſæpe deinde ad ſanctum Parentem peccata confeſſurus accedit: ſed Philippus quaſi ſpreto homine, aliorum confeſſiones excipiebat, & ipſum abire iubebat. Per duos menſes iuuenis patienter acceſſit; cùm denique Philippus benignè admodum eius confeſſionem excepit, ac fauente Deo breui ad inſignem vitæ normam illum perduxit. Huic prædixerat futurum,vt in ſumma egeſtate aliquando moreretur: nec vox irrita, nam qui iunior diuitijs affluebat, ſenior effectus ad tantam paupertatem redactus eſt, vt panis ad ieiunam ſuſtentandam vitam deeſſet; piè tamen, vti ſemper vixerat, è vita migrauit.

7 Clericus ex nobili ortus familia pingues ex ſacerdotio redditus percipiebat; laicas tamen veſtes,eaque ſplendidas, & coloratas induebat. Hunc adoleſcens è Philippi alumnis ſic affatur, (in clauſtro S. Mariæ ſupra Mineruam vterque obambulabat) noueris Domine, quòd ventitare hìc ſolet ſacerdos, Philippus nomine, quem ſi fueris, vel ſemel allocutus, ò te beatum! Clericus verbis illectus annuit, expectat, Philippumque alloquitur. Cui vir Dei nihil aliud prorſus: niſi vt ad ædes S. Hieronymi ad ſermones audiendos ſe conferret. Paret, quotidie accedit; Philippus interim, etſi frequenter, ac diutius cum ipſo familiariter egit, de habitu tamen vel tonſura verbum nullum; vnum curat, vt ad cordis compunctionem clericum adducat. Mirum! ſexdecim lapſis diebus ſponte laicum deponit habitum, tonſuram defert,peccata a primo rationis crepuſculo confitetur, ſeni optimo ſe totum dat, atque ex chariſſimis eius diſcipulis effectus, ad virtutes omnes toto pectore incumbit, qui tandem ſatiatus annis paulò ante eiuſdem Philippi inter Sanctos relationem diem clauſit.

8 Eadem ſpiritus lenitate, & charitatis ardore penè innumeros Chriſto adiunxit; ita vt diceretur a multis; quemadmo-

admodum ferrum magnes, ita prorſus animas Philippus allicit, & ab alijs felix dies,& hora, qua primùm Philippum agnoui. Idcirco vir ſapiens non ijs admodum aſſentiebatur, qui difficile nimis, & arduum virtutis iter pœnitentibus proponebant; ne ſcilicet rei difficultate perterriti, vel illud non inirent, vel incœptum deſererent.

9 Quam ob cauſam in quædam futilia externi cultus ornamenta, quibus plurimum vtuntur fœminæ, haud multum inuehebatur, ſed quò melius poterat, rem diſſimulans; ad Chriſti amorem præcipuè eas inflammare ſtudebat, certus diuini amoris flamma ſuccenſas, ornatum omnem ſua ſponte procul dubio depoſituras. Quapropter cùm ſemel nobilis fœmina ipſum interrogaſſet, culpane eſſet, altioribus cothurnis ſtaturam corporis iuuare: reſpondit: Caue ne decidas. Et ex alumnis alium allocutus, qui aſperatum grandioribus rugis collare geſtabat, homini leuiter collum contrectans ait: Sæpius hunc tibi in modum blandirer, niſi tuæ iſtæ rugæ digitos offenderent; atque ita & fœmina cothurnos vltro depoſuit, & iuuenis eiuſmodi collaribus nunquam deinceps eſt vſus.

10 Ex eiuſdem charitatis exuberantia fiebat, vt eius cubiculi oſtium adeuntibus ſemper pateret, nec loco, nec tempore ſibi vnquam reſeruatis; ſed quoſcunque & qualibet hora, etiam ægrotus admittebat. Plerumque cùm in lectulo ad ſomnum capeſſendum ſe collocaret, quotquot expiaturi peccata accederent, audire non renuebat; impatiens, vt quis ſubtriſtis, vel minus hilaris a ſe recederet. Propterea ſuis vetuit, ne cuipiam dicerent: Philippus vel quieſcit, vel in cubiculum ſe ſubduxit: grauiter admodum ferens, ſi vel leuiſſimo accedentium incommodo, etiam ad morulam expectaretur, qua de re Gallonium, & alios frequenter, & acerrimè obiurgauit. Si verò Patres obijcerent, quod nimis venientibus ſe permitteret, vos velim admonitos reſpondebat, eos, qui nunc in Dei obſequio feruentiores exiſtunt, non alia me ratione ad Chriſtum traduxiſſe, quàm diebus integris ſolidiſque noctibus pro ijs tranſactis.

Pro-

11 Propterea non aëris intemperiem, non imbrem, non frigus, non æſtum, non ipſum denique vitæ diſcrimen pro animarum ſalute ſubire vnquam recuſauit. Audierat olim, iuueni nobiliſſimo mortis periculum imminere, quòd primariam in Vrbe fœminam, quam vehementiſſimè deperibat, inſequeretur; cùmque viri dignitate præſtantes iuniorem a propoſito d mouere nullatenus potuiſſent, ſtatim tamen ac Philippus illum eſt allocutus, non ſolùm vt a cœpto deſiſteret, ſed etiam ne deinceps propè fœminæ palatium tranſiret, facillimè eſt aſſecutus, qui quidem iuuenis ſi aliquando poſtea curru vectus ad eam ſe viam accedere animaduerteret, vbi mulier commorabatur, amicorum petita venia, curru proſiliens, aliò ſe conferebat.

12.13 Tandem Chriſti ſeruus, omnibus omnia factus, ſingulorum ſaluti proſpiciens, pauperes ac diuites, nobiles, & ignobiles, rudes, & eruditos, iuniores, ſeniores, mares, ac fœminas ſuo quemque hamo piſcatus ad Chriſtum pelliciebat; propterea ita diligebatur a ſuis, vt aliqui ſingulis fermè diebus ipſum adirent; & nonnulli ad annos triginta, vel quadraginta, ſemel atque iterum in die, manè videlicet, & veſperè inuiſerent, quos omnes maximo benignitatis, ac ſuauitatis affectu excipiebat; ex quo iure merito eius cubiculum chriſtianæ lætitiæ, & ſanctitatis gymnaſium eſt appellatum. Et quanquam non defuerunt, qui hominem idcirco reprehenderent, viri alioquin probitate, ac iudicio præditi; experimento tamen ipſe didicit, ſuoſque docuit, homines feliciùs ac faciliùs morum lenitate, ac benignitate, quàm agendi ſeueritate, ac duritia ad Chriſtum adduci.

14 Attamen ſeueritatem, & grauitatem adhibere, cum opus erat, haud penitus ignorauit. Vocatus enim olim, vt reum ſuſpendio addictum, ſuis verbis ad cor reuocaret, ſacellum ingreſſus, in quo miſer ille vociferans humi iacebat; diuina actus virtute, iniectis collo manibus apprehenſum ad terram alliſit, intonuitque: Sile, reus hoc tantum verbo ſiluit, contremuit, conuerſus eſt. Mox confeſſario admiſſo, bis peccata confeſſus, forti animo mortem ſubiuit.

In dirigendis iuuenibus admirabilis. Cap. VII.

1 CVm prouerbiorum illud optimè noſſet Philippus: Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea; in reuocandis, præſeruandiſque iuuenibus a peccatis, iiſdemque ad ſtudium pietatis promouendis, plurimum laborauit, ac valuit.

2 Hac de cauſa, etſi ætate grandæuus, & maximis, aſſiduiſque laboribus iam viribus fractus non erubeſcebat catervatim iuuenes ſecum ducere, atque vnà cum ijs per Vrbem incedere; nec non de varijs, tum ſcientijs, tum artibus, quibus quiſque eorum operam daret, diſſerere: vt hac ratione mutuæ charitatis vinculo deuinctos, ad nutum ſibi obſequentes haberet; quos etiam ſæpiſſimè ad ſuburbana, atque editiora loca, qua amœnus pateret Vrbis proſpectus, deducebat: vbi a ſe primum inchoato ludo orbiculatis lateribus ad ſcopum ludebat. Ipſe dein in remotiorem partem ſe recipiens, de paſſione libellum meditabundus lectitabat.

3 Præterea ſi quando è ſuis nonnulli, vel Oratorij frequentiam, vel Sacramentorum vſum intermitterent, eos quamprimum accerſitos, cum ſumma humanitate, ac benignitate ad priſtinum reuocare operam dabat; ex quo fiebat, vt in Dei obſequio feruentiores non raro euaderent.

4 Apud Regulares adeo vulgatum erat, Philippi operam in dirigendis iuuenibus valere, vt Superiores ipſi tyrones ſuos, quò vellet deducendos, plerumque ei committerent. Quamobrem Dominicanæ familiæ Nouitios omnes, varijs anni temporibus, ad ſeptem Vrbis Eccleſias, & aliò deducebat. Immo ducebat eos interdum ad amœna, ac virentia quædam loca; vbi hilariter prandebant; optimo exultante ſene, quod tam honeſtè, tamque ſanctè animo ſimul, & corpore reficerentur: iiſdem inter comedendum ſæpius iterans: Comedite filioli, comedite, omnemq; mentis ſcru-

pu-

pulum abijcite; nam præ lætitia geſtio, dum vos hilares, caſtos eſſe conſpicio. A prandio humi ſedens, ad virtutum omnium genus, & præcipuè ad firmandum perſeuerantiæ propoſitum eos inflammabat. Tranſacto die modeſtè recreatos ad eorum ædes reducebat.

5 In perferendis adoleſcentium iocis, ac nugis extitit ſingularis. Ludebant, vocibus, ac manibus propè eius cubiculum obſtrepebant: idque fere quotidie, ipſe tamen quamuis ſenior, & grauioribus negocijs diſtrictus, periucundè omnia tolerabat. Quin etiam ſi interdum hac de cauſa a noſtris acriùs reprehenderentur, re ad Philippum delata, benignum hoc ab eo recipiebant reſponſum. Agite, ludite, id vnum a vobis tantummodo cupio, ne peccetis.

6 Vir nobilis, qui ad eum frequenter ſe conferebat, huiuſcemodi ſtrepitum aliquando obaudiens, Philippum interrogat, quonam pacto tam graues tumultus valeat ſuſtinere; qui, modò a peccatis contineant, reſpondit: etiamſi ſupra dorſum ligna cæderent; æquiſſimo animo ferrem. Qua in re ex primarijs in Vrbe vir, mente recolens, quàm patienter olim Philippus ſecum egerit, illacrymans amico dixit: Dum iunior eſſem, ac Patrem Philippum crebrius viſitaſſem, lethali me nunquam peccato fœdaſſe memini; verùm vbi primùm ab eo receſſi, in nequiſſimam hanc, quam vides vitam, heu! miſerrimè prolapſus ſum.

7 Optabat præterea Vir ſanctus, vt iuuenes hilaritatem ſtudioſè colerent; grauiùs ferens, ſi quem fortè mœrentem conſpiceret: quapropter interdum ijs alapas ex improuiſo impingere ſolitus erat, dictitans: Eſto hilaris. Affirmabatque, faciliùs per virtutis tramitem deduci natura iucundos, quàm triſtes. Sanctum virum quondam conuenerant, ex familia Capucinorum duo, alter ſenior, iunior alter, quos ille intuitus, cùm iunior in via Dei profeciſſe magis videretur, eius probare ſpiritum decreuit. Occaſionem igitur nactus, quod is coram ſe minus decēter expuiſſet, cœpit eum acriùs obiurgare; iratumque ſe ſimulans ait: Faceſſe procul hinc inurbane; vbinam gentium educatus es? & mox calceo detracto

ictum

ictum capiti infigere minatur. At ille conſueta vultus hilaritate, audit, tacet. Porro ſenior, cuius non intererat, vtpote melancholicus grauiſſimè rem accepit. Philippus verò haud vna contentus increpatione; Exue, ſubdit, pallium, indignus enim es, qui pallio indutus per Vrbem incedas. Libentiſſimè deponam, reſpondit iunior; cùm præſertim prandio ſatis luculento manè exceptus ſim, & frigoris moleſtia non afficiar. Philippus ſe magis iratum ex reſponſo fingens è cubiculo iuuenem expellit, qui omnia æqui bonique conſulens, imperturbatus ſalutat, abit. Vix loco diſceſſerat, cùm Vir Dei illum reuocatum peramanter amplectitur, eique abblanditus, Macte, inquit, animo fili, in hoc hilaritatis ſpiritu permaneas: hac enim via ad perfectionis apicem facilè peruenies, atque ita illum dimiſit.

8 Sed quanquam Pater optimus lætitiam, atque hilaritatem in iuuenibus commẽdaret, futiles tamen iocos, ſalesq; ridiculos, ac ſpiritum quem ipſe ſcurram nuncupabat, quàm maximè aduerſabatur; ſcurrilia enim, aiebat, diuinis immiſſionibus aditum intercludunt, & ſpiritum bonum, ſi quis adeſt, paulatim extinguunt.

9 Operoſos inſuper, & alicui ſemper intentos operi iuniores alumnos cupiebat. Idcirco eos modò cubiculum verrere, modò ſternere lectulum, nunc capſam, vel menſam hinc illuc aſportare, nunc legere interdum Roſariorum globulos filo inſerere, & id genus alia præſtare ſenex prudentiſſimus iubebat; ne vnquam otio torperent, cui vitio infeſtiſſimus extitit.

10 Optabat etiam, vt ij frequentius pœnitentiæ Sacramento, quàm altaris vterentur. Rei duplicem aſſignabat cauſam. Illam in primis; quo enim die Communionis Sacramentum ſumimus, validiores, aiebat a dæmone patimur inſultus, quibus iuuenes, vtpote qui necdum in virtutis propoſito ſunt ſolidè confirmati, plerumque grauiori Sacramento illata iniuria ſuccumbunt. Secundam verò, quoniam eò humiliùs, ac feruentiùs ad cæleſte pabulum accedimus, quo intenſiùs ad illud anhelamus. Quapropter ſi quis fortè è ſuis

crebriùs

crebriùs ſacramentaliter communicandi facultatem expoſceret, reſpondebat: Sitientes, ſitientes venite ad aquas.

11 Bacchanali tempore, quò magis eos a publicis ſpectaculis diuerteret, pias quaſdam ſacrarum hiſtoriarum actiones repræſentari iubebat. Atque hac de cauſa laudabilem illam conſuetudinem ſeptem Vrbis Eccleſias viſitandi, per huiuſmodi tempora ſalubriter induxit.

12 Vt eos etiam ab omni impuritatis labe ſeruaret illæſos, monebat, ne pomeridianis horis in cubiculum ſoli ſe reciperent: ſed in vnum conuenientes, honeſta aliqua confabulatione animum relaxarent; illas potiſſimum aſſerens eſſe horas, quas Propheta regius Dæmonium appellat meridianum. Illud quoque ſeriùs inculcabat, vt veluti a peſte ſibi cauerent, ne quacunque neceſſitudinis coniunctione, vel bonæ indolis prætextu ſe inuicem tangerent, neque ſoli ſimul alicubi verſarentur, præſertim ætate pares, quod inter mares, & fœminas ſeruari exactiſſimè requirebat. Iuueni mos erat cum ſororibus vnà ludere, quod cùm ſemel atque iterum Confeſſario indicaſſet, ab eo eſt admonitus, vt omnino in poſterum abſtineret. At iuuenis bonæ conſcientiæ teſtimonio fretus, quòd Confeſſarius id tantopere inculcaret, offenſus eſt. Iuſſus tamen, vt ſaltem Philippum conſuleret, illi rem explicuit, qui iuuenem interrogat, cuinam facultati det operam? Logicæ, reſpondit. Scito, intulit Philippus, Dæmonem tanquam Logicæ peritiſſimum callidè homines edocere, vt abſtrahant, dicantque fœmina eſt; non ſoror. Acquieuit ille inductioni, & ſubinde omnem prorſus cum ſororibus iocum ſalubriter intermiſit.

Animam agentibus adſiſtit. Cap. VIII.

1 CVm verò quiſpiam è ſuis in morbum incidiſſet, eum ſedulus inuiſebat; ſolitus, vbi primùm in cubiculum intraſſet, rogare adſtantes, vt ſecum parumper orationi vacarent. Quòd ſi grauiùs ægrotaſſent, nunquam

quam ab ijs, niſi vel iam mortuis, vel melius ſe habentibus recedebat.

2 Sebaſtianus molis Adrianæ tibicen, vir probus, ac pius, & Philippi alumnus in morbum incidit, quem mors conſecuta eſt. Huic animam agenti apparuit dæmon ſpecie quadam horribili, ac teterrima, quo ſpectro is plus æquo perterritus in ſalutis deſperationem coniectus exclamat: Heu me miſerum! heu me! iam deſeruit me Deus, iamque perpetuis gehennæ flammis addictus ſum: væ mihi perdito, væ mihi! Cùmque duarum circiter horarum ſpatio hunc in modum anxius conqueſtus eſſet, neque vllam ab vllo conſolationem admitteret, Parochum aduocant, quem quidem ægrotus nec videre, nec audire vllatenus voluit, ſed ſe perditum aſſerens, neque ipſimet Parocho habere fidem conteſtabatur; Quapropter domeſtici re conterriti Philippum acceſſunt: qui cito aduolans, ſtatim ac in iacentis cubiculo locat pedem: Quid rerum ait, quid rerum? ne dubites. In ſpem illico is erectus altiùs inclamat: Pater Philippus dæmones expellit, fugiunt dæmones, eoſque expellit Philippus. O miram Philippi virtutem! Viuat Chriſtus, viuat Philippus, per quem ſum ab inferis reuocatus, viuat Oratorium; atque interim exhilaratus ſacras decantabat laudes, ac denique protenſis manibus, in hæc verba prorupit: En Angeli, en Archangeli, ſinguloſque choros enumerans, in peruigilio S. Michaelis Archangeli menſe Septembri, in complexibus ſancti Parentis animam pijſſimè reddidit.

3 Perſianus Roſa Philippo a confeſſionibus, cùm grauiſſimè & ipſe decumberet, grauiſſimos itidem a dæmone patiebatur inſultus; quamobrem inter huiuſmodi tentationum conflictus dicebat: Tu iudica me Deus, tu diſcerne cauſam meam, lectuloque inſidens huc, atque illuc præ timore iactabat ſeſe. Accedit interim Philippus, quem Perſianus intuens, Sancte, inquit, Philippe ora pro me, ſubdens: Expelle quæſo ô ſerue Dei canem illum aſpectu teterrimum irruentem in me, ne deuorer. Ille confeſtim in genua procumbens adſtantes ſecum orare iubet, Vix poplitem inflexerat, cùm

protinus Perſianus vocem tollit: Deo gratias,canis abit, fugit canis, ecce in limine ſtat. Tum Philippus ab oratione conſurgens, luſtrali aqua ægrotum pariter, & cubiculum aſpergit, fugatoque dæmone, is lætus, atque hilaris die poſtero animam efflat.

4 Gabriel Tana Mutinenſis inter aulicos Cardinalis Politiani, atque e primis beati Parentis alumnis, qui bis in hebdomada ſe culpis expiabat, & communionis Sacramento reficiebat, annum agens decimum ſupra octauum lethalem in morbum incidit. Cùmque viginti circiter dies ægrotaſſet, animamque iam ageret, malo inſtigante dæmone, ingenti recuperandæ valetudinis deſiderio æſtuare cœpit. Philippus igitur, qui ægrotantem quotidie inuiſebat, eum quomodo ſe habeat interrogat,ad quem is: Benè admodum Pater,quòd perſuaſum mihi habeo certè futurum, vt ex hoc morbo conualeſcam. Cui Philippus eius præuidens obitum, da mihi, inquit, fili velle, nolleque tuum, quòd ſi tentator accedat, reſpondeas: Velle vtique meum, meumq; nolle haud amplius apud me eſt, ſed apud Chriſtum; paruit Gábriel, & Philippus receſſit. Peracto Sacro ad ægrotum reuertitur, illumque animi ſententiam immutaſſe reperit; ita ut qui paulò ante nimia viuendi cupiditate flagrabat, iam diceret cum Apoſtolo, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto: & Crucifixi imagine pectori admota,eamque exoſculans,adſtantes hortabatur, vt inanem ſeculi fucum contemnerent: Credite,inquiens vitam faſtidio, cælum ſuſpiro; roga igitur Pater, vt optatis annuat Deus,& quintam ante noctis horam ad Chriſtum aduolem. Procul dubio, ſubdit Pater, quod optas conſequeris; id tamen te admonitum velim,quamplurimas tibi dæmonem moliri inſidias; easque ei ſingulas enumerauit; atque his dictis receſſit, vt orationi inſiſteret. Hora vix elapſa poſt Philippi diſceſſum, ecce tibi infeſtiſſimus hoſtis,qui iuuenem de meritorum ſuorum præſumptione ſolicitat. Id rei extitit ſignum. Litaniæ, vt moris eſt pro animam agentibus recitabantur; dumque ad ea deuentum eſt verba: A mala morte libera eum Domine: ſubridens Gabriel, caputque agitans: Vah, inquit,

quit, haud poteſt malè mori,qui Chriſtum in corde gerit., ſed illico vafri dæmonis inſidias depræhendens: Fundite quæſo, inquit, ad Chriſtum preces,nam quæ dixi,dæmone ſuggerente dixi. Vix ſe ab huius tentationis telo defenderat, cùm malus hoſtis ſecũdum ingeminat, & ne ſanctiſſimum Ieſu nomen pronunciet,omni ſtudio impedire conatur: quare is inclamat Heu fratres quod maximè cupio, neutiquam exprimere poſſum! Quid illud, inquiunt, num fortè dæmon impedit, ne Ieſu nomen proferas? Annuit ægrotus. Et illi: Ieſum corde teneas; id namque ſatis. In hoc pugnæ conflictu laborauit plurimum, ita vt præ animi anxietate, & corporis agitatione totus in ſudorem abiret. Philippum ergo accerſunt, qui accedens ſacram Crucifixi imaginem ægro oſtendit, ac dulciſſimum Ieſu nomen ad aurem ſuauiter inſuſurrat, quod ille ſæpius liberè expeditèque pro arbitrio repetijt. Non tamen ideo deſtitit ſpiritus nequam: quandoquidem non longè poſt a fidei Catholicæ propoſito abducere conatur, ſuadetque a morbo omnino euaſurum, quod totum æger Philippo narrat; cui: Sperne fili, ſperne iſtiuſmodi diabolicas artes, mecumque dicas: Credo. Crebriùs ille verba profert, ſed ea ſibi proferre non videbatur: quod Philippus aduertens imperat, vt qui aderant ſymbolum recitent Apoſtolorum, quo præſtito, confeſtim omnis illa tentatio euanuit. Aegrotus itaque a certamine recreatus reſumptis viribus, his verbis in hoſtem inſultat: Velis, nolis, impie deſertor, Credo. Denique tentator peſſimus maiori in eum pugna inſurgit, extremoſque adhibet conatus, vt iuuenem in deſperationis barathrum demergat. Horridam ergo ſpeciem aſſumens, aſpectu terribili videndum ſe obijcit ægrotanti. Is terrore perfuſus corpore contremiſcens faciem immutat, contorquet oculos, ac loco ſtare neſciens, anxius vociferatur: Heu me miſerum! heu quot flagitia commiſi! Expelle Pater, expelle canes illos teterrimos. Ad hæc Philippus laborantis capiti manu impoſita dæmonem ſic alloquitur: Et, ò nequiſſimè, obſiſtere adhuc audes? ocyus faceſſere iubeo, hæ namque manus ſacroſanctum Chriſti corpus hodie manè contrectarunt: ad ægrotum inde

ait: Animos indue fili, mecumque ingemina: Diſcedito a me omnes,qui operamini iniquitatem ; his iterum ac tertiò repetitis, Gabriel exhilaratus exclamat: Canes Philippo imperante fugiunt, eosque digito monſtrans: Nonne videtis, inquit, quanta cum celeritate hinc ſe proripiunt? Vicimus tandem, vicimus, bone Deus. Oculis inde in Crucifixi imaginem conuerſis, tanto cœpit feruoris ſenſu Chriſtum deprecari, vt nemo eorum,qui aderant,a lacrymis temperaret,eandemque imaginem manu arripiens, erectoque capite complura piè admodum verba recenſuit; poſtremò dæmoni inſultans ignauiam exprobat; ſed veritus Philippus, ne his animi motibus quoquomodo mors acceleraretur: Sile, inquit, ſile iam & quieſce, dæmonem dimittamus. Siluit confeſtim Gabriel, & quoniam adſtantes eum expeditè loquentem audiebant,ad ſequentem vſque diem vitam producturum arbitrabantur, at Philippus: Haud ita erit,inquit: vbi namque è ſitu corporis mouebit ſeſe, ſtatim animam efflabit. Vix ſemihora tranſacta, ſe in latus dexterum vertit, ac ſanctiſſimum Ieſu nomen enuncians exſpirat. ſed de Tana fortaſſe nimis.

66 Iacobus Marmita, memorato Cardinali a ſecretis, vir prudentia, eruditione, ac pietate inſignis, Philippoque intimè charus, cùm ægrotans in extrema vitæ periodo verſaretur, ac pro humanæ carnis conditione mortem expaueſceret, de vi morbi plus quàm par eſſet conquerebatur. Philippus porrò, qui laboranti adſtabat, ſic eum altiori voce affatur: Confide, Deique inuocato præſidio, dic: Deus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, ſubijcit tum ægrotus: Quæ Pater inuenerunt nos nimis, quod audiens confeſtim ſe dedit in preces; neque diutius orationem protraxit, cùm Marmita, mirum in modum corroboratus, placidiſſimè animam reddidit.

67 Nicolaus Lilius, Congregationis presbyter, cùm vltimos penè ſpiritus inhalaret, & acerrimè cum dæmone confligaretur, ſic egit de aduerſario triumphum. Ea in cellula, de qua ſupra meminimus,Sacrum faciebat Philippus; dumq; feruentiùs orat, en repente ſuper triclinij fornicem ingentes

audiun-

audiuntur ſtrepitus,non aliter, ac ſi pergrandes hac illac lapides raptarentur. Philippus, qui ſolus in ſacello remanſerat, Petrum Conſolinum aduocat: Abi, inquit, & quid Nicolao obtigerit, renuntia: nec mora, ægrotum reperit iunctis in cælum manibus ſæpius hæc iterantem: Gratias agamus Domino Deo noſtro: acceſſit, receſſit, victus eſt. Tum Conſolinus cuncta Philippo retulit, qui more ſuo dixit: Sat eſt, & confeſtim ad Nicolaum properat, quem ipſe defixo in eum obtutu, amantius alloquens ait: Ah Pater, cur non mihi cognitus antehac? cur Pater tam ſerò? Innuit his verbis ſe inter pugnę conflictum optimè expertum eſſe quanta apud Deum gratia,atque auctoritate Philippus exiſteret. Fuit Lilius natione Gallus, ſuimet deſpicientia admirabilis, ab omni terrenarum rerum cupiditate, & ſuorum affectu, quam qui maximè alienus: ita vt eorum redditas ſibi literas, non lectas in ignem conijceret. In confeſſionibus excipiendis ſummæ patientiæ, qui mortis ſibi diem prænuntians viginti in Congregatione conſumptis annis è vita migrauit. Sancto Parenti noſtro vnicè charus, tantæque apud illum exiſtimationis, vt eius ſarcinulas in miræ ipſius probitatis teſtimonium Reliqniarum loco detinuerit.

8.9 Carolus Mazzæus Philippi itidem in Chriſto filius, ad mortis confinia perductus,grauiſſimos & ipſe a dæmone pertulit tentationum inſultus: malus enim angelus ægrotanti ſe videndum obtulit, vt in deſperationis barathrum hominem conijceret, & quicquid mali geſſerat ob mentis oculos obijciebat,cui id tantum bis ęgrotus:Appello Philippũ,& continuo dæmon euanuit. Carolus autem placidè admodum non multo poſt diem clauſit.Huius animam ad ſuperos euolaſſe idemmet Philidpus aſſeruit, futurum planè conteſtatus, vt ſi æger diutius cum ſatana diſceptaſſet, facilè in fraudem aliquam incidiſſet. Iam ſatis innotuerat, dæmones cum primum Vir Deo plenus pedem in ægrotantium cubiculum intuliſſet, diceretque: Quisnam adeſt? protinus ſe in fugam proripere; quamobrem plerique animam agentes Philippum accerſebant.

10 Verùm non ſolum ſenex optimus erga notos, & amicitia coniunctos, ſed etiam erga eos, qui ſibi aduerſarentur hæc charitatis officia proſequebatur. Infenſiſſimum inter alios patiebatur hominem, quem inuiſere non licebat. Philippus ergo die quodam peracto Sacro, & in ſacrarium reuerſus ait: Inter celebrandum ad fundendas preces pro N. admodum obſtrictum me ſenſi. Compertumque eſt ea, qua Philippus celebrabat hora, hominem lecto decubuiſſe, ex quo morbo poſtea deceſſit. Hunc tanto benignitatis affectu proſecutus fuerat Vir ſanctus, vt ſi quando contigiſſet de eo ſermonem haberi, lacrymas ex commiſeratione effunderet.

11 Poſtremò ad rem duo præmonere conſueuerat; alterum vi potius orationis, quàm verborum copia in extremis conſtitutos adiuuandos eſſe; alterum de ægrotantium ſanitate recuperanda, vel morte obeunda non facilè promendas eſſe ſententias. Noſſe ſe nonnullos aiebat, qui grauiſſimè tulerunt eos, quos morituros edixerant, ſanitatem recuperaſſe.

Afflictos erigit. Cap. IX.

1 PRæter accuratam, quam Philippus in iuuandis corpore ægrotis diligentiam adhibuit, anxios quoque animo, varijsq; preſſos tentationibus miris ſanè modis erigebat.

2 Marcello Bencio Politiano, grauiſſimum imminebat peccandi periculum. Confeſſarius hortatur, vt remedium a Philippo perquirat. Is ergo dum Viro Dei rem totam enarrat, vix ad finem ſermonem perduxit, cum ab omnibus animi perturbationibus ſe liberum omnino ſenſit.

3 Antonius Fantinius, vir planè probus, ac pius, qui mercatura ſibi victum comparabat, atque ad triginta, & amplius annos ferè quotidie ſancto Parenti peccata confeſſus fuerat, cum iuniorem duxiſſet vxorem, quendam viri nobilis famulum ob nonnullas inuſtas honori ſuo iniurias audacter increpat, mortemque intentat. At famulo non deſiſtente, homini cruentas manus inferre ſtatuit. Poſt triduum,

feſto recurrente die ex more culpas expiaturus, Philippum adit, eique contumelias ſibi illatas ediſſerit; necnon famuli interficiendi conſilium aperit, cui impoſita manu, id ſolùm pius Pater enunciat: Vade, vix dixerat, cùm protinùs omne homicidij perpetrandi propoſitum euanuit; quin, mirum dictu! haud vnquam in poſterum famulus ille prope fœminæ domicilium iter habere auſus eſt.

4 Certus iuuenis, qui nuper peccata confitendi gratia Philippo adhæſerat, ad illatæ ſibi iniuriæ offenſam condonandam induci nullatenus poterat, & quamuis Pater diuerſis vteretur argumentis, vt eum a pertinacis animi ſententia dimoueret, in dies tamen obſtinatior euadebat. Tandem aliquando Philippus Crucifixi imagine correpta, ac ſpiritus feruore concepto: Reſpice huc, dixit, infelix, & quem pro te ſanguinem Chriſtus effudit intuere, qui crucifigentibus non modò pepercit, ſed ijs etiam a Patre indulgentiam eflagitauit. Procumbe ergo in genua; interim verba profert, quæ cordis eius duritiem egregiè exprimebant; ad quæ iuuenis genuflexo obmutuit; paulò poſt ex improuiſo exurgit: Paratum cor meum, inquit, paratum cor meum Pater, omnem prorſus iniuriam remitto; iube quid faciam; atque ita pius Pater, ac prudens filium lucrifecit.

5 Petrus Focilius, de quo alibi acerrimè a Philippo obiurgatur, quod negotium ſæpius ei commiſſum ex negligentia non expleuerat: rem is iniquè tulit, ſecumque ipſe muſſitare cœpit: vah quid hoc? an nullus præter ipſum in Vrbe Confeſſarius? receſſit ergo, aliumque nactus Sacerdotem peccata confeſſurus adit, quod vbi primùm egit, tanto affectus eſt mœrore, vt exinde nullus ei eſſet quietis, & tranquillitatis locus. Philippus qui rem totam optimè norat, triduo elapſo per nuntium hominem aduocat, qui vel ex hoc vno, quod ſe accerſiri audit, in priſtinam animi tranquillitatem ſentit ſe reſtitutum; atque illico ad Patrem exhilaratus accurrens, Senem ſanctum intuitus, totum ſe in lacrymas dedit. Philippus verò caput eius, vti ſolebat, pectori ſuo admouens, inobedientiæ vitium quàm ſuauiſſimè inſimulat; cui Petrus: Nun-

quam Pater, nunquam omnino fiet, vt poſthac me inobedientiæ vitio redarguas: ex animo quippe polliceor, qualem me verbis, me tibi talem & opere exhibiturum. Hisque dictis omnis planè tentatio abſceſſit.

6 Mulier quatuor ferè menſes grauiſſima tentatione angebatur, Confeſſarius ſuadet, vt quam patiebatur animi moleſtiam, Philippo aperiat; paret, cui is: O mulierem ſanè afflictam! tanta enim vreris tentatione, vt vix fortaſſe quiſpiam tentari vehementiùs queat; quibus illa obſtupeſcēs,quòd cordis ſui prænouiſſet arcana(nulli enim rem detexerat) ſupplex ante ipſum procumbit. is capiti manu impoſita, totusque de more contremiſcens ait: Confide filia, nunc mihi Sacrum celebrandum eſt, orabo pro te, & ecce quo ille temporis momento abit, mulier confeſtim ab omni ſe tentatione liberam reperit.

7 Mutius Achilleus Septempedanus animaduertens, dū Viro Dei peccata confiteretur,cordis ſui ſecreta ei patere, ſic illum exinde coluit,vt in patriam reuerſus,nihil ferè arduum ageret, quin priùs per literas eum conſuleret; immo tam magna de ipſius ſanctitate conceperat,vt eius ſe precibus cōmendaret, ac ſi iam mortuus in Sanctorum numerum relatus eſſet;nec ſpes irrita,cùm ſemel enim ad Vrbē è patria veniret, alta è rupe in Tyberim prolapſus Philippi ope ex animo implorata, ſtatim in tuto ſe poſitum deprehendit. Teſtatur is quotieſcunque ad illum mente dumtaxat confugeret, ab omni tentationis impetu releuari; quemadmodum alij ſola manus impoſitione, & nonnulli ſolo eius nomine inuocato,a tentationibus ſe liberatos affirmant.

8 Verùm enim verò non ſolùm in ijs, quæ ad animæ ſalutem pertinent, ſed in curis etiam ſecularibus, mundique negotijs egentibus opem ferebat. Iulius Petrutius nobilis Senenſis, ſanctoque Carolo familiaris Philippi noſtri ſanctimoniam celebrari inaudiens, cùm in magna rerum ſuarum ſollicitudine verſaretur, ipſum adit,ſperans omnino fore, vt ſibi auxilium ſuppeditaret, nec fides eum fefellit, nam ſtatim atque animi ſui perturbationem narrat, ſe ab illa prorſus libe-

rum

rum reperit, ex quo ipſius imperium ſubiens, ab eo deinceps nunquam receſſit: quinimmo ad ſupremum vſque ſenium pijs in Oratorij operibus perſeuerans, optimum ſodalibus virtutis exemplum reliquit.

9 Bernardinus Cotta, & Gherardus Caraccius pro aromataria Pontificia obtinenda ad necem vſque certabant. Quamobrem Antonia Gherardi ſoror ad ſanctum Virum confugiens, ſingillatim cuncta exponit, qui vt ei mos erat: Sat eſt, reſpondit: vade, ne dubites, Sacrum faciam, orabo pro te. Illi Miſſam celebranti adſtat mulier, ac domum inde reuerſa, omnem comperit controuerſiam inter fratrem, & aduerſarium amicè compoſitam, germanumque aromatariam obtinuiſſe, quod totum Philippi orationibus acceptum retulit.

10 Ioannes Baptiſta Magnanus ingentem pecuniæ vim in alea perdiderat, ex quo præ dolore animum ferè deſponderat. Cùm itaque inter ambulandum in Philippum incidiſſet, Vir ſanctus etſi nunquam ex facie cognitum, illum peramanter dextera apprehenſum, Caue, inquit, ne deſperes, confitere culpas, auxiliabitur Deus; hominem igitur ad ſancti Hieronymi eccleſiam deducens, ſtatim atque eius confeſſionem excepit, manu capiti impoſita priſtinæ cordis lætitiæ, ac mentis tranquillitati illum reſtituit. Quapropter is mente repetens, quæ ſibi obtigerant occurrentibus quibuſcunque Philippus verè magnus, Philippus verè ſanctus iterabat.

11 Boethius Iuncta Senogallienſis grauiſſima, & ipſe ſauciatus cura, ad templum S. Hieronymi peccata expiaturus ſe contulerat. Cùmque ibi Philippum inſidentem vidiſſet, prouolutus in genua, ſalutari crucis ſigno ſe muniens confeſſionem peccatorum aggreditur. Tum Vir Dei ſublatis in cælum oculis ait: Hæc quidem anima maxima in tribulatione verſatur; his dumtaxat enunciatis, rem miram! Boethius ab omnibus moleſtijs, angoribuſque abducitur.

12 Bartholomæus Manticus, Clericus Romanus, qui Baronio in recognoſcendis, expurgandiſque Typographorum erratis circa Annales Eccleſiaſticos inſeruiebat, cùm ſibi relatum

tum

tum eſſet, genitorem ſuum in latrones incidiſſe, mœrore confectus ad ſanctum Virum ſe contulit, eique grauiſſimum genitoris infortunium enarrat; cui, Ne dubites, inquit, nihil omnino mali patri tuo eueniet. Attamen die inſequenti clericus Philippo ſignificat, latrones necem parenti interminatos, niſi aureis mille, & quingentis redemiſſet ſeſe. Quæ audiens Philippus, hominem commiſeratus: Abeas ad Capucinorum familiam ſubijcit, atque imminens parentis tui periculum pijs eorum orationibus commendato. Res, ait Manticus, eorum precibus iam ſatis commendata eſt. Quid moraris? ſubdit ille; Deus namque, qui nouit ſolari ſuos, parentem tibi procul dubio incolumem reddet. Quid plura? paucis poſt diebus Mantico renunciatum eſt per literas, patrem ſuum mirabili quodam modo a latronibus liberum euaſiſſe.

13 Fœmina ſereniſſimis orta natalibus, cùm circa clauſtralis vitæ rationem, quam profeſſa fuerat ſummis angeretur anguſtijs, per ſolam Philippi epiſtolam tantum hauſit ſolatium, vt de ſui ſtatus conditione planè contentam ſe in poſterùm affirmaret, nec cum quauis terrarum orbis Regina conditionem ſuam commutaturam.

14 Prudentia Diaz Romana non infimæ nobilitatis matrona, grauiſſimo & ipſa oppreſſa curarum æſtu eò deuenerat, vt nec legere, nec vlla ratione orare iam poſſet, & quod ægrè magis ferebat, nullam a Confeſſario impertitam conſolationem admittebat. Confeſſarij igitur conſilio Philippum adit, ac priuſquam vllum proferat verbum; ſingula quæ ipſa animo conceperat, ille exponit; deinde vero dextera capiti impoſita, pias nonnullas oratiunculas ſubmurmurat, & ſigno Crucis munitam dimittit. Vix hæc Sanctus peregerat, cùm mulier gaudio delibuta receſſit.

15 Idem ferè contigit Liuiæ Veſtriæ Vrſinæ, pijſſimæ fœminæ, quæ pariter vt ſuis leuaretur mœroribus ad Philippum miſſa, vix animi moleſtias, quibus ad ſex menſes affli-ctabatur expoſuit; cùm hoc ſolo verbo a Chriſti famulo pronunciato, Nihil eſt, non ſolùm in præſens, ſed toto etiam vitæ tempore ſe omnis perturbationis expertem ſenſit.

Camil-

16. 17 Camillo Pamphilio, qui noctem integram arduum quoddam negotium in ſomnis mente agitarat; cum prima effulſiſſet dies adeunti Philippum, his dumtaxat verbis: Hac nocte apud te fui, vt tibi leuamento eſſem, omnis animi perturbatio ſublata eſt. Is Innocentij Decimi hodie vniuerſalis Eccleſiæ feliciter clauum tenentis Pater extitit. Demum Hieronymus Pamphilius, S.R.E. Cardinalis, & Camilli germanus frater, hoc de venerando Sene teſtatum reliquit: In meis omnibus negotijs, animiq; perturbationibus ſtatim atq; ad eius preces, cõſiliumq; confugeram, a cunctis moleſtijs exonerabar, ita vt quoties ipſe pro me oraſſet, nihil prorſus extimeſcerem.

Animi ſcrupulos eximit. Cap. X.

1. 2 SIngularis extitit Philippus in depellendis ſcrupulis dubijſq; animorum æſtibus compeſcendis, id quod optimè comprobabunt, quæ mox apponemus exempla. Nobilis Romanus certis de cauſis in cœnobium S. Gregorij ad cliuum Scauri ſe receperat; qui cum mortui cadauer ad illam Eccleſiam ſepulturæ inferendum deportaretur, feretrumque ſequeretur energumenus, perſolutis in eccleſia exequijs, cœpit curioſa auiditate ductus arreptitium de quibuſdam interrogare, quem cum fuſius allocutus eſſet, is terribili vultu, horridaque voce: Tu quoque, intonat; obſeſſus es. Ad hæc vir eo eſt timore correptus, vt veritus ne verè a dæmone teneretur, presbytero quantocyus accerſito, ſacros ſibi exorciſmos recitandos curauerit, atq; ab exorciſta ſubinde de nomine adiuratus, varia dab[illegible]t nomina dęmonum, adeo vt a multis reuera energumenus haberetur. Verùm quoniam continua exorciſmorum repetitione vis ægritudinis grauius inualeſcebat, quatuor idcircò medicis in Vrbe primarijs curandum ſe dedit, cui quo plura propinabant medicamentorum pharmaca, eo magis augebatur morbus: eaque tandem affectus eſt corporis macie, vt pellis iam oſſibus hęreret. Miſſis itaque medicis, cum ſemel domum Turris ſpeculorum adiret, ac moniali ætate maturæ, quæ ſibi neceſſitudine

dine

dine coniuncta erat, omnem ægritudinis ſeriem enarraſſet, admonitus eſt, vt Philippum, qui tunc in Vallicella morabatur, conſuleret, ſed cum æger timidior eſſet, nec ſe ad ſanctum virum conferre auderet; illa Philippum enixius rogat, vt, ni graue foret, iuuenem pro ſua humanitate conueniat, qui vltro ſuauiſſimè accedens palam edicit, illum ab immundo ſpiritu neutiquam obſideri; immo præcipit, vt ipſe vnà cum Gallonio, quem ſocium ſecum duxerat, aliquantiſper ad mœrorem leuandum cantet, ac facetijs indulgeat. Inſuper monet, vt deinceps ad Vallicellam crebrò ſe conferat. Iuuenis quam libentiſſimè paret, & ſenex optimus eum blandè ſuſcipiens caput eius ſuo pectori admouens, quomodo tum valeat, interrogat, cui conualuiſſe reſpondit. Deinde Philippus hortatur, vt generali peccatorum confeſſione conſcientiam exoneret, quod ille quantocyus exequitur, & in poſterum quotidie Philippum adire cœpit, factumque eſt, vt frequenti dumtaxat optimi ſenis conſuetudine dimiſſis medicorum pharmacis, ac presbyterorum exorciſmis, plenam omnino corporis valetudinem ſit cōſecutus. At verò prætereundum non eſt, quod dum iuuenis generali ſe culparum confeſſione emundat, ac defixam illam cogitationem excutere non poſſet, ſe nimirum dæmone correptum, apud Philippum inſtat, vt ſacros erga ſe exorciſmos ipſemet adhibere dignetur, cui Pater: Ne quid dubites, inquit, ipſe quidem noctu exorciſmis tecum ago. Acquieuit iuuenis, & nocte quadam dormiens ſibi viſus eſt ingentem dęmonum cateruam ex ore eijcere; atque in poſterum vitam a moleſtiſſimis huiuſcemodi animi perturbationibus planè liberam traduxit.

3 Dominicus Saracenus celeberrimus in Vrbe medicus teterrima quadam ægritudine inuolutus, ac ferè omnia artis remedia expertus, in ſpem certam venit, ſe tantummodo Philippi meritis ſanitatem conſecuturum. Ad ipſum itaque medicus pro medicina accurrit, cui Philippus more ſuo dixit: Ne dubites, conualeſces: hoc vno, nullo amplius adhibito medicamento, penitus ab importuna mentis anxietate conualuit. Idem penè accidit inter aulæ Romanæ proceres nobi-

liſſimo viro, qui cùm triſtitia contabeſceret, hoc tantum verbo: Ne deſperes, priſtinæ incolumitati redditus es.

4.5 Non minus admirabilis extitit Philippus in remouendis moleſtiſſimis quibuſdam affectibus, nimiam redolentibus religionem, quos ſcrupulos vulgo vocamus. Iulianus etenim Fuſcherius è presbyteris in ædibus S. Hieronymi a charitate, integerrimæ vitæ Sacerdos quendam nactus erat pœnitentem, qui huiuſmodi animi angoribus vſque adeo diſcruciabatur, vt iam ſacramentali vti confeſſione nullatenus poſſet. Hunc itaque cùm ſæpe ad plures pios, doctosque viros curandum fruſtra tranſmiſiſſet, conſilium inijt, vt hominem ad Philippum tranſmittat, quem Vir ſanctus fixis oculis primùm intuens;Rem,inquit,omnem optimè noui. A malo impugnaris dæmone; animaduerterat quippe Philippus ex latenti quodam ſuperbiæ ſpiritu pœnitenti huiuſcemodi ſcrupulos obtigiſſe: quamobrem ſic ipſum adſtante Fuſcherio interrogat: Tibine ſatis eſt animi ad ea, quæ peccaſti ambobus ſimul per confeſſionem aperienda? ſuppetit inquit animus. Tum Philippus, Flecte genu ſubijt, culpasque ſingulas incipe confiteri. Peregit pœnitens, & Pater excepta confeſſione, Deoſculare,inquit,terram,vt dæmonem confundas; paruit,& continuò mentis tranquillitati reſtitutus ſcrupulisq; omnibus expeditus, ſine vlla deinceps difficultate peccata confeſſus eſt.

6 Federicus Cardinalis Borromæus teſtatur, virum, qui inter recitandum horas canonicas ſcrupulis quampluribus iactabatur, & quotidie labebatur in deterius, ad Philippum confugiſſe,vt infirmitati remedium adhiberet. Cui ille:Vade, rogabo. Domum is reuerſus ſine vllo impedimento officium recitat, neque amplius moleſtis his perturbationibus afficitur.

7 Multa præterea Vir prudens hoc morbo laborantibus ſuppeditabat remedia. Illud aſſeuerabat in primis,hominibus iſtiuſmodi, cum ſemel comperiſſent ſe non præbuiſſe conſenſum, haud eſſe vlterius de conſenſu diſquirendum: nam eadem nimium menti recogitata altiùs defigi ſolent. In digno-

dignoſcendo vero voluntatis aſſenſu, duo præcipuè animaduertenda proponebat: alterum, vt quis ſecum ipſe ſeriò reputaret, num tentationis tempore virtutis oppoſitæ amorem retinuerit; ſi enim talis amor non defuit, pro certo haberet ſe nullum quoque præſtitiſſe conſenſum; alterum num ſe aſſenſiſſe iuramento firmaret, nam ſi fortè neutiquam iuraturum aſſeret; nullum ſe pariter præſtitiſſe conſenſum quàm certiſſimè crederet. Præterea ad generale illud remedium ab expertis, doctisque viris hac in re ſolitum adhiberi, iudicio videlicet prudentis Confeſſarij in omnibus eſſe penitus acquieſcendum; peculiare quoddam aliud afferebat, moleſtas huiuſcemodi perturbationes omnino negligendas: neque frequenter, ac facilè ad pœnitentiæ forum reuocandas. Quare quotieſcunque ipſe pœnitentibus inter confitendum ſuboriri ſcrupulos animaduertebat; vt vel etiam inconfeſſi ad Euchariſtiæ Sacramentum accederent, imperabat. Tandem communi illo axiomate concludebat, id morbi genus facere quandoque inducias; ſed ad tranquillam animi pacem, niſi humilitatis remedio non perueniri.

8 Ceterùm non ſolùm Philippi verba, & monita mentis iactationes ſopiebant, ſed etiam eius ſacræ manus, vel ipſo tactu, leuamento erant, ac ſolatio. Tiberius Ricciardellus, de quo alibi, aſſerit, quotieſcunque ſibi Philippus leuiter capillos vellicaſſet, continuò ſe cordis hilaritatem recuperaſſe, & Cæſar Cardinalis Baronius, ſe quàm maximè releuatum, cùm iunior a beato Viro colaphis impeteretur. Octauius Cardinalis Bandinus gloriatur ſibi olim adoleſcenti alapã a Dei famulo impactam eſſe: & Franciſcus Puccius Præneſtinus affirmat quotieſcunque eius capiti manum Philippus impoſuiſſet, ſibi toties viſum cor intra pectus exilijſſe. Idem ferè teſtantur reliqui omnes, quorum confeſſiones ex more excipiebat.

9 Peregrinus Altobellus apud eccleſiam S. Marci Romæ Canonicus, diuelli ab eo vix poterat: nam ſtatim atque cum eo erat, conſolationibus circumfluebat, cùmq; ſemel Vir Dei ſibi ipſi obuiam factus diceret, Quid hîc agis ſancte Peregrine? is illico tanto perfuſus eſt gaudio, vt præ ſpiritus dulcedi-

ne,

ne quodammodo ebrius, quò tenderet penitus ignoraret. Teſtatur etiam Philippi manus mira ferè ſemper odoris fragrantia redundaſſe.

10 Porro non ſolùm ipſe, eiusve corporis partes, ſed etiam veſtes, res domeſticæ, vtenſilia, quinimmo cubiculum ipſum mirificè recreabant. Qua de re Martius Alterius Romanus Philippi cellam non cellam eſſe dicebat, ſed Paradiſum. Idem affirmat Iulius Benignius Theſſalonicenſis Archiepiſcopus. Federicus Cardinalis Borromæus hoc vno ſat ſibi conſultum putabat, ſi in Philippi cella maneret. Alexander Medices, qui ad Pontificatum euectus Leo XI. eſt appellatus iterum atque iterum in hebdomada ipſum adire conſueuit; vbi apud eum quinque, vel ſex tranſigebat horas, impatiens aliquando, quòd tam cito dies euolaſſet. Fabritius de Maximis, ſi qua curarum ſolicitudine premeretur, ante cubiculi fores immotus perſiſtebat, & hoc dumtaxat omnem mentis perturbationem deponebat. Demum Nerus de Nigris, etiam poſt ſancti Viri obitum, hoc ſibi vnicum inter curas, & moleſtias reperiebat remedium, ſi ad Philippi cellam confugiſſet.

11 Nec præterea defuerunt, qui tantummodo in Philippi faciem intendentes amiſſam recuperarent hilaritatem; etenim Montes Zazzara ſola eius præſentia ſe paſſim leuatum eſſe teſtatur: & Rodulphus Silueſtrius medicus affirmat ſe quo tempore apud Philippum moram trahebat, ſuauiſſima voluptate perfuſum. Sunt quoque qui aſſerant, vel ipſa inter ſomnia Philippum vidiſſe ſingularem ſibi influxiſſe lætitiam.

In eleemoſynis erogandis Liberalitas. Cap. XI.

1 VErùm non ſolum Philippus proximorum animis auxilio erat, ſed & corporalibus ipſorum neceſſitatibus plurimum ſtuduit opitulari. Quandoquidem ægrotantes pauperes inuiſens, illis non modò pecunia, ſed ijs rebus omnibus, quæ ſubleuandæ eorum conducerent valetudini, ſatis commodè prouidebat, quòd ſæpius etiam

non

non interpellatus præſtare ſolitus fuit, & frequenter illorum inopiam diuino inſtinctu prænoſcens, quæ opus erant abundè ſubminiſtrabat.

2 Non rogatus, ſed è cælo edoctus, nonnullis quoties egebant, toties ferebat opem; Antonio enim Fantinio ſexdecim nummos aureos in ſubſidium nihil expoſcenti numerauit, & nobilem quendam ad extremam inopiam redactum, victu ſimiliter ac veſtitu ad longum tempus clam adiuuit. Nec tenues, ſed maximas tum pecuniæ, tum rerum quarumcunque eleemoſynas elargiebatur; nam pretioſam domus ſupellectilem ſibi a primaria fœmina dono tranſmiſſam, pretio venditam, vniuerſam confeſtim in pauperes erogauit.

3 Neque ſingulares perſonas, ſed totas quoque familias paſſim eleemoſynis ſuſtentabat: mulierem enim pauperrimam, & quatuor eius liberos, inſuper & auiam per quadriennium alere non intermiſit, quibus etiam interdum ad viginti nummos aureos plus, minus in ſubſidium erogauit.

4 Vxori Vincentij vulgo Miniatoris, de quo infra, eximię probitatis fœminæ, quæ inter cetera pietatis officia ſacramentaliter quotidie confitebatur: viro nuper orbatæ, & ſex filiorum cura oneratæ victum, atque veſtitum omnem ſubminiſtrauit, ac filiæ quæ religioſæ vitæ ſeſe erat conſecratura, conſuetam vtenſilium omnium ſupellectilem coëmit.

5 Rurſus Gabrieliæ Cortonenſis, quæ & ipſa extitit miræ probitatis fœmina, familiam alendam proprijs ſumptibus perpetuò ſuſcepit, ac filiam eius nubilem proprio ære dotatam in matrimonium collocauit.

6.7.8 Verùm etſi Philippus miſericordiæ ſinum omnibus aperiebat, in puellis præcipuè ſubleuandis operam omnem conferebat. Ioannis Animucciæ neptibus in ſumma rerum egeſtate conſtitutis, ad ſcuta circiter ſexcenta, præter alimenta attribuit. Duabus puellis Florentinis, quæ poſt obitum parentum non ſine caſtitatis diſcrimine Romæ remanſerant, quæ opus erant, cuncta ſuppeditauit: donec vtrique dote liberaliter aſſignata, eas tandem monaſterio concludendas in patriam remiſit. Alteri virgini octoginta nummos

aureos

aureos præſcripſit, quo Monaſterium ingreſſa Deo inſeruiret. Tres alias adoleſcentulas pauperrimas, data pariter dote, in matrimonium collocauit, & ex his vnius viro vltra dotem centum elargitus eſt aureos. Viginti inſuper virgines, quas ſine eius conſilio vidua quædam in vnum collegerat, cum fame perirent, alendas, educandasque ex integro ſuſcepit; quibus ſingulis temporis decurſu, opportunè, aptèque prouidit. Demum adoleſcentulas penè innumeras tum ope, tum conſilio adiuuiſſe confectæ pro ipſius inter Sanctos relatione tabulæ crebro teſtantur: præterquam quod puellarum domus S. Catharinę de Roſa illum auctorem extitiſſe, multorum teſtimonio comprobatur. Et cur hodie in Vrbe eueniſſe credimus, vt quadraginta ferè annis ab eius obitu, tot puellarum numerum ſub ſancti Philippi militare vexillo videamus, niſi propter eius merita, qui tot puellis dum vixit ſubſidio, ac patrocinio extitit?

9 Singulos præterea carceres bis in hebdomada pecunias deferens inuiſebat, & cum ipſe interdum largitioni par non eſſet, ditioribus viris id charitatis officium committebat. Pari itidem ratione ex Cauſidicis multos, & Præſulibus, vt in carceribus detentorum cauſis vel patrocinium impenderent, vel fauore proſequerentur, enixius adhortabatur; pariter in eos, qui iuxta Euangelium illud fodere non valerent, & mendicare erubeſcerent, liberalitatem explicabat: optimè quippe norat, quam graue ſit, ac miſerandum prædiuiti quondam viro, ac nobili, ad extremam inopiam eſſe deuolutum.

10 Certis quibuſdam Religioſorum familijs præter illam quam in dies porrigebat ſtipem, menſtruum quoque aſſignauerat cenſum. Amplius piorum locorum nomina, ad cellæ ſuæ fores ſingillatim deſcripta ſeruabat; ijsque ſæpiſſimè pecunias elargiebatur.

11.12 Adoleſcentibus verò ingenio præditis, qui propter fortunæ tenuitatem ſtudia intermittere cogebantur, non ſolùm victum, & veſtitum impendebat, ſed ijſdem etiam libros coëmere in more poſitum habebat, quibus ad liberalium ar-

tium, aliarumque ſcientiarum facultates capeſſendas indigerent. Ex his duo in literarum ſtudijs adeo profecerunt, vt ad Cardinalatus dignitatem euehi promeruerint. Tandem Antonius Gallonius illud affirmat, neminem vnquam ex egenis, qui ad ipſum acceſſerint, planè vacuum receſſiſſe. Quamobrem nonnulli pecuniam ſancto Viro ſæpe cælitus ſuppeditatam aſſeruerunt.

13 Mirificam hanc Philippi beneficentiam, ſeu potius profuſionem dignatus eſt Deus vel apertiſſimis miraculis comprobare. Noctu enim adhuc laicus cùm ad virum nobilem, ſed pauperrimum panem deferret; intentus quo pacto currum, qui citatiſſimo curſu agebatur, declinaret, in altiſſimam foueam ruit præceps, ſed mox ab Angelo capillis mirabiliter ereptus, ſeruatus eſt incolumis.

14 Eodem ferè tempore Angelus ſub ſpecie pauperis fit ei obuiam, ſtipem efflagitans, cui Philippus quotquot apud ſe habebat nummos hilariter obtulit: ſed Angelus animi alacritate perſpecta, & pecunia reiecta: Quid, inquit, facturus eſſes experiri huc veneram, atque his dictis ab eius oculis euanuit.

15 Ob hanc igitur in pauperes charitatē, & conciliandæ ſalutis animarum ſtudiū, corporū, & animarum Pater ab omnibus dicebatur; & complures poſt eius obitum, ſolùm repetita apud ſe eleemoſynarum memoria, quas ille dum vixit erogauerat; emollito corde, ſe in lacrymas dabant, atque illud a multis conſtanter, palamque repetebatur, nunquam in poſterū charitate, ac beneficentia parem Philippo futurum.

16 Quamobrem Robertus Cardinalis Bellarminus, tum literis, tum vitæ integritate, & probitate conſpicuus, cui ſacra Rituum Congregatio ipſum in Sanctorum ordinem aſſerendi cauſam demandarat, perlectis teſtiū publicis actis, totq; effuſas eleemoſynas intuitus, Ioannem alterum Eleemoſynarium, honoris gratia Philippum noſtrum prædicare non dubitauit.

17 Mulier, Maria nomine, quo die beata Franciſca Romana Sanctorum catalogo adſcripta fuit, Baſilicam Diui Petri ingreſſa, ſecum ipſa repetens eleemoſynas ſibi a Philippo,

po,dum viueret, præſtitas, defluentibus lacrymis: Quando ne, ait, Pater meus Philippus inter Cælites adnumerabitur? Etenim ſi beata Franciſca lignorum faſces capiti impoſitos per Vrbem circumferebat, vt inopes, ac pauperes frigore obrigentes calefaceret, Pater meus Philippus, vt me fame oppreſſam reficeret, centies panibus onuſtus, & alia id genus edulia deferens, ad me ventitauit. Fœminam hanc Vir Dei orationem, quam dicunt mentalem hoc vno, vt primam videlicet orationis Dominicæ particulam, Pater noſter, intenſius, ac prolixius meditaretur, quàm citiſſimè edocuit.

18 Neque ſolùm pius, & miſericors, ſed etiam valde gratus ac liberalis extitit Philippus. Hieronymus namque Pamphilius S.R.E. Cardinalis: Fuit, inquit, ſanctus Pater, dum viueret, erga quoſcunque homines vel etiam in minimis gratiſſimus, acceptiq; beneficij adeo memor, vt maiora ſemper redderet, quàm reciperet. Marcus Antonius Maſſa ſic etiã ait: Erat, Philippus adeo gratus, vt vix ei quicquam donari aliquando poſſet, quin mutuis officijs continuò plus duplo rependeret: Et mihi, ſubdit, ſemel contigit, vt cùm ei neſcio quid parui momenti dono dediſſem, æneam Crucifixi imaginem maximi valoris ad me protinus dono remiſerit, quam quidem imaginem precioſiſſimæ reliquiæ loco, vt pote quæ è ſanctis eius manibus ad me peruenerat, domi adſeruo. Huc vſque Maſſa.

19 Verùm etſi Philippus tanta in pauperes extitit charitate, haud tamen ferre poterat, vt inopes per templa ſtipem quæritantes vagarentur. Idcirco illum nonnunquam vidiſſes etiam a ſede, in qua ad confeſſiones excipiendas morabatur exſurgere, vt eos ad templi fores amandaret; quemadmodum ſtrepitum etiam omnem, Dei cultui ac debito in Eccleſia ſilentio repugnantem ſedandum, prohibendumque ſtudioſiſſimè curabat.

Tenerrimi cordis eius affectio. Cap. XII.

1 AB ipſa infantia cum Philippo commiſeratio creuit; ex quo ſi quempiam vel mali, vel aduerſi aliquid patientem vidiſſet, non modò id grauiter ferebat, ſed illum etiam oculis intueri præ cordis teneritate vix poterat: quocirca, etſi alioquin pecunias apud ſe habere magnopere auerſabatur, quandoque tamen eorum vſum a ſe prorſus abdicare noluit, vt quotidianis pauperum calamitatibus opem ferret. Audierat olim mulierem ad Eccleſiam non adire, quòd ei veſtis non eſſet; quapropter quàm citiſſimè penulam ſibi detractam ad eam deferri iuſſit. Pueros verò, puellasque ſi laceris, obtritisque veſtibus nonnunquam indutos aſpexiſſet, vt honeſtiùs induerentur, quantocyus curabat.

2 Rurſus ſi quis fortè minus iuſtè in carcere detineri animaduertiſſet, ab interpellando non deſiſtebat, donec eos ab anguſtijs erutos non vidiſſet. Nobilem Romanum, tanquam homicidij reum per iniuriam accuſatum, ſic apud ſummum Pontificem, illius ſuſcepta tutela defendit; vt omninò liberum a calumnia reddiderit; presbyterum quoque, quem innocentem nouerat, grauium delictorum falsò inſimulatum, ab impetentium moleſtia ſeruauit incolumem. Quoſdam pariter ex vagis nempe illis hominibus, quos cingaros Italicè nuncupamus, ad triremes deportandos, infortunium eorum commiſeratus, ſimiliter liberauit. Et Romanum quendam Domicellum aduerſus quem Sixto V. regnante, eius ſubditi Romam dicturi cauſam acceſſerant, ab eorum impetu protexit, ac ſedatis omnium animis gratiam hinc inde conciliauit.

3 Porro erga pauperes presbyteros, ac præſertim alienigenas miſeratione maxima afficiebatur. Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, quo Romæ ſumma extitit annonæ caritas, ſex Philippo panes delati fuerant, quos ille ad presbyterum exterum confeſtim detulit, & paucis ipſe contentus oliuis diem tranſegit. Cur autem ſaltem ſibi

ſibi aliquot ex panibus non reſeruaſſet interrogatus: Quia notior ego in Vrbe, quàm ille, reſpondit, atque facilius erit, vt quis mihi opituletur, quàm extero.

3 Artifices ſeu operarios, qui victum manu, vel arte quærentes, opificia diſtrahere, vel operam conducere nequibant, varios ſubleuandi modos excogitabat. Duo namque in Vrbe fratres, natione Galli in horarijs ex ære fingendis peritiſſimi erant, ſed quoniam ſenuerant, & nubilium puellarum onere premebantur, neque commodè poterant eas nuptui tradere; Vir Dei amicos aliquot bene nummatos hortatus eſt, vt ea opificia ſibi coëmerent, atque ita abunde ſatis congeſta pecunia, puellis de dote prouideretur: quod cùm adnotaſſet aliquando vir quidam ſibi prudens, diuitem nempe primarium ex huiuſmodi horologijs, ſuadente Philippo, complura mercatum eſſe, intra ſe obmurmurans dixit: Vt quid perditio hæc? Attamen vbi comperit pia hac arte diuites a Philippo quodammodo deludi, egentesque ſubleuari, ſcandalum depoſuit, ac beatum Virum deinceps ſummopere eſt veneratus.

5 Quondam ex ijs vnus, qui venale per Vrbem cichorium clamitant, ad Oratorij functiones apud ædes S. Hieronymi acceſſit. Et quoniam tum maximus effluebat imber, & miſer ille, ingruente iam nocte, per vias itare, herbasque ſuas vendere minimè poterat; Vir Dei hominem commiſeratus, ne domum triſtis abiret, partem ex cichorio ipſemet coëmit, partem verò ceteris, qui aderant, vt idem facerent, perſuaſit; atque ita pauperem illum congeſtis nummulis hilarem, lætumque dimiſit.

6.7.8 Ceterum tenerrimum Philippi cor, non modò erga ratione vtentes, ſed etiam erga bruta commiſeratione non parua ſe affici ſentiebat. Pede compreſſerat olim vnus è ſuis lacertam, quod videns ait: Crudelis! quid nam mali illud tibi animalculum intulit? Aliàs lanium inſpexit librata bipenni mortiferum cani vulnus inflixiſſe, quo ipſe aſpectu ad compatiendum permotus, oculos aliò diuertens; Proh, inquit, inhumane! Detulerat ei quidam ex alumnis auiculam, vt

eius aſpectu recrearetur,& cantu; at ille continuò captiuam, commiſeratus, cælo natam, cælo reſtituit. Quando verò, vt aſſolet, conſcendebat currum,aurigam ſemper præmonebat, ne bigam dirigens, bruta obuiantia ex incuria offenderet. Quod ſi aliquando animantia ſibi viua dono darentur, vita priuari neutiquam permittebat, ſed vel donanti remitti, vel domi accuratè enutriri iubebat; domicilium autem vltro ingreſſa, vel per oſtium, vel per feneſtras illæſa dimittere ſolitus erat.

9 Ob huiuſmodi erga bruta animi lenitatem, illud proueniebat (ſic diſponente Deo) vt ipſa manifeſta gratitudinis ſigna ei rependerent. Aloyſius Ames Gallus, binas auiculas, modulatrices optimas, in donum Philippo dedit: quas ea is conditione accepit, vt idem qui dederat, iiſdem quotidie cibum, potumque ſubminiſtraret. Optabat enim vir Dei, hac familiaritatis occaſione, donatorem quoque ad ſe allicere. Ames ergo die quodam ex improuiſo Philippi cubiculum ingreſſus videt ex auiculis alteram è cauea egreſſam ſuper faciem ſancti Parentis volitantem, eiusque aures ſuauiſſimo concentu demulcentem. Interrogat Pater, num ex conſuetudine id præſtet auis? Minimè, reſpondet ille. Tum Philippus rigido admodum vultu, ter quater fugat auem, quæ tamen modò deſilire ad pedes, modò ad verticem deuolare, ſuauesque concentus edere non deſiſtebat. Iubet igitur caueæ oſtiolum apertum auiculæ præſentari, quæ confeſtim, ac ſi iubentis mandatum percepiſſet, caueam ingreditur; ſed his ſimilia permulta conſultò prætermittimus.

Virginitas. Cap. XIII.

1 IAm verò cùm de Philippi charitate, & animi lenitate dicta ſint plura, aliarum virtutum ſeriem enarrare conantibus, primam ſe offert animi puritas, & virginalis candor. Etenim Sanctus, quippe qui optimè norat, quam valde & corporis, & animi integritatem probet Deus, quo primùm tempore ratione vti cœpit,omnem conatum ope-

operamque adhibuit, vt inſurgentes libidinum faces extinqueret; & quamuis per vitæ curriculum ob functiones,in quibus quotidie exercebatur, quamplurima ſibi contra honeſtatem occurrerent; virginitatis tamen florem illibatum perpetuò ſeruauit.

2 Ad quòd comprobandum præter firmum, & graue Cardinalis Baronij teſtimonium, cui nimirum ſanctus ipſe Pater, paulo antequam decederet, multis cum lacrymis ingrati animi ſe accuſans rem aperuerat; & præter id quod Perſianus Roſa aſſeruit, cui Philippus adhuc iuuenis peccata confitebatur; necnon præter vulgatam apud omnes famam, quæ de eiuſdem virginitate, tum Romæ, tum Florentiæ ſemper viguit; id vnum pro multis ſufficiat, quòd Sacra Rituum Congregatio teſtium dictis, atque actorum ordine bene perpenſis, reſponſum dedit, fuiſſe Philippi virginitatem ſatis ſuperque probatam. Non tamen omittendum eſt hanc olim virtutem ab ipſomet Philippo vni ex pœnitentibus inter confitendum indicatam eſſe, vt eum ad pudicitiam alliceret, oſtenderetque non tantum caſtimoniæ puritatem, ſed virgitatem ipſam, quemadmodum ille ſeruauerat, poſſe quidem, Chriſto iuuante, ſeruari.

3 Recondidit ille pretioſiſſimum hunc theſaurum ſub altæ humilitatis præſidio, illumque exactiſſima ſenſuum cuſtodia vſquequaque communiuit. Enim verò magnum in primis Antonium imitatus, haud vnquam permiſit, vt vlla eius corporis pars nudata intuenti pateret: inque nullum præterea verbum, quod minimum quid impudicitiæ redoleret, aliquando prolapſus eſt. Oculos ſic auertit, ne viderent vanitatem, vt pulcherrima tunc fœmina, cuius confeſſiones per triginta annos audierat, teſtata ſit, Philippum nec ſemel quidem in eius faciem oculos intendiſſe. Quo primùm tempore ſubijt Confeſſarij munus, mulieres alloquens, acres ſemper ad eas protendebat vultus, neque cum ijs humanitatem vnquam redolens verbum miſcebat, etſi poſtremis annis ſeuerum hunc agendi morem intermiſerat.

4 Talem, ac tantum immaculatæ pudicitiæ candorem

H 4 cona-

conatus eſt commaculare fœdiſſimus hoſtis. Nocte quadam, adhuc laicus cum neceſſitate compulſus, ad amicum diuertiſſet; mulier, hoſpitis famula, corpore quidem formoſa, ſed animo deformis, opportunum nacta tempus, in cubiculum, vbi Sanctus quieſcebat iuuenis, latenter ſubintrat, vt illum ad peccandum alliciat. Verùm is diuino fretus auxilio, impudentiſſimam illam repulit, ac victoriæ palmam de impuriſſimo dæmone reportauit.

5 Per eadem ferè tempora perditiſſimi quidam, haud reputantes Philippum tanta florere caſtitatis laude, quanta præditum ferebat opinio, ementito quodam honeſtatis prætextu ipſum aduocant, quem in ſecretiori cubiculo, vbi duas nequiſſimas fœminas ad eius pudicitiam labefactandam induxerant, obſeratis callidè oſtijs, includunt. Sed ad vnicum ille orationis præſidium confugiens, eo animi feruore ſe precibus dedit, vt non modò illæ ad eum propius non acceſſerint, ſed nec quidem ipſum alloqui auſæ fuerint.

6 Sacerdos tum inde factus, & cõfeſſionibus excipiendis expoſitus, ſubtiliori arte, & quaſi ex inſidijs pertentatur. Famoſa namque meretrix, Cæſarea nomine famam audiens de Philippi virginitate, formæ elegantia freta ſe ad ſua illum vota perducturam iactitabat. Callidè igitur graui ſimulato morbo, quaſi culpas confeſſura, Philippum accerſit. Verùm is ne pudicitiam in diſcrimen adduceret, primo quidem renuit: nam fœminas adire, & quidem iure merito, ea præſertim ætate ſemper reſpuit. At inſtantiùs interpellatus, quod ſaluti animarum toto pectore inhiabat, ad Cæſareæ domum ſe tandem contulit. Vbi ergo illuc ingreditur, ecce tibi impudentiſſima fœmina, tenuiſſimum ſuper nudo induta velum, ei obuiam prodit, qui doloſas dæmonis fraudes præſentiens, Crucis ſigno ſe muniens terga dat; atque iter per ſcalas arripiens, quàm citiſſimè proſiliuit. Illa deluſam ſe animaduertens, ſcabellum correptum in ipſum toto impetu iacit, vt feriat, ſed incaſſum. Atque ita Chriſti famulus & animæ, & corporis, Dei ope, periculum omne euaſit.

7 Hoc tuendæ caſtitatis propoſitum eo uſque comprobare

bare dignatus eſt Deus; vt exinde nec vllos quidem paſſus fuerit libidinum motus, neque in poſterum nocturnis infeſtaretur, vt accidit, illuſionibus. Quocirca ſic olim affatus eſt Baronium: pro comperto habeas Cæſar, quod ſi mihi per ſomnum quid eiuſmodi contingeret, certè præ dolore morerer. Imò eò deuenerat, vt æquè ac ſi ligneus eſſet, vel lapideus, corpore ſenſuum experte indutus videretur. Quare Gallonius de illius caſtimoniæ dignitate hæc habet: Reor ſanè Philippi virginitatem, ac pudicitiam (erat enim is ſancto Viro maximè familiaris) nihilo prorſus minorem extitiſſe, quam præcipuo Dei munere ſortiti ſunt Eleazarus Ariani Comes, & Simon Salus, quorum encomia apud Surium diſertè celebrat Metaphraſtes; etenim vterque in hominum frequentia conſtitutus Angelorum vitam peregit.

8 Porro ex miro hoc virginitatis nitore miri pariter prouenerunt effectus. In primis namque eximiæ illius pudicitiæ ſplendor ex oculis elucebat, quos a prima ætate vſque ad vltimam ſenectutem claros adeo, fulgentesque retinuit; vt vix vel aliquis fixis eum luminibus intueri, vel vnquam pictor, licet egregius viuidam eorum aciem exprimere potuerit.

9 Inſuper integerrimum Philippi corpus talem, ac tantam odoris fragrantiam ſpirabat, vt ad eum propius accedentes mirificè recrearentur, & permulti ex odoris ſuauitate, quem ipſe e pectore manibusque afflabat pietatis plurimum hauſiſſe teſtentur.

10.11 Fabritius Aragonius nobilis Mantuanus, cùm olim Philippum ſe peccatis expiaturus adiſſet; eumque quòd morbo laboraret, inueniſſet lectulo decumbentem; veritus ne fortè præ ſenectute grauius oleret; ad illum ægrè admodum accedebat: propior tamen factus, cùm ſanctus Vir hominis caput ſuo pectori perhumaniter admouiſſet; tanto ille odore afflatur, vt ſuauiſſimi odoris ſtupore defixus, cui potiſſimum aromati illam fragrantiam tribueret, ignoraret. Sed poſtea intelligens beatum Virum virginitatis munere diuinitus inſignitum: Iam, inquit, rem totam bene comperi, ſuauiſſimus quippe ille odor ex ſuauiſſimo eius virginitatis flore erumpebat.

bat. Idipſum ferme alijs contigit, dum peccatorum abſolutionem reciperent.

12 Verùm id etiam a Deo conſecutus eſt Vir virgo, vt qui pudicitiam colerent, ex odore, qui verò ſecus, ex fœtore dignoſceret. Ideoque ſi qua minus honeſta fœmina inter eundum aliquando occurriſſet, etſi alioquin ignota, is illico fœtorem præſentiens, aut manum, aut linteolum ad nares admouebat, illud edicere ſolitus, nil grauiùs, nil deterius olere impudicitia. Pœnitentibus verò ſordibus huiuſcemodi coinquinatis accedentibus, dicere conſueuerat: Fœtes fili, fœtes: ex quo, qui rem norant, ſi hac impuritatis labe affecti eſſent, ad ipſum accedere nullo modo audebant. Quinimo ad ſolius vultus intuitum impuritatis vitium dignoſcebat, idque illi tam ſolemne fuit, vt etiam in brutis, quamuis culparum expertibus, fœtorem illum aduerteret.

13 Inſuper hoc illi Deus diuinitus conceſſit, vt multos iſtiuſmodi ſenſus incitamentis obnoxios ſola manus impoſitione liberaret; ſola itidem ſui familiaritate complures ad caſtimoniam impellebat; quamplurimos verò hoc vno, quod eos ad pectus admoueret ſuũ, colendæ caſtitatis deſiderio inflammabat; nec non quibuſdam ex rerum dũtaxat, quibus ipſe vtebatur, contactu, in bello tam arduo victoriam conferebat.

14 Antonius Fuccius Tiphernas medicus, de quo ſupra, quoniam, dum fœminis ægrotantibus mederetur, grauiſſimis afficiebatur tentationibus, ſtatuerat, vt animæ ſuæ ſaluti proſpiceret, medicinæ artem intermittere, ſed quoniam vnde commodè viueret non habebat, Philippo rem aperuit, qui viri anxietatem commiſeratus, ligamen quo ſibi caligas obſtringere conſueuerat, ei porrexit: quod Antonius piè ſuſcipiens, illudque apud ſe perpetuò deferens, ab omni in poſterum huiuſmodi tentatione immunis effectus eſt.

15 At quid pluribus immorandum? vnum Philippi nomen improbos excruciabat dæmonas, atque eorundem comprimebat inſultus: etenim ſacris exorciſmis deputati, per ſolam Philippi caſtimoniam, dum energumenos adiurarent, a dæmone non rarò liberarunt.

Vidua

Vidua quædam iunior impuris ſenſuum illecebris maximopere premebatur, cùmque id ſæpenumero confeſſario aperuiſſet, neque vllum perciperet inde leuamen, ad Philippum miſſa, his ab eo verbis remedium reperit: quotieſcunque filia, impudicitiæ ſtimulis agitaris, ſic protinus dæmonem alloquere: Deferam te apud illum, virorum peſſimum, & aſinum Philippum. Paruit mulier, & confeſtim ſe a carnis petulantia liberam ſenſit. Id quod quàm pluribus accidiſſe ferunt, qui pariter iiſdem verbis in dæmonem inſurgentes a tentationibus expediti protinus euaſerunt: monebat tamen vt omni ſimplicitatis, ac fiduciæ ſinceritate illa verba proferrent, nec plus æquo ſecum ipſi ratiocinando differerent; ſatis intelligens quantum expaueſcat dæmon candidam piorum hominum fidem, ac ſimplicitatem.

16 Varijs præterea monitis ad caſtimoniam conſeruandam erudiebat ſuos. In primis confeſſarios præmonebat, ne fœminarum confeſſiones exciperent, niſi qua parte cancelli interponuntur, longiora cum ijs vitarent colloquia, earum facies nunquam data opera aſpicerent, in agendo auſteriores ſe illis oſtenderent, non facilè vllam vel domi, vel ſecretiori conuenirent loco, niſi adiuncto comite, vel maxima vrgente neceſſitate. Quocirca cùm olim certus presbyter eccleſiam ingrederetur, Viro Dei minimè notus, is diuinitus edoctus, derepente hominem aduocans: Non decet, ait, presbyterum, etſi alioquin Sanctum, inter fœminas tam familiariter verſari, id igitur poſthac fac omnino deuites. Obſtupuit ille, neſcius quonam pacto hæc penetrare potuiſſet, cùm præſertim alter alteri eſſet prorſus ignotus. Adhortabatur præterea multarum rerum experientia præditus, ne quiſpiam vel propter ſenium, vel diuturnum exercitæ caſtitatis habitum, de puritate confideret, neque ſe in hoc imitandum proponerent: Mihi enim, aiebat, nonnulla conceſſit Deus, quæ omnibus concedere non conſueuit. Adoleſcentes compendioſis quibuſdam inſtruebat admonitionibus, veluti, vt improborum hominum deuitarent conſuetudinem, ne delicatè nimis corpus enutrirent, ocium omnino fugerent, orationi inſiſterent

rent, ac demum frequentem Sacramentorum vſum,& pœnitentiæ præſertim non intermitterent.

17 Generatim autem Chriſtianam humilitatem, tutiſſimam eſſe pudicitiæ cuſtodem aſſeuerabat. Quapropter, ſi aliquando contingeret, vt quis audiret quempiam in huiuſmodi vitium prolapſum, eum commiſereri potiùs debere, quàm indignari aiebat:qui enim collabenti compati neſcit,ne breui & ipſe prolabatur, etiam atque etiam pertimeſcat, nullum ſubijciens maius imminere periculum, quàm cùm pericula non timentur.

18 Iuuenis, qui in impudicæ fœminæ familiaritate diu verſatus fuerat, iam ad meliorem redierat frugem. Verùm quoniam arbitrabatur ſibi facilè futurum, vt amicam quoque ad Chriſtum reuocaret,ipſam conuenire non eſt veritus, ſed qui conuerſurus acceſſerat, a peruerſa muliere vndequaque deprauatus receſſit: quamobrem relapſus ad Philippum præ verecundia redire non audebat. Accidit tamen, vt ſibi vim faciens aliquando rediret, cùm ecce Philippus ſuos omnes in gyrum diſponens, inter quos & iuuenis aderat, occaſionem nactus ait: Non deſunt inter vos, ò filij, qui ſtatim atque inceperint per viam ſalutis incedere, totum ſe orbem terrarum conuertere poſſe arbitrentur, qui tandem lapſi ad proprium redire confeſſarium erubeſcunt. Expalluit ad hæc iuuenis, ſed Philippus confeſtim (nullo tamen dato ſigno, quod de illo loquebatur) manum capiti eius imponens,blanditijs ſuauiſſimè delinitum, ad priſtinum viuendi morem reuocauit.

19 Admonebat rurſus conferre plurimum ad caſtimoniæ cuſtodiam, cor omne ſuperioribus aperire, neque minimum quid ſilentio inuoluere. Etenim vulnera medico denudata facillimè curantur. Orationes illas iaculatorias, ab antiquis Patribus magnopere comprobatas, hoc eſt, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina,& illam: Cor mundum crea in me Deus; in propellendis eiuſmodi tentationibus, quàm qui maximè commendabat. Ad debellandas denique omnes carnis illecebras ante omnia

Chri-

Chriſtianos milites ad fugam præcipuè hortabatur: dicere ſolitus, in caſtitatis certamine terga vertere, eſt reportare victoriam.

Abſtinentia. Cap. XIV.

1 EDomuit præterea corpus aſſiduo abſtinentiæ rigore, quod eſſe ſolet præcipuum conſeruandæ caſtitatis munimentum: nam ea præter, quæ de illius aſpero viuendi vſu ſupra enarrauimus, ſacerdos iam factus, mane vel cibi nil prorſus, vel panis fruſtulum modico vino perfuſum, idque deambulans, tantummodo comedebat. Sub veſperum autem refectionis loco, acetario, & ouo, vel interdum duobus ad ſummum contentus erat. Panis ei veſpere non afferebatur, ſed buccellæ, quas mane ex ientaculo reliquerat, ſatis erant. Adhibebat tamen pro anni tempore pomum aliquod: lacticinijs ac pulte vix vnquam eſt vſus, piſcibus raro, & longè rarius carnibus veſcebatur: at quamuis tenuis adeo apponeretur menſa, operam tamen dabat, vt ſemper aliquid ſupereſſet.

2 Cùm verò medicorum præcepto melioris ſucci alimonia ſumenda eſſet, ſe nimium ciborum onere pergrauari conquerebatur, & poſtremis vitæ annis ſacro Chriſti corpore refectus ipſum etiam ientaculum intermittebat. Cur ita autem interrogatus, ſe oblitum eſſe protinus reſpondebat.

3 Solus ferè ſemper, & clauſo intus cubiculo, comedebat, vbi mappulam ſcamnulo ſuperponens, nullum penitus famulantis obſequium admittebat. Ad triclinium vnà cum ceteris non accedebat, tum vt abſtinentiæ propoſitum diſſimularet, tum etiam ne ſanitati officeret, vtpote qui tot iam annos apud ędes S. Hieronymi tenuiſſimo victitare cibo conſueuerat.

4 Quod pertinet ad potum, fuit ex vſu abſtinentiſſimus: quandoquidem guttulus quo vtebatur tam paruus erat, vt vnum ſolummodo hauſtum caperet; vinum ſic dilutum potabat, vt potius aquam ſaperet, quàm vinum, & interdum ſola frigida contentus erat.

Ea

5.6 Ea demum abſtinentia fuit, vt communi medicorum ſententia ſolius naturæ ope tandiu viuere neutiquam poſſet; ideoque complures ipſum potius Angelorum pane ſuſtentari, quàm conſueto alimoniæ ſubſidio refici arbitrati ſunt. Verùm etſi ipſe ſeorſim ab alijs tam ſingularē, rigidamque vitam ducebat, ſuos tamen è Congregatione, circa victum aliquid ſingulare habere haudquaquam patiebatur, ſed appoſitis in menſa cibis contentos eſſe volebat, ea verba inter comedendum maximopere ſolitus deteſtari: Hoc placet, hoc diſplicet. Peculiares epulas præter neceſſitatis caſum omnino vetabat; ſpacio inter prandium, & cœnam interiecto, eos cibi aliquid aſſumere ægre ferebat, atque ideo quendam huius culpæ reum ſic olim affatus eſt: Spiritus feruorem haud vnquam acquires, niſi ab huiuſmodi mendo te correxeris.

7 Somno vtebatur breuiſſimo, ad quatuor nempe, vel quinque horas ad ſummum: noctis verò reliquum totum in oratione inſumebat: lectulus, & cella Chriſtianam redolebant ſimplicitatem; non longè tamen differebat ab ijs, quæ in vſu eſſe ſolent apud probos ſecularis vitæ presbyteros: ex conſueto dormitum ibat circa mediam noctem, & quamuis omnium poſtremus cubitum ſe conferret, omnium tamen primus euigilabat.

8 Quod ad veſtitus rationem attinet; illum apud ſe retinuit modum, quem reliqui pariter ſeculares ſacerdotes vſurpare ſolent, veſtibus vtens neque ſplendidis, neque ſordidis; etenim a ſordibus, D. Bernardi ſententiæ inhærendo, ſemper abhorruit, munditiamque coluit, attamen ſerico nunquam eſt vſus.

9 Hanc abſtinentiæ normam, quoad vixit, nunquam deſeruit: immo quo magis in dies procedebat ætate, eo quoque magis de vitæ commodis detrahebat; ſi quis verò illum fortè moneret; vt iam ſibi ſeni conſultum vellet; vel ſermonem aliò diuertebat, vel ſubridens aiebat: Cælum haud patet ignauis.

10 Verùm enim verò, etſi hoc pacto auſterus ſecum ipſe erat, erga ſuos tamen indulgentiſſimus, ac ſuauiſſimus perpetuò

petuò extitit. Quandoquidem ſuadebat, vt cibi pluſculum daretur corpori, quàm minus: commodius namque eſſe dicebat, ex nimia ciborum comeſtione aliquid demere, quàm corpori inedia confecto alimentis prꝺſto eſſe: affirmabat inſuper pios aliquando viros ad nimias corporis afflictationes à dæmonibus induci, vt infirma conſumpti valetudine vel à diuinis tepeſcerent, vel morbo deterriti à via ſalutis recederent; idcirco ſenex prudentiſſimus multo pluris æſtimabat eos, qui carnis petulantiam moderatè compeſcerent, & ſupremas animi partes, ideſt intellectum, ac voluntatem præcipuè inſtruerent, quàm eos, qui nimium corpus afflictarent & de componendis animi motibus aut nihil, vel parum curarent.

Diuitiarum contemptus. Cap. XV.

AD abſtinentiæ virtutem altiſſimum diuitiarum contemptum adiunxit Philippus; etenim etſi paupertatem non vouerat, animum certè omni diuitiarum affectu exutum ſemper retinuit. Itaque præter dimiſſam patrui hereditatem, & præter eam, quam iunior apud Galeottum Caccium, rei familiaris tenuitatem ſeruatam voluit; ad ſacerdotium euectus, atque ad confeſſiones ſuſcipiendas expoſitus, cùm ſæpe à principibus viris multa ſibi aureorum millia liberaliter offerrentur, ab omnibus ſemper conſtanter abſtinuit.

2 Fuerant quondam Viro Dei bona nonnulla apud Caſtrum Francum, Tuſciæ oppidum, vnde maiores originem traxerant, & cùm ab amico enixius ſolicitaretur, vt eadem à poſſeſſoribus non iuſtè detenta recuperaret; Rem gratam facies, reſpondit Philippus, ſi de ijs poſthac ne verbum quidem inieceris.

3 Quo tempore in ædibus D. Hieronymi gratis, & ſine vllo ſtipendio eccleſiæ inſeruiebat, audiens parentem Franciſcum Nerium ex hac vita migraſſe, & Catharinam ſororem, ſe præterito, heredem inſtituiſſe, paternasque idcirco teſtamenti

menti tabulas irritas eſſe; quicquid tamen genitor teſtamento diſpoſuerat, ratum acceptumque habuit, & ſingula ſorori promptè ac liberaliter ceſſit.

4 Ab altera ſororum, ſcilicet Eliſabetha, quæ carebat liberis, per literas ſæpe requiſitus, vt ſe heredem nuncupari pateretur; officioſam hanc eius voluntatem itidem per litteras omnino reſpuit.

5 Per ſexaginta annos,quibus Romę fuit,ne vel rē leuiſſimam a ſuis vnquā accepit. Imò cùm memorata ſoror binas ad eum in beneuolentiæ teſtimonium ſubuculas tranſmiſiſſet, ille tamen nec curam adhibuit, vt ſibi a latore, aliquo ſaltem tempore redderentur.

6 Apud ſanctum Hieronymum, vbi ad triginta tres annos fuit,nudo contentus cubiculo, eam pecuniæ ſummam, quæ a loci moderatoribus ceteris ſacerdotibus perſolui conſueuit,hilariter recuſauit.

7 Quod autem attinet ad legata & teſtamenta,non ignarus eos,qui huiuſcemodi ſe negotijs immiſcent, ſæpenumero, vel offenſæ vel ſuſpicionis anſam ſecularibus præbere, hæc ipſe vſque adeo aduerſabatur, vt quotieſcunque ægrotantes inuiſeret, vbi primùm audijſſet conficiendi teſtamenti mentionem fieri, ab ijs citiſſimè diſcederet, eóſdem vix amplius reuiſurus, niſi iam ſatis rebus ſuis conſuluiſſent.

8 Vincentius Teccoſius, de quo alibi, aureos centum legauerat Philippo, vtenſilibus quibuſdam additis. At Vir Dei teſtatore defuncto, executor ex legatario factus,legatum omne præmortui teſtatoris neptibus dono attribuit.

9 Conſtantius Taſſonius non exiguam pecuniæ vim Philippo reliquerat, ſed cùm huiuſcemodi legati ſchedula fuiſſet ſancto Viro delata,eam in operculi modum per iocum cuidam vaſculo adaptauit, & de pecunia nullum in poſterum verbum fecit.

10 Aegrotabat quondam Proſper Cribellius; cùmque Philippum vnicè diligeret, ex aſſe eum heredem inſtituendi conſilium init.Quod cùm ſubolеuiſſet Philippus, repente ab illo inuiſendo deſtitit. Verùm cùm æger grauius

periclitaretur, ſámque ſacra eſſet vnctione delibutus, pius Pater miſericordia motus, noluit mortis imminente periculo, pœnitenti deeſſe: acceſſit igitur, & Proſper vbi primùm optatum Parentem videt, Ah Pater, exclamat, cur ad me tam ſero accedis? Ad quem ille: Etſi tam ſerus, nihil tamen ex ijs, quæ præſens præſtare potuiſſem, prætermiſi, ſed quoniam Vrbe tota rumor increbuit, tuo me teſtamento heredem nuncupatum, hac prorſus de cauſa tot dies a tua frequentanda domo me continui. Equidem hereditatem tuam nolo, & vt probè noſcas me iſthæc ex toto corde proferre, nunc ad ſancti Petri in Vaticano iter arripio oraturus, vt omnino conualeſcas; quod ſi non conceſſerit Deus, enixius deprecabor, vt illum hunc morbum in me deriuet; atque ita manus ſuas ægrotantis manibus imponens, ſuffuſus lacrymis receſſit. Cúmque Proſper pauliſper obdormiſſet, euigilans ab omni prorſus ægritudine ſe leuatum reperit.

11 Ex huiuſmodi diuitiarum contemptu ardentiſſimum illud paupertatis deſiderium, quo ſemper flagrauit, erupit; nam etſi paupertatis virtutem pro vitæ ſtatu, quem excolebat, omnino exercere non licuit; attamen eius cupiditate ſic intus incenſus fuit, vt hæc ſecum verba frequenter repeteret: Vtinam aliquando daretur, vt victum oſtiatim quærere opus eſſet! Vtinam vel nummo indigerem, & nemo daret! Quàm ſingulari beneficio aſcriberem, ſi in hoſpitali domo vitam finirem! & id genus alia Vir paupertatis amantiſſimus ſæpiſſimè vſurpabat. Quin etiam illud cibi minimum, quo vt diximus veſcebatur, modò ab vno, modò ab altero ex filiolis ſibi dilectis Chriſti nomine emendicabat. Non tamen aſtruimus nihil vnquam rerum ſibi reſeruaſſe Philippum; id namque, & clericorū ſecularium ſtatui, & Congregationis inſtituto aduerſaretur; ſed noſtri dumtaxat conſilij fuit, legentibus oſtendere, ipſum ab omni rerum cupiditate alienum, & virtutis huius ſtudioſiſſimum extitiſſe.

12 Sed cùm ipſe a diuitiarum cupiditate tantopere abhorreret, ſuos etiam diuitias aduerſari maximè cupiebat. Quapropter cùm intellexiſſet, ex ijs vnum cupidè magis,

quàm par eſſet, ſibi certum congeſſiſſe peculium, ita illum affatus eſt: Fili antequam iſtiuſmodi pecunijs animum addixiſſes, ſimillimum Angelo aſpectum præferebas, tuique intuitu admodum afficiebar: at verò nunc vultus in contraria mutatus eſt, & omnis illa oris hilaritas defloruit, faciemque occupauit mœror. Proſpice quæſo quid agas, tibique caueas: ad quæ ille erubuit. Quamobrem mutato conſilio ad cæleſtes ſibi theſauros comparandos omnem operam, atque induſtriam adhibuit.

13 Interrogauit olim Philippus ex alumnis alterum, an pecuniarum deſiderio teneretur? qui ab eo ſe abhorrere reſpondit: Eſto, ita ſit, ſubijcit Philippus, in domum Domini ibimus, quantum enim amoris impenditur creaturis, tantum profectò ſcias ſubtrahi Creatori.

14 Iuueni, qui vt ditior fieret, ac ſibi famam in Vrbe conciliaret, Iurium ciuilium ſtudijs operam dabat, ſuauiſſimè abblandiri Vir Dei cœpit: O te beatum! inquit, nunc ad ſtudia incumbis, mox doctoratus lauream conſequeris: hinc factus Iureconſultus vim argenti maximam comparabis, familiam opibus ac ſplendore amplificabis, & tandem quis deneget te ad maximos dignitatum gradus euolaturum? O te certè beatum! tunc magnus factus me puſillum aſpicere dedignaberis. Exiſtimabat iuuenis hæc ſeriò a ſancto Viro proferri, cùm ille protinus ſibi ipſum pectori admouens, ſic eius auribus inſuſurrat. Sed quid inde! altè adeo vox hæc iuuenis animo hæſit, vt domum reuerſus, id vnum ſecum repeteret, Sed quid inde? quæ cùm defixa cogitatione perpendiſſet, ſtatuit deinceps cæleſtibus dumtaxat diuitijs, honoribuſque comparandis incumbere. Philippi ergo ſe totum curæ committit; in omnibus ab ipſo pendet, eiuſdem famulatui, perinde ac famulus ſe deuouit, ac demum Philippo mortuo in Oratorij Congregationem admittitur. Fuit is Franciſcus Zazzara, maximæ integritatis ſacerdos, probis, magniſque viris apprime charus, & de Congregatione optimè meritus, qui cùm ſibi iniunctam beati Parentis inter Sanctos relationis cauſam ſummo labore, ac ſtudio exſecutus

eſſet

eſſet, eam tandem ad optatiſſimum finem perduxit; cumq; a ſacra Rituum Congregatione approbatum de illo officium, ad libitum recitandum obtinuiſſet, omnibus erga Parentem optimum perſolutis obſequijs, anno milleſimo ſexenteſimo vigeſimo ſexto, ſexto pariter Kalend. Maias, annos natus duos ſupra quinquaginta, in pace quieuit, cui me plurimum debere profiteor.

15 Idem ferè contigit cuidam mercatori, qui maximum argenti pondus coëgiſſe, ac longè maius cumulaturum ſe iactans, eodem vno verbo ei a Philippo ad aures immurmurato, Sed quid inde? repente negotium omne abiecit, ſacriſque initiatus totum diuino ſe cultui mancipauit.

16 Verùm etſi vir Dei ſuos generatim omnes ab auri argentique cupiditate alienos, puroſque cuperet, eos tamen, qui Congregationi nomen adſcripſiſſent, in hoc praecellere maximopere deſiderabat. Itaque ſtatim atque audiendis confeſſionibus deſtinabantur, potiſſimum admonebat, ne quid prorſus pecuniæ ab accedentibus caperent, illud frequenter vſurpare ſolitus: Si animas quæritis, nolite aucupari marſupia, & Apoſtoli ſententiam ſæpiſſimè repetebat: Non veſtra, ſed vos. Nec ſanè de his Confeſſarios ſolummodo cautos, monitoſque volebat, ſed Congregationis reliquos omnes, ne videlicet in teſtamentis condendis ſe vllo vnquam pacto implicarent: haud ignarus quàm facilè ex his oriatur vel ſuſpicio, vel offenſio. Ab auaritiæ ſordibus æquè ac ab exitiali lue ſemper abhorruit, vitium huiuſmodi ferè inſanabile prædicans: ideo aſſerebat faciliùs ad Chriſtum traduci impudicitiæ obnoxios, quàm auaritiæ deditos: qua de cauſa pœnitentibus, quos pecunijs auidiùs inhiare deprehendebat, ſalutaris pœnæ loco, non ieiunia, ſed eleemoſynarum elargitiones iniungebat; dicere ſolitus: Caueat ſibi iunior ab impudicitiæ cœno, & ſenior ab auaritiæ ſordibus, & ſancti erimus. rurſus, Seligite mihi viros decem ab omni prorſus rerū cupiditate alienos, ac totum orbem mihi conuertendum ſuſcipio. Suis è Cōgregatione dicebat: Vos temporalibus vtique bonis Deus augebit, verū cauete, ne auctis fortunis ſpiritū amittatis.

Honores, dignitateſque refugit. Cap. XVI.

1 NEc ſanè minus Pater optimus ſe alienum oſtendit ab honoribus ac dignitatibus, quàm a diuitijs. Annos etenim ſexaginta in Vrbe commoratus, ſolidãq; ſanctitatis opinionẽ adeptus; neque ſolùm apud infimos, priuatoſque, ſed etiam apud Principes viros, ipſoſque Summos Pontifices, ſui tamen contemptum, ac deſpicientiam perpetuò retinuit. Beneficia Eccleſiaſtica, penſiones, vel dignitates, etiam vltro oblatas, recipere nunquam voluit: quinimmo in ijs declinandis, reſpuendiſque eò vſus eſt artificio, vt ferè nullus ipſum aliquando illa reſpuiſſe animaduerterit, & tamen perſpicuum eſt, certòque conſtat ſanctum Virum opulentiſſimos Vrbis canonicatus, & dignitates Epiſcopales, ipſamque Purpuram, vt mox dicturi ſumus, cautè ſimul, ac modeſtè ſæpius declinaſſe.

2 Gregorius XIV cùm adhuc Cardinalis eſſet, Philippũ vnicè diligebat: quapropter cùm nuper ad Pontificatus apicem euectus eſſet, & Chriſti ſeruus ad ſacros eius pedes exoſculandos acceſſiſſet; Pontifex illico in eius amplexus ruens dé promouendo illum ad Cardinalitiam dignitatem ſibi in animo eſſe ſignificauit. At Vir ſanctus Pontificis auribus neſcio quid immurmurans, rem ad iocum detorquens receſſit. Non ideò tamen depulſus eſt Gregorius a ſententiæ ſuæ propoſito, quinimmo paulò poſt certum mittit nuncium, qui idem Philippo confirmet, ac pileum Cardinalitium deferat. Remittit ille nuncium, qui meritas Pontifici gratias agat, nuncietque ſe quo potiſſimum tempore id honoris ſit admiſſurus, Beatitudinem ſuam certiorem facturum. Atque hoc pacto, & Pontificem a ſuſcepto conſilio auocauit, & ſe ab oblatæ dignitatis ſplendore ſubduxit. At verò ne quis putet haud ſeriò, ſed quodammodo per iocum hæc Pontificem egiſſe, idipſum teſtati ſunt, qui Pontificis ſecretiora quæque nouerant, & Philippus ipſe, quo ſuos alumnos ab honorum ambitu abduceret, idem iiſdem ſæpiſſimè enarrauit.

3.4 Ceterum conſpicuè magis hæc patuit veritas, Clemente

mente Octauo tunc Pontifice Maximo; nam cùm Chriſti ſeruus pro quadam puella Pontificium exoptaret Diploma; & incommoda valetudine preſſus, ipſum adire neutiquam poſſet, ſupplicem tenoris huiuſmodi libellum tranſmiſit: Beatiſſime Pater ecquis ego, vt Cardinales ipſi ad me veniāt? præſertim heri veſpere Cuſanus, & de Florentia, quorum vltimus cum modica manna ex folijs collecta indigerem, e maxima, quam ad ſancti Spiritus Noſocomium miſerat, copia duas ad me vncias iuſſit afferri; eodemque die apud me ad ſecundam noctis horam commoratus eſt, ac tot, tantiſque laudibus ſanctitatem veſtram extulit, vt certè modum mihi exceſſiſſe viſus fuerit; cum Summus Pontifex in ipſam humilitatem transfuſus videri debeat. Chriſtus ſeptima noctis hora ad me venit, ac ſui me corporis Sacramento refecit: tu verò nec ſemel quidem ad Eccleſiam noſtram accedere dignatus es. Chriſtus homo eſt & Deus, & quotieſcunque eum accerſo, ad me venire non dedignatur, tu purus homo, natus quidem ex ſancto, frugique parente, ſed Chriſtus ex Patre Deo, tibi mater eſt Agneſina ſanctiſſima fœmina, ſed Chriſtus Virginem virginum Matrem habuit. Non deeſſet conquerendi argumentum, niſi magis præſtaret iracundiæ motus compeſcere. Veſtræ ergo Sanctitati præcipio, vt quod ad puellam attinet, quam ſummè cupio S. Franciſcæ oblatis aggregari, filiam Claudij Nerij, cuius olim liberos in tuam clientelam admiſſurum deſpondiſti, meæ obtemperes voluntati, tibi in mentem reuocans, Pontificis eſſe fidem ſeruare. Ideo Sanctitas tua ad me negotium remittat, vt quatenus opus ſit, tuam valeam interponere auctoritatem, vel maximè, quia non me latet, quænam ſit puellæ voluntas, certò ſciens illam Deo vocante ad Monaſterij inſtitutum properare. Atque interim ſanctiſſimos pedes tuos, qua prorſus debeo animi demiſſione humillimis oſculis adoro.

5 His in eadem pagina, manu propria Clemens Octauus in hæc verba reſcripſit: Hæc tibi Pontifex: Schedulam in prima ſui parte certum ambitionis ſpiritum dicit ſubolere, cùm illi notum eſſe velis, te a Cardinalibus frequentiùs adiri, dum-

modo id eo non agas conſilio, vt eidem innoteſcat, eos eſſe viros pios, ac religioſos, quod nemini in dubium venit: quod verò Pontifex te vnquam non inuiſit, retorquet id a te haud eſſe promeritum, cùm toties Cardinalatus dignitatem tibi vltro oblatam recuſaueris; quod attinet ad præceptum ſibi iniunctum, facultatem tibi impertitur, vt ſi Moniales minus pareant, eas conſueto redarguas imperio: tibique præcipit, vt valetudini tuæ conſulas, neque ſine illius obtenta venia ad excipiendas confeſſiones reuertaris. Vbi verò Chriſtus ad te venire contingat, pro Pontifice, & pro grauiſſimis Chriſtiani orbis neceſſitatibus orare memineris. Hactenus Clemens, ex quibus liquidò conſtat Philippum ſæpe Purpuræ ſplendorem declinaſſe.

6 Huc pariter omnino ſpectat, quod tribus ferè menſibus antequam Chriſti ſeruus è vita migraret; cùm Bernardinum Coronam alloqueretur (erat is Congregationis frater, quocum Philippus ſæpiſſime, ac familiariter agebat) Summus inquit Pontifex vult me in Cardinalium numerum cooptare: tu hac de re quid ſentis? Dignitas hæc, reſpondit ille, omnino admittenda eſt, vt ſaltem bene conſultum ſit Congregationi. Tum Philippus biretum in altum attollens oculis conuerſis in cælum exclamat: Paradiſus! Paradiſus!

7. 8 Denique Vir ſanctus ſic ſemper honores, ac dignitates declinauit, vt aliquando in hæc verba eruperit; Emori certè mallem; immo fulmine e cælo tangi, quam (ignoſcite filioli) huiuſcemodi rerum deſiderio teneri: Cardinalium enim atq; Pontificum virtutes, ac merita equidem concupiſco; ipſorum verò diuitias, honorumque ſplendorem in me penitus exhorreſco. Sic ille.

Quamobrem Abbas Marcus Antonius Maſſa iure merito hanc ſententiam protulit: De Philippo dici poteſt, quod Diuus Hieronymus de Hilarione: Mirentur alij ſigna, quæ fecit, mirentur incredibilem abſtinentiam, ſcientiam, humilitatem, ego nihil ita ſtupeo, quam gloriam illum, & honorem calcare potuiſſe; cùm præſertim Philippus in Vrbe inter medios honores honorem contempſerit. Huc uſque Maſſa.

9 At non ſolùm Vir humilis eos, qui ab exteris offerebantur honores, quàm citiſſimè reſpuebat; verùm etiam eos, qui ſibi veluti Congregationis Parenti, ac Fundatori exhibebantur a ſuis. Quamobrem in Præpoſitum perpetuum electus, duos circiter annos ante obitum, apud ſuos vehementiùs inſtitit, vt ſe huiuſcemodi munus deponere paterentur: at pro viribus obſiſtentibus, is Cardinalium Borromæi, & Cuſani opera a ſummo Pontifice Clemente Octauo obtinuit, vt Patres in ipſius deſiderium omnino deſcenderẽt. Salutis ergo anno milleſimo quingenteſimo tertio, decimo Kal. Auguſti, Cæſare Baronio ſuffecto, Vir ſubiectionis amator, Præpoſiti munus non ſine maximo animi ſui gaudio depoſuit. Non tamen alumni ab honoris, & obſeruantiæ officio diſceſſere, neque contrà ipſe viſus eſt aliquando ſolicitudinem, quæ in Congregationis commodum cederet, vel ad momentum ſubterfugere.

10 Ceterum qualem ſe ille in hoc ſemper exhibuit, tales ſe exhibere voluit ſuos omnes, eosque præſertim, qui Congregationis Inſtitutum profitebantur; ęgrè admodum ferens, ſi quiſpiam vno excepto neceſſitatis articulo Optimatum aulas vel ingredi auderet: quapropter Germanicum Fidelium de quo ſupra crebro mentionem fecimus, cùm libentiùs aulicorum conſuetudine vteretur, his ferè verbis frequens inſectabatur: Ni deſiſtas ab aulis, aulicus fies, nec tamen ad Præſulatus honorem aliquando peruenies; nec abfuit a verbo veritas. Clemens quippe Octauus Silueſtrum Aldobrandinum nepotem, in his quæ ad mores pertinent, Germanico inſtituendum tradidit, eique in Vaticano canonicatum contulit, quo is tandem dimiſſo, ſine vllo dignitatis gradu, vt illi Sanctus prædixerat, e viuis diſceſſit.

11.12. Vix inſuper Chriſti ſeruus ſuis permittebat alumnis, vt vnquam plus vno eccleſiaſtico potirentur beneficio; nec illorum Præſulum confeſſiones vllo modo excipiebat, qui ſine canonicæ excuſationis cauſa, debitæ reſidentiæ onere contempto, Vrbem colerent, neque in hoc ipſis Cardinalibus indulgebat.

13 Fucatam porro ſeculi faciem tam acriter inter loquendum coarguebat, vt huiuſmodi ſententias frequenter repeteret: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Hoc in mundo nihil prorſus eſt boni. Contemptus diuitiarum, ac dignitatum vbique eſt neceſſarius, Romæ autem ſupra modum. In mundo nihil planè inuenio, quod placeat, ſed hoc maximè placet, quod nihil placet, & ſimiles: quibus complures perciti toto impetu ad diuina contendebant.

Humilitas. Cap. XVII.

1 ALtiſſima hæc diuitiarum, honorumque deſpicientia ex profunda eius humilitate ortum habuit quæ ipſius cordi altiſſimis defixa radicibus, eidem potiſſimum cauſa fuit, vt S. Franciſci inſtar ſe maximum omnium peccatorum ſincere, ac ſine vlla animi ſimulatione aſſereret, quod tanta cum verborum efficacitate promebat, vt verè ex intimo animæ ſenſu loqui comprobaretur: quamobrem ſi quod graue flagitium ab aliquo admiſſum fortè inaudiſſet, mox ſubdere conſueuerat: Vtinam grauiora non admiſerim! Atque eandem ob cauſam B. Mariæ Aegyptiacæ geſta frequentius lectitabat: cuius vitæ auſteritatem, etſi crimina non commiſerat, ſectari tamen maximopere cupiebat. Rurſus his quotidie verbis Deum conteſtabatur: a me tibi Domine caueas, niſi enim me tuo protexeris auxilio, hoc vtique die te prodam: interdum etiam dicere ſolitus erat: Lateris Chriſti vulnus ſatis amplè patet, at ni Deus adiuuet, faciam vt amplius pateat. Cùm Chriſti corpus inter celebrandum ſumpturus eſſet; Fateor, aiebat, Domine, fateor, me in aliud non propendere, niſi in malum: ad Sacrum verò faciendum hac ſe potiſſimum ratione comparabat: Quantum ex me eſt, promptum ad omne malum me tibi Domine offero. Quotieſcunque adhuc iuuenis ægrotaret, hunc ad Deum vſurpabat ſermonem: Domine ſi conualeſcam, in meliùs vitam inſtituam; at poſtremis vitæ ſuæ annis, rem altius expendens, dicere conſueuerat: ſi ad valetudinem redire contingat,

tingat, quod ad me attinet, nequior fiam: toties namque mentis propoſito operis exhibitio defuit, vt mihi poſthac amplius fidere nequeā; ſe nihil vnquam boni feciſſe eo uſque ſuo defixerat animo, vt quotieſcunque adoleſcentes videret, tempus recogitans, quod illis adhuc in via Dei proficiendi ſupererat, O vos beatos diceret, o vos felices, quibus bene agendi tēpus ſuppetit! & nonnunquam in hoc prorumpebat verbum, Deſpero; quam ad rem cùm ſemel in duos ex Dominicana familia incidiſſet, medius inter vtrumque ex induſtria iter capeſſens ait: Heus vos ſinite me deſperantem abire: illi ipſum rati verè a ſpe ſalutis excidiſſe, ad fiduciam erigere conabantur; at is ſubridens: Deſpero, inquit, de me ipſo, ſed vtique in Domino confido: atque ita arreptum iter proſecutus eſt.

2 Porro in propriæ vilitatis, atque infirmitatis ſenſu ſic ſemper hærebat, vt cùm olim mulier indumentorum eius fruſtulum peteret, quòd ipſum vti Sanctum coleret, is protinus iracundiæ zelo correptus, Apage, inquit, non Sanctus, ſed diabolus profectò ſum: & aliàs ab Hiſpaniarum Oratrice interrogatus, ex quotnam annis ſe mundo abdicaſſet, Haud certè noui me vnquam abdicaſſe, reſpondit: propterea cùm olim ægrotaret, atque a pijs quibuſdam viris rogaretur, vt ea vellet ſancti Martini verba repetere: Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, acre id reſponſum dedit: Non ſum vtique ſanctus Martinus, neque me talem vnquam exiſtimaui, quòd ſi me neceſſarium fore putarem, me perditum omnino crederem. Aliàs itidem ægrotans, atque a conſpicuæ nobilitatis viro rogatus, ne tam cito a ſuis recederet; ſed potius precaretur Deum, vt ſibi aliquantiſpor vitam protraheret; vt ſaltem alumnis conſuleret, eadem verborum aſperitate reſpondit, nunquam in animo fuiſſe ſuo, ſe ad cuipiam conſulendum eſſe idoneum. Vir nobilis ſecum ipſe aliquando perpendens, quàm magna quotidie Philippus patraret ait: Mira quidem, Pater, operantur Sancti; Ne ita loquaris, ſubdit ille, ſed dicas potius cum Propheta. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis: alteri dicenti, Agitat me

tenta-

tentatio eum te non eſſe, quem mundus prædicat: Scito, reſpondit, tentationem hanc nullius eſſe momenti: etenim nil amplius profecto ſum, quàm ceteri hominum.

3.4.5. In hac igitur tam alta animi demiſſione illud erat ei ſolemne, vt omnium ſe precibus commendaret; quapropter conſueuerat ad varias regularis obſeruantiæ domos mittere, qui religioſos, ac præſertim nouitios deprecaretur, vt ſe in eorum ad Deum precibus commendatum vellent: rogabat præterea ſacerdotes, vt in eorum eccleſijs, & maximè in earundem præcipuis diebus feſtis, Sacrum facientes ſuffragiorum partem ſibi impertirentur. Amplius a pœnitentibus petebat, vt ex pœnis iniunctis in Sacramento Confeſſionis aliquid ſibi adſcriberent: hac enim ratione futurum ſperabat Vir humilis, vt aliorum precibus faciliùs impetraret, quod ſuis minimè ſe impetraturum ſperabat.

6. Illud præterea iniquè ferebat, quod apud homines Vir probus haberetur, & ſanctus. Quod ſi aliquando contingeret, vt ſe Sanctum nuncupari audiret; Me miſerum, aiebat, quot me ruſtici, quot me adoleſcentulæ in cælo præcedent? Et quoniam è ſuis vnus non aduertens coram retulit, ipſum vti ſanctum ab omnibus prædicari, exclamauit, Heu Heu!

7.8 Ab honoribus ſemper abhorruit: etenim adoleſcens progenitorum ſtemmata, quæ ſibi ad eorundem memoriam tradita fuerant, continuò dilacerauit. Etiam paulò antequam decederet, ſcriptiones ſuas omnes comburi iuſſit. Neminem vnquam, infimæ etiam conditionis, detecto coram ſe capite ſtare permittebat. Manus ſibi exoſculari ex conſueto vetabat; etſi nonnullis ne triſtiores fortaſſe abirent concedebat. Cùm viris ſpiritualibus de ſpiritalibus miſcere colloquia, neutiquã ſolitus erat. A ſuis è Congregatione Præpoſiti, vel Rectoris nomine appellari, vix vnquam eſt paſſus: Patris verò nomine ſummopere gaudebat; quippe quæ vox amorem potius reſonet, quam imperium. Ex quo accidit, vt exinde Congregationis Præpoſitus, hoc ſolummodo patris nomine a domeſticis appelletur: hac etiam de cauſa Congregationis Fundator, vel Inſtitutor dici nolebat: profiteri ſolitus nunquam ſe

eiuſ-

eiuſmodi fuiſſe ſententiæ, vt vllam aliquando Congregationem erigeret. Ab omni itidem contentione, & æmulatione fuit alienus, & a verborum fuco, ac veſtimentorum elegantia alieniſſimus. Certos quoſdam aulicorum mores maximopere faſtidiebat, & Chriſtianam ſimplicitatem ſemper, atque in omnibus adamauit. Duplici corde viris, & qui carnis prudentiam ſaperent, familiariter non vtebatur, ac præ ceteris a mendacibus penitùs abhorrebat.

9.10. In decernendis negotijs,quæ vel ad propriam, vel ad communem Congregationis vtilitatem quoquo modo ſpectarent,aliorum ſemper ſententiam expoſcebat. Qua in re non ſolùm prudentia,atque auctoritate præditos viros, ſed infimi etiam gradus homines conſulebat, vtpote qui veritatem dumtaxat a conſilio petere deſiderabat. Si fortè verò inertem, ineptumque reputari ſe intelligeret, præ gaudio geſtiebat; illam Diui Pauli ſententiam animo fixam retinens: Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe, ſtultus fiat, vt ſapiens ſit: quamobrem iure merito de Philippo dici poterat, quod de ſancto Ephrem Gregorius Nyſſenus:Voluit potius Sanctus eſſe, quàm videri.

11 Si vero aliquando contingeret, vt per eum Deus ſupra naturæ vim aliquid feciſſet, id latere ſic ſatagebat, vt nemo, vel certè pauci rem deprehenderent: nam quemadmodum beatus Franciſcus de Paula herbas, vel quid eiuſmodi morbis adhibebat, vt res admirabiles,quas patrabat, occultaret, ita Philippus,quaſi per iocum mira facere conſueuit, vt idcirco intuentibus omne aliud agere videretur, quàm quod agebat; quare a multis pro certo habitum eſt, eum Simonis inſtar, cognomento Sali, oratione a Deo conſecutum fuiſſe, vt tot, ac tam magna ab ipſo palam in dies præſtita, ſpectantium tamen oculis non apparerent.

12 Huc attinet, quòd cùm olim a Baronio, prudenter quidem, ac moderatè nonnihil laudaretur; Scito, inquit, o Cæſar, ſummo me affici dolore, quotieſcunque apud homines in aliqua verſor exiſtimatione,meque ob id Deum quàm enixè precari, vt ne quid vnquam fieri contingat, ex quo plu-

pluris ab hominibus ego æſtimer, quàm ſim: quod ſi quidpiam naturæ vires tranſcendens per me aliquando operatus eſt Deus, aliorum fidei id tribuendum ſcias. Quapropter rogatus quondam, vt manus ægrotantibus imponeret, quo meliùs ſe haberent, quaſi excandeſcens ait: Hi vtique vellent me patrare miracula, & edendis miraculis impar ſum.

13 Demum Chriſti ſeruus erga omnes, & in omnibus Chriſtiana humilitate præfulſit, parcus in imperando, in imponendis oneribus temperatus, ſuauis in agendo, in familiari conſuetudine iucundus, & nemini vnquam grauis, quod ex eo patet, nam per cellam deambulans, ne ſubtus habitantibus moleſtus vllo modo eſſet, laneos geſtabat calceos. A propriæ exiſtimationis ſenſu ſic alienus, vt quemadmodum de beato Thoma Aquinate ferunt, nullum inanis gloriæ ſtimulum vnquam ſenſerit.

14 Vt propterea alumni huius virtutis apicem attingere conarentur, omnem propemodum operam adhibebat: quapropter velut Euangeliſta Ioannes diſcipulos illis verbis paſſim monebat: Filioli diligite alterutrum; ita Philippus hoc vnum ſæpiſſimè iterabat: Humiles eſtote filij, humiles eſtote. Quam in rem cum olim Taurufius, ea ſpiritus vehementia, ac feruore e ſuggeſto diceret, vt auditores plauſum darent; Philippus extemplo proſiliens, ne ex hoc dicendi modo aura hominem afflaret, parietem manu ictibus repetitis pulſat, donec omnium ſpectantium oculos in ſe conuertat; atque ita Taurufium ab hominum plauſu diuertere conatus eſt. Deinde ſuggeſtum ipſemet conſcendit: Nulla prorſus, intonat, ſubeſt ratio, auditores, cur è noſtris quiſpiam glorietur, ex ijs enim nemo adhuc ſanguinis guttulam pro Chriſti amore effudit: quinimmo honoris potius, & obſeruantiæ plurimum ex Chriſti famulatu retulerunt; atque his exaggeratis deſcendit. Dicebat inſuper neminem debere nec ſerio, nec per iocum ſuas vnquam laudes in medium afferre. Item lætandum eſſe, vel ſaltem non dolẽdum, dum ipſe aliquid laude dignum fecerit, & alter honorem tulerit, nam duplicem inde reportat mercedem, operis videlicet, & humilitatis. Hortabatur

præ-

præterea ſuos, vt enixè deprecarentur, ſi quæ fortè virtutum dona dediſſet Deus, ipſis non detegeret, ne inde ſuperbiendi anſam ſumerent, illud ſæpius repetens: Secretum meum mihi: Secretum meū mihi: Aſſerebat amplius, ſignum euidentiſſimi periculi, ſponte ſubire periculum; quapropter ſuadebat ſuis vt frequenter dicerent: Ne te mihi credas Domine, ni enim opē feras, procul dubio corruam. Vetabat quoque, ne vnquā ſe iactarent, ſi tentationibus corriperer, facerem, dicerem; ſed quid dicendum, quid faciendum, ſcio: quid verò dicerem, facerem, penitus ignoro. Pœnitentes autem generatim admonebat, vt grauiora peccata ipſo confeſſionis ingreſſu palam facerent: hac enim ratione confundi Satanam affirmabat: excuſationes in peccatis adhibere, atque in alterum retorquere culpas, vitio quàm maximè dabat: aſſerens, eum qui ad ſanctitatis metam pertingere cupiat nunquam debere, ſacrorum canonum exceptis caſibus, ſe excuſando purgare; illos Euæ nomine compellans, qui in omnibus a culpa ſe eximunt. Addebat itidem præſtantiſſimum eſſe remedium, vt a peccatis quis abſtineat, omnem animi tumorem deponere: rurſus, qui alicuius culpæ arguitur, haud nimium affici debere: ſæpe enim fit (aiebat) vt maior culpa lateat ſub mœrore, quàm inſit rei, de qua amicè corripitur: nimia enim triſtitia aliam plerunque non habet cauſam, præter ſuperbiam. Quapropter ſi quis fortè peccaſſet, vt ipſe ſibi ſic exprobraret, ſuadebat; ſi humilis fuiſſem, profectò non peccaſſem; eorum verò ſententiam nec facilè, nec vniuersè admittebat, qui plus æquo ſuis viribus freti, affligi a Deo expoſcerent; flagitari enim potius patientiam volebat. Nil itidem periculoſius in ſpirituali tyrocinio, quàm magiſtrum ſe gerere. Conſolationes diuinas in cubiculi ſecreto, non in hominum frequentia perquirendas: ſpiritum, quem vulgo dicunt ſingularitatis, penitus deteſtandum: & ob inanis gloriæ periculum bona opera neutiquam prætermittenda docebat. Quamobrem ex præſcripta ſanctorum Patrum doctrina inanem gloriam in tria ſummatim capita diſtinguebat. Primam nunc upabat heram, eam ſcilicet, quæ non ſolum bonum antecedit opus, ſed etiam actionem dirigit

in

in vanum finem: ſecundam verò ſociam, quæ videlicet operi comitem ſe adiungit, ſed vanæ prorſus complacentiæ motu non vacat: tertiam pediſſequam, cùm nimirum quis inanis gloriæ ſtimulos patitur, ſed eos confeſtim vel excutit, vel retundit; quare aiebat: Cauete, ne inanis in vobis gloria ſit hera. Sed ne tædio lectorem afficiamus, hactenus.

Chriſtianæ mortificationis exercitatio in ſemetipſum. Cap. XVIII.

1 AD humilitatis virtutem, mortificationis quam dicunt diſciplinam adiunxit; in qua adeo excelluit, adeoque ſe, ſuoſque ſemper exercuit, vt iure merito habitus fuerit eiuſdem virtutis magiſter ſingularis. Quod igitur ad ſe pertinet; vna eius cura, ſtudiumque fuit, vt planè vilis, abiectuſque haberetur ab omnibus; quamobrem ea plerumque facere, alijsue facienda proponere ſolebat, quæ intuentibus vel animi leuitatem, vel potius dementiam præ ſe ferrent.

2 Primò igitur & publicè, & priuatim, domi, foriſque, quoad potuit, licuit, omneſque animi ſenſus deprimere satagebat. Et vt ad ſingula ex ordine deſcendamus, ſolitus erat interdum coram viris Principibus, Præſulibus, & Cardinalibus, corpore totis viribus ſaltitare, neque id in domorum angulis, ſed in patentibus curiarum porticibus, in vijs, in biuijs, in foro, & vbi frequentior eſſet hominum coetus. Quandoquidem Cal. Auguſti in platea ſancti Petri ad Vincula, quem in locum ſolemnitatis cauſa Vrbs tota confluit, viſus eſt coram omnibus ſaltare palam; quapropter dixit quidam, qui rem viderat: Vah ſtulte ſenex, quo audito maxima perfuſus lætitia, magis magiſque præ gaudio ſaltitabat.

3 Olim ad negotia profectus, in hominem incidit, qui cadis iumento impoſitis aquam, vt moris erat, per Vrbem venditabat,, cui: Eia, inquit, amice, ſine quæſo, vt frigidæ hauſtum ex doliolis tuis hauriam. Annuit ille, & Philippus admo-

admotis cado labijs, aquæ hauſit quantum libuit, adſtantium ſingulis inſpicientibus ſimul, & admirantibus.

4 In via populo confertiſſima, Banchi vulgo dicta, beato Felici de Cantalicio, e Capucinorum familia, caſu obuiam factus, habitisque inuicem ſalutationibus, ab eo interrogatur, num fortè ſitiat? cui; Equidem ſitio reſpondit. Et Felix: Nunc experientia diſcam, an verè mortificationis habitum compararis, & confeſtim vas, quod ſibi e dorſo pendebat, porrexit dicens: Sume, & bibe. Tum Philippus ſumpto vaſe, toto inſpectante populo, hauſit, cunctis dicentibus: Heus vos, Sanctus Sancto propinat: deinde Philippus: Iam verò inquit, & tu mihi nunc experientia probandus es, num mortificationis virtute polleas: ſibique pileum detrahens, illud eius capiti impoſuit, dicens: Vade. En vado reſpondit alter, at ſi quis pileum ſurripiat, tua ſit cura, tuumque periculum. Cùm itaque ad breue tempus ſic pileatus Felix proceſſiſſet; hominem mittit Philippus, qui pileum ad ſe referat. Hisque præſtitis ſua quiſque perrexit via, ſingulis qui viderant ambigentibus, quis eorum demiſſo magis animo rem egiſſet.

5 Alphonſus Cardinalis Ieſualdus, pelliceam veſtem ex martibus compactam ſancto Viro dono dederat, eo tamen pacto, vt ſe eam delaturum promitteret: ſpopondit Philippus, eamque per integrum menſem domi, foriſque detulit, & ſuimet deſpiciendi gratia tanquam precioſè indutus graui perambulabat inceſſu, ac gloriabundo ſimilis, vndique iterum atque iterum inſpiciebat ſeſe, vt ſic demens habitus ab intuentibus rideretur.

6 Cardinalis Alexandrinus, Pij Quinti ſanctæ memoriæ nepos, cùm ad prandium Philippum inuitaſſet: is coctis primum lenticulis, ollam e ſuis vni ſupponens, ad conuiuium acceſſit, & vt ſe, ſociumque mortificationis pœna afficeret, cum iam menſæ accubuiſſent omnes, inter medias epulas a ſe delatam ollam collocari iuſſit: atque ipſe prægustat, inuitat, diſtribuit: cui neque Purpuratus, neque ceteri, qui viri ſanctimoniam optimè norant, auſi ſunt oblatam ſibi pultem recuſare, ſed quotquot aderant, ex ea ſuauiter deguſtarunt.

Quo

7. Quo die translata fuerunt ad Vallicellæ eccleſiam corpora ſanctorum Martyrum Papiæ, & Mauri, via, ac templo populi concurſu redundante, Philippus, qui prope ianuam ſacras reliquias geſtiens præſtolabatur; Heluetium militem, ex Pontificia cuſtodia, amicè amplectitur, eique barbam, quæ ſatis ampla, & prolixa erat, bis, terue blandè contrectat; & palpat, ijs qui viderant, partim demirantibus, partim deridentibus.

8.9 Rurſus, vt maioris contemptus nota afficeretur, dimidium ſibi barbę abradi quondam iuſſit; atque illico in viam prodiens, hilaris, & feſtiuus, vt ſui moris erat, cœpit ſaltitare, vt alter velut Dauid, vilior factus; maximum de ſe victoriæ triumphum reportaret: neque ab hoc longè diſtat, quòd ſemel, & iterum, vbi frequentior erat hominum cœtus, a quodam e ſuis barbam ſibi, capilloſque tonderi voluit, vt hoc vno frangendi animi inuento, ipſe pariter, & tonſor ſui exiſtimationem deprimere aſſueſcerent.

10.11 Sępiſſime autem Vir humilis longa ſuorum comitante caterua per Vrbem gradiebatur, faſciculum ſatis grandem e geniſtæ floribus manu geſtās, & ſine penula interdum, vt ſic prætereuntium oculos ad ſe conuertens, tanquam ineptus, vel fatuus contemneretur: inter legendum item ſæpenumero, cùm præſertim viri docti, prudenteſue adeſſent, barbariſmos, & ſolœciſmos ex arte promebat, vt non ſolùm inops iudicij, literarumque peritiæ expers, ſed etiam rectè legendi ignarus haberetur.

12.13.14 Domi verò ferè ſemper, varijſque modis contemptibilem ſe reddere ſatagebat, ſed ne legentibus moleſtiam fortaſſe inferamus, ex multis nonnulla dumtaxat apponemus. Primò namque frequenter vidiſſes hominem, in cubiculi ſui receſſu commorantem, interula coccinea, vſque ad genua protenſa ſuperindutum; calceis inſuper grandioribus, ijſque albi coloris calceatum, necnon perangusto bireto opertum capite, quo quidem habitu, vt ſe hominum riſui obijceret, nobiles, ac principes viros domeſticè recipiebat; quinimmo non abſimili indutus veſte, diebus etiam feſtis,

in eccleſiam quandoque deſcendere ſolitus erat, & ſemel accidit, vt in ipſo beatiſſimæ Virginis natalitio die, in cuius honorem dedicata eſt eccleſia, dum ſolemni ritu decantarentur Veſperæ, ac permulti in choro Purpurati adſiſtorent, huiuſcemodi amictus indumento ſpectandus coram acceſſerit, cui in ingreſſu ob præconceptam eius ſanctitatis opinionem aſſurgentes, quot aderant, Cardinales, ſenem optimum perhonorificè exceperunt: quem etiam rogant, vt apud ipſos conſidere non dedignetur; tametſi ſubridens, Sat erit, inquit, ſub ſcabello pedum inter caudatarios locum tenere.

15.16 Hac prope de cauſa, vt nempe leuitatis, & ineptiarum argueretur; libros apud ſe retinebat refertos fabulis; eoſque quotieſcunque ad ipſum accederent viri nobilitate, prudentia, literiſue inſignes, a quopiam e ſuis lectitari iubebat: ſic interea vultu, geſtuque ſe gerens, non aliter, ac ſi maximam ex eorum lectione perciperet voluptatem.

Olim Clemens Octauus Polonos quoſdam ex regno primarios, ad eum tranſmiſit, vt ex ipſius conuerſatione, rerumque ſpiritualium colloquijs aliquod ſumerent virtutis exemplum: ac de eius ſanctitate eam, quæ par erat, exiſtimationem conciperent; quod vbi præſciuit Philippus, eoſque iam noſſet accedere, mandat e ſuis vni, vt vnum ex dictis libellis legat, neque a lectione deſiſtat, quouſque ipſe annuat. Adueniunt illi, atque is nullo facto officiorum præludio, Attentos vos volo, inquit, donec tota hæc perlegatur fabella: quod cum illi vltro præſtarent, Animaduertite, ſubdit, num grauis argumenti codices mihi legendos curem; nullo prorſus de rebus, quæ ſpiritum ſaperent, addito verbo. Quapropter viri apud eum parumper commorati, ſeſe mutuo intuentes quod Vir ſanctus egerat demirati, taciti abſceſſerunt. Philippus autem ad alumnum: Depone, inquit, libellum; etenim quod agendum erat, iam profecto egimus.

17.18.19.20 Vnà cum Angelo Victorio medico nobilis quidam Romanus Philippum adiens, Virum ſanctum hilariter nimis, ac iocosè ſe gerere adnotauit. Admiratus itaque tantæ exiſtimationis hominem tam feſtiuè iocari, diſcedens

dixit medico: Tuus iſte Vetulus Angele mi, vt fatear, haud parum me offendit, Cui ille: Sic eum ſe geſſiſſe reſpondit, vt ſuam hoc pacto tegeret ſanctimoniam; Atqui vbi primum medicus ad Philippum redit, rogat, vt ſi iterum nobilis ille accedat, velit maturius inter agendum ſe habere: tunc Philippus: Et quid, inquit, velles? me forſitan geſtus, ac vocem ex arte componere? rotundasque verborum periodos expuere? vt adſtantes dicerent: Hic eſt ille Pater Philippus tam prudens, tam ſanctus? polliceor, ſi is redeat, me ſecum putidè magis, ac ſtultè acturum. Accidit exinde, vt iterum atque iterum Nobilis ille ad Philippum accederet: qui cum ex ipſius conſuetudine ſummam in eo prudentiam ſub leuitatis pallio latitantem deprehendiſſet, totum deinceps ſe illi addixit. Omitto quod ſuos interdum vnà ſecum ad currendum ex condicto inuitabat; quandoque quis maiori celeritate ſcalarum gradus tranſcenderet, laceſſebat: alios rubro pileatus, ad colloquendum excipiebat; & id genus quamplurima in dies factitabat. Iſtæc tam minuta Chriſtianæ mortificationis adinuenta legentibus proponenda cenſuimus, vt homines, nimium quàm par eſt, humana prudentia nixi elatos animi motus comprimere, proprioſque ſenſus compeſcere, Philippi doctrina, & exemplo addiſcerent.

Chriſtianæ mortificationis exercitatio in ſuos.
Cap. XIX.

1 VErùm quia Philippus non ipſe tantùm proficere, ſed ceteros quoque ad proficiendum in via Dei ſtudebat impellere, in perpetuæ mortificationis palæſtra tanquam magiſter optimus exercuit ſuos. Exempla innumera poſſent afferri, ſed ea duntaxat, quæ illi vſu frequentiora erant recenſebimus.

2 Primùm igitur eos, etſi nobiles, interdum ad eccleſiarum fores adſtare, ibique a confluentibus ſtipem petere; aliquando ipſa templorum veſtibula verrere, ſordeſque inde

aſpor-

aſportare; aliàs panis oſtiatim fruſtula emendicare; ſæpe in choro apud cœnobitas totos proſtratos corpore diuinis intereſſe officijs, & nonnunquam iuniores præſertim, perſpiciliis eorum naſo impoſitis, hac illac per Vrbem deambulare iubebat.

4. Per viam Vrbis celebrem honeſtæ familiæ iuuenem aliquando miſit tintinnabulum pulſitantem; quem artifices, & pueri ebrium vel captum mente exiſtimantes vocibus, ac ſibilis exceptum deridebant. Alterius iuuenis dorſo pagellam affigi iuſſit, in qua literis grandioribus ſcriptum erat, quod cupedias quaſdam comediſſet, eumque ſic per Vrbem amandauit.

5 Diuerterat ſemel vnà cum ſuis apud Cardinalem Alexandrinum negotij cauſa: eique diſcedens ait: Num aliquid Domine apud te eſt, quod mihi, atque his filiolis liberalitatis ergò largiaris? Intellexit protinus Purpuratus, quò tendebat ſermo; & continuò arcam reſerans e pane ſpiram ſatis amplam extraxit, eique porrexit. Philippus palatij fores egreſſus ſpiram in fruſta diuidens, ſingulis alumnis portiunculam diſtribuit, & vt quiſque per viam comederet, imperauit, inquiens: Aſſueſcite filij leuioribus hiſce rebus animi elationem deponere, & vobis inde facilius fiat; in maioris momenti rebus vos ipſos deprimere.

6 Rogauerat olim Dei hominem e ſuis quidam, vt ſibi capillatam modicè frontem gerendi poteſtatem faceret: cui non modò quod petebat non conceſſit, ſed etiam, vt æqua forcipe tonderetur, præcepit, & vt ipſum deprimeret magis; Perge, inquit ad Fratrem Felicem ex Capucina familia, qui hanc tibi gratis præſtabit operam. Obtemperauit, & Felix, qui iam cum Philippo de re conuenerat, capillum omnem ad cutem vſque abraſit, quod ille æquo prorſus animo tulit.

7 Faber lignarius Albertus nomine, à Viro Dei petierat, vt ſibi cilicium iugiter geſtare ſineret. Placet vtique reſpondit Philippus: hac tamen lege vt illud ſuper veſtimentum induas. Annuit Albertus, hilarique fronte cilicium ſuper ſagum induit, illudque ad mortem vſque quotidie detulit, vt hac de

 cauſa

cauſa deinceps Bertus a cilicio cognomento fuerit appellatus.

8 Quidã princeps canẽ habebat in delicijs,& caſu accidit, vt ad ædes S. Hieronymi,vbi degebat Philippus, canis ab aulico deduceretur, quem ſanctus Vir blanditijs nonnihil deliniuit, ex quo brutum ſic Philippo adhæſit,vt ab eius cubiculo nunquam deinceps auelli potuerit. Domum vi reductus ligatus iacebat, at catena expeditus continuò ad Philippum reuertebatur. Initio princeps rem moleſtè tulit; ſed cùm experiẽtia comperiſſet, canem vbi primùm ſolutus eſſet ad Philippum ſponte recurrere, ſubridens ait: Haud ſatis erat Patri Philippo tot iam aulicos a me auertiſſe,niſi etiam canes ipſos auerteret (ſuaſerat enim Dei famulus multis ex eius aula Religionis ingreſſum.) Hunc igitur canem iubebat Philippus, a ſuis interdum vlnis geſtari; nonnunquam omni ſtudio lento pectine diſcriminari; & diligenter ablui; ſæpe catena ligatum ab ipſis per Vrbem deduci,& id generis alia in ipſum agi: quod mortificationis genus ad tertium ferè luſtrum tenuit, vt ideo Tauruſius canem iſtum durum humanarum mentium flagellum appellarit.

9 Cùm ex ædibus S. Hieronymi ad Vallicellam commigrauit, ibi reliquit felem, & per ſex integros annos miſit illuc quotidie aliquem e ſuis, qui mane, & veſpere illi eſcam deferrent, atque inde reuerſos coram omnibus, etiam Optimatibus interrogabat, quàm ſe bellè felis haberet, an manducaſſet, an quieuiſſet, & ſimilia, æquè ac ſi maximi momenti res ageretur.

10.11 Tradidit quondam Baronio oenophorum, ſextarios ferme bis ſenos capiens, eumque ad cauponam tranſmiſit, vt minimam vini menſuram emeret: iubens apud cauponem ſolicitè inſiſtere,vt primùm vas diligenter dilueret,& vt ſe cum ipſo in inferiorem cellæ vinariæ locum deſcendere ſineret, ibique ſiſteret, donec vinum hauriret,& tandem in pretium aureum numiſma ſolueret, curaretque vt tabernarius, quod ſupereſſet,vſque ad quadrantem refunderet; quæ cùm ſingula ad amuſſim Baronius præſtare vellet, audientes

hæc

hæc, qui rei cauponiæ operam dabant, rati ſe ab eo illudi, non modo conuicijs hominem onerabant, ſed ei fuſtes etiam minabantur. Id quod Philippus ei ſæpe præcepit. Eidem quoque ſæpe iniunxit, vt crucis vexillum ante clerum deferret, dum vita functi ad ſepulturam publicè deportarentur. Ipſum aliàs ſecum deduxit ad nuptias; atque inter epulas totum ab eo pſalmum Miſerere clara voce decantari iuſſit. Hęc ea ratione agebat Vir ſanctus, vt vanæ exiſtimationis fumum in eo comprimeret.

12 Bernardino Coronæ Cardinalis Sirleti aulico, de quo etiam ſupra facta eſt mentio, ſtatim ac Philippus innatam hominis probitatem agnouit, imperat, vt ante domini palatium equum loris apprehenſum huc illuc manu frequenter deducat. Quod is protinus etſi cum rubore præſtare minimè renuit; eidem quod comptiorem, & prolixiorem geſtaret barbam, præcepit, vt dimidiam abraderet, qui vt iuſſa faceret, confeſtim abit, ſed Philippus rem vetuit. Ad quem puritatis candorem ex huiuſmodi mortificationibus vir iſte peruenerit ſatis abunde norunt, qui cum ipſo in Congregatione diu verſati ſunt.

13 Olim, dũ æſtas feruebat, more ſuo Philippus in eccleſia ſe videndũ præbuit, tunica pellicea ſuperindutũ, quam exuẽs quendam ex alumnis pellibus inuerſis cõtexuit; dumque Veſperæ ſolemniter decantarentur, eundem ad negocium quoddam Cæſari Baronio ſignificandum remiſit, ſed iuuenis pudore ſuffuſus, ſic perſonatus incedens, clàm vt potuit poſt presbyterorum ſubſellia mandatum explet: Philippus rem a longe conſpiciens iuuenem ad ſe reuerſum iterum mittit, & vt per medium tranſeat chorum præcipit, qui etſi obluctante ſenſu, mandatum tamen exactè eſt executus.

14.15 Antonio Gallonio, qui natura ſic feruidus erat, vt etiam ſumma hyeme, vna tantùm penula vteretur; omnino præſcripſit, vt toto æſtiuo tempore veſtem pelliceam ſuper tunicam indueret. Eundem itidem alioquin hominem ſeſtium, quòd nonnullas cantiunculas Nurſinorum more modulari optimè norat, quoties viri nobiles, ac dignitate præ-

ſtantes ſe ad Vallicellam conferebant, vt coram caneret, non modò eum rogabat, ſed imperando etiam compellebat.

16 Alio mortificationis inuento Auguſtinum Mannum Congregationis presbyterum ſalsè admodum depreſſit. Lectiſſimum is aliquando ſermonem ad populum habuit, quod aduertens Philippus, præcipit, vt eundem ſermonem ſexies e ſuggeſto ad verbum repetat. Paruit: quapropter qui aderant, ſe inuicem contuentes, ridentesque, Ecce, dictitabant, qui eundem ſemper recantat ſermonem.

17.18 Conſueuit prætèrea, quippe qui animarum abdita, vt alibi diximus penetrabat, ad mentis elationem comprimendam, quibuſdam e ſuis præcipere, etſi rarò, vt cordis ſecreta, atque ipſas cogitationes publicè propalarent. Quo ſalutari pharmaco vtebatur ad mentis ſerenitatem adducendos anxijs cogitationibus preſſos. Irrepſerāt quondam vni e ſuis nonnullæ cogitationes contra Philippum ipſum, quas Pater ſanctus iuſſit eum palam ſingulas in triclinio genuflexus edicere. Quo ab eo præſtito omnis illa mentis agitatio quieuit. Hoc tamen remedio erga eos ſolummodo vtebatur, quos ad obſequendum faciles deprehendiſſet, Dominicanus cœnobita, qui antequam religioſum ordinem ingrederetur, validioribus affiictabatur animi tentationibus: vnum hoc remedium a Philippo edoctus, idest, vt eas publicè detegeret, omnem pariter mentis perturbationem profligauit.

19.20 Quoniam verò id potiſſimum Philippus requirebat a ſuis, vt quiſque nempe internos animi, voluntatisque motus aliorum iudicio ſubijcere conaretur; non abs re hîc erit recenſere, quid ad hoc Baronio acciderit. Certam ei pecuniæ ſummam ad Annalium prouinciam proſequendam Pontifex attribuerat, quod audiens Philippus, occaſionem nactus, ei præcipit, vt ex pecunia ſibi præſcripta, cenſum in commune Congregationis commodum, a ceteris præſtari ſolitum, annuatim conferat. Durius viſum eſt imperium Baronio, & aliquid humani paſſus eſt; cùm maximè aliunde pecuniam non haberet ad Vaticana monumenta exſcribenda. Quamobrem multis, varijsque vſus eſt argumentis, vt ſan-

ctum

ctum Virum a ſententia dimoueret. Verùm Philippus firmo, ſtabiliquc propoſito fixus nullis,quæ proponebantur acquieſcebat, ex quo plus æquo cœpit Baronius animo afflictari; Accerſiuit propterea Thomam Bozzium efflagitans, vt Patrem omnino a ſententia diuellere dignaretur, conteſtans ſe potius e Congregatione diſceſſurum, quàm pecuniæ cenſum conferre. Morem geſſit Bozzius, ſed conſtantiorem quàm antea Philippum offendit, qui planè edixit, vel conferat, vel diſcedat: hominum ope non indiget Deus. Tum Thomas Cæſarem admonet, hortaturque vehementiùs, vt in omnibus optimi Parentis iugo colla ſubmittat; perpendatque, & quæ ad ſpiritum, & quæ ad literas pertinent, ſe Philippo poſt Deum vniuerſa debere. Optimum tandem Thomæ conſilium amplexus confeſtim Dei famulum adit; & humi ſtratus veniam humillimè poſtulat, & non ſolùm pecuniam offert, ſed ſe ipſum ex animo, ſuaq; omnia. Cui Philippus: Modò, quod agendum erat, egiſti; pecunijs tuis non indigemus: tãtùm diſcas te in poſterũ ad parendũ promptiorem exhibere, ac mentis duritiẽ emollire. Quandoquidem id præcipuè optabat, vt nempe ſui nimiam intellectus diſquiſitionem, quam ipſe rationalem appellabat, compeſcere aſſueſcerent, atque ideo ſanctitatem omnem intra trium digitorum ſpatium contineri affirmabat; dumque hoc diceret, ſibi manu fronti admota ſubdebat: Summa ſpiritualis vitæ hæc eſt, rationalem deponere.

21 De reliquo Philippus alumnos ſuos diutina ſemper mortificationis exercitatione excolere ſtuduit. Siquidem ſolebat ſæpenumero, dum quis eorum in publico ſermonem haberet, alij vt in ſuggeſtum conſcenderet, demandare, qui ſilentium dicenti indiceret; eoſdem aliquando iubebat ex improuiſo ad populum dicere, qui longè meliùs ex tempore, quàm meditati iuſſu eius intercedente dicebant; interdum eos ad bibliopolas dirigebat, præcipiens, vt alta interrogarent voce, num Plebani Arlotti facetias, vel Mattei Boiardi cantilenas, vel Aeſopi fabulas venales haberent; item non rarò, vt a Vallicella ad ædes ſancti Hieronymi, vel ſine pallio,

vel attritis, diſruptiſque veſtibus, irent, redirent, imperabat: ex quo accidit, vt cùm olim e ſuis vnus, ipſo iubente, laceras geſtaret manicas, neſcio quis obuiam factus, recentiores ei dono obtulerit: cui donum recipere nolenti, id reſciens Philippus imperat, vt ſine vlla mora ad offerentem redeat, dicatque ſe, quippe quod tunc ijs non indigeret, recuſaſſe: nunc verò, quòd maximopere eis indigeat, quàm libentiſſimè acceptururum. Paruit alumnus: receptaſque manicas tandiu geſtauit, donec diuturno temporis vſu penitus laceratæ eſſent. Denique eorum pleroſque coram Præſulibus, etiam Purpuratis, ſaltitare; varias modulari cantilenas; publicè lineum in capite deferre operculum; pileo ſatis amplo antiquo more, ſub mento colligato per vias incedere; Roſaria grandioribus confecta globulis, vt aſſolent eremicolæ, collo appenſa geſtare; faſcias ſericas, auroque contextas ante pectus obductas militum more gerere; & id genus multa eos peragere iubebat; vt hac nempe via innatum homini propriæ exiſtimationis faſtum obtunderet: illud frequenter repetens: Aſſueſcite filioli, aſſueſcite, etiam in paruis vos deprimere, quo facilius in magnis idem præſtare valeatis.

22.23 Attamen etſi Philippus exercitationibus huiuſcemodi quotidie deprimebat alumnos, non ideo tamen cum ſingulis ex æquo agebat: etenim aliqui ſibi vix occurrebant, quos illico varijs, grauibuſque mortificationibus premebat, & contra quibuſdam nil tale prorſus aliquando iniunxit. Nouerat enim Vir cælitus edoctus, qui ad eas perferendas idonei eſſent, quiue non, & cuius generis mortificationum ſinguli indigerent. Tanti demum hanc faciebat virtutem, vt paſſim in eius ore illud Diui Bernardi verſaretur: Spernere mundum, ſpernere nullum, ſpernere ſe ipſum, ſpernere ſe ſperni: quibus áddebat: Et hæc ſunt dona ſuperni: vel, Ad hoc vltimum mortificationis faſtigium, me adhuc non perueniſſe planè ſcio.

24 Verùm tametſi, in ſe, ſuiſque omnibus deprimendis olim frequentior fuit Philippus, poſtremis tamen vitæ ſuæ annis parcè admodum externis hiſce exercitationibus vtebatur:

tur aſſeres, quod cùm vſus huius virtutis ſatis iam innotuiſſet, ſicut quibuſdam humilitatem parere; ita pleriſque inanis gloriolæ occaſionem inijcere poſſet.

Patientia. Cap. XX.

1.2 IAm nunc ad eam deueniamus virtutem, quam lydiũ lapidem Sancti omnes appellant, ideſt, patientiam. etenim iure meritò aſſerere poſſumus, totam Philippi vitam iuge, atque perpetuum patientiæ ſtudium extitiſſe. Primùm namque ijs omiſſis, quæ ſupra de eius patientia retulimus, per ſingula quæque procerum palatia illudebatur ab Aulicis: qui quidem, ſolummodo deridendi gratia, eius interrogabant alumnos, quomodo ſe haberet P. Philippus; quidue lauti mane comediſſet, quot ei capi fuiſſent dono allati; quot ollulæ opiparæ a fœminis pœnitentibus tranſmiſſæ; atque iſtiuſmodi generis permulta in eum in dies effutiebant: quapropter iam per Vrbem apud celebriores officinas, & plateas, nihil ferè aliud ab otioſis pertractabatur, quàm de Philippo, & eius alumnis. Dei famulo ſingillatim omnia renunciabantur, quæ non ſolùm patienter tolerabat, ſed præ gaudio quodammodo geſtiebat; quare multi animi eius moderatione perſpecta hærebant admiratione defixi, & plerique, qui aliàs vnà cum ceteris beato Viro illuſerant, pœnitentia ducti, eiuſdem ſanctimoniam laudibus extollebant.

3 Quidã verò maligniores, vtpotè qui in Oratorij Inſtitutum animo erant infenſo, occaſiones aucupabantur, vt poſſent ſub ementita boni, honeſtique ſpecie Philippi famæ labem aliquam inurere. Accidit olim, vt viri cuiuſdam famulus in ædibus ſancti Hieronymi degens, Philippus nomine, ob fœminæ commercium a lictoribus fuerit carceri mancipatus: ex quo æmuli, opportunitatem nacti, per Vrbem diſſeminarunt Philippum noſtrum mulierum cauſa in carcerem fuiſſe detruſum. Id reſciuit bonus Pater; qui pacato animo, illos commiſeratus, ſilentio rem præterijt.

4.5.6 Adierat aliquando Præſulem, vt pro nobili Romano,

no, qui capitali flagitio falsò accuſatus vinculis detinebatur, apud ipſum intercederet. At is non ſolùm aures veritati non præbuit, ſed Dei famulum tot, tantisque onerauit conuicijs, vt qui aderant, Præſulis iras demirati, Philippi manſuetudinem obſtupuerint. Idem prorſus ei accidit cum Purpurato, qui malignis delatoribus deceptus, malè de Viro Dei ſentiebat. Is namque cùm ſemel per Vrbem Philippum offenderet, audientibus ſingulis eum grauiſſimè obiurgauit. At homo pius, ac mitis, imperturbatus ſubriſit: propiorque factus, quædam ſecretò Purpurati auribus ſubmurmurauit: quibus ille ſupercilium deponens, quem reum prius habebat, ſtatim amanter amplectitur. Morabatur in Eccleſia ſancti Ioannis Florentinorum famulus cuiuſdam nobilis, qui ex abrupto, nulla data cauſa, tot cœpit in Philippum contumelijs inſultare, vt Canonicus S. Petri in Vaticano, qui caſu aderat, hominis proteruiam ferre non valens, manus vltro in eum iniecisset, ni vidiſſet Philippum ſereno vultu conuicia perferentem; ex qua re in eam venit ſententiam, vt Vir etſi alioquin ſibi ignotus ſummâ eſſet ſanctitate præditus.

7.8 Ceterùm Dei ſeruus non ab exteris modò eſt iniurijs ſæpiſſime laceſſitus, ſed etiam aliquando à ſuis, de quibus erat optimè meritus. Serium olim agebatur in Congregatione negotium: cumque Philippo, qui tunc temporis rerum adminiſtrationi præerat, ea ſuper re delata eſſet epiſtola; è ſuis quidam, veritus ne aliquid ineſſet Philippi menti repugnans, paginam ex eius manu per vim euulſit. Hanc is iniuriam tanta pertulit manſuetudine, vt quoad vixit nullum penitus perturbati animi ſignum dederit. Verùm morti proximus Dauidem quodammodo imitatus, iniunxit, vt ſuum poſt obitum homo ille amantiſſime corriperetur, & quo culpam agnoſceret, & quo veniam a Domino obtineret. Tandem id vnum de Philippi patientia elogium ſit ſatis: quod Franciſcus Roſanus Theologus inſignis, in hæc verba protulit: Congruè quidem Philippus domicilium apud ſanctum Hieronymum ſortitus eſt: nam non abſimiles quas ille inſectantium perſecutiones pertulit.

Hic

9 Hic inſinuandum operæ pretium duxi, eos ferè omnes qui in Dei famulum nequiter exarſerunt, vel pœnitentia ductos breui ab incepto deſtitiſſe, vel vindicem Deum quàm citiſſime expertos eſſe. Detraxerat ei aliquando vir quidam, & certe non malo animo; cum die poſtero e domo prodiens præceps in foueam corruit, ac tibia grauiſſimè læſa, vitæ periculum ſubijt: qui faſſus eſt ſe procul dubio mortis pœnam luiturum, ſi nequiter de Philippo detraxiſſet, neque deinceps ferre poterat, vt contrà Dei hominem ſiniſtrè quicquam diceretur.

10 Primariæ nobilitatis fœmina grauiſſimo laborabat morbo, eamq; ſanctus Pater frequentius inuiſebat: erat enim ei a confeſſionibus. Ex hoc ægrotantis nepos, dubitans ne mulier Congregationem noſtram heredem inſtitueret, indixit, ne Philippus auderet amplius materteram inuiſere. Non ideo tamen Vir Dei a pio charitatis officio deſtitit. Quapropter nepos excandeſcens præcepit famulis, vt ingreſſum omnino interdicerent. Ille tamen quæ ſibi obijciebantur paruipendens, matronam inuiſere proſequebatur. Quamobrem Congregationis presbyteri, veriti ne quid Patri optimo huius rei cauſa aduerſi obtingeret, etiam atque etiam rogant, vt ab incepto deſiſtat. Quibus reſpondit: Sat noſtis fratres, me non ob aliud ægrotantem adire, niſi vt eius animæ conſulam: ideo quotieſcunque opus eſſet, hanc ob cauſam mortem ſubire non deſiſtam: quid glorioſius enim euenire poteſt Chriſti ſeruo, quàm pro Chriſto mori? At quoniam ipſi enixius inſtabant: Eia inquit, periculum equidem procul dubio euadam, & mulier, quæ in extremis verſatur, planè conualeſcet, ſed nepos, qui ſanus eſt, infra quindecim dies haud dubiè morietur. Et ne apex quidem a dictis abfuit: etenim quindecim interlapſis diebus extinctus eſt.

11 Cum aliquando Philippus ad ſeptem Vrbis Eccleſias vnà cum ſuis ſe conferret; intelligens id vir quidam improbus, amicum eiuſdem farinæ hominem ſic alloquitur: An neſcis, Hierónyminos (ſic enim tunc temporis a ſancto Hieronymo a Charitate appellabantur Patres Congregationis

Oratorij,& præſertim ab exteris) hoc mane ſeptem Eccleſias obeuntes ſeptem itidem aſellos varijs pulmentarijs onuſtos vnà ſecum deduxiſſe? His, atque alijs compluribus figmentis in riſum effuſi in Dei ſeruum obloquebantur. Verum occulto Dei iudicio paucis poſt diebus, qui maledica verba protulerat, gladio eſt interemptus, qui verò aures præbuit, morbo correptus e vita deceſſit.

12.13 Quidam Præſul, cuius nomen modeſtiæ gratia reticetur, Philippum apud vnum ex Purpuratis atrociſſimis calumnijs aſperſerat eo duntaxat conſilio, vt ad notitiam publicè deducta re, Oratorij Inſtitutum funditus diſſolueretur: adeoque graues fuerunt calumniæ, vt Purpuratus rem Pontifici detulerit. Attamen Philippus, quamuis cuncta reſciuiſſet, ne mutire quidem voluit: quinimmo Cardinalem ipſum frequentius adibat, & quanquam crebris ab eo increpationibus impeteretur, æquo ſemper animo ſingula perferebat. Interim contigit, vt Oliuetanæ familiæ Monachi Præſuli illi obijciant, ipſum per apoſtaſiam a Religione deſciuiſſe, quod is grauius ferens, ex moleſtia in morbum incidit, ex quo breui e viuis exceſſit. Philippus tamen contumeliarum omnium immemor, eum, dum ægrotus decumbebat, frequentius adijt: cùmque demum audijſſet iam ſpiritum efflaſſe, ingemiſcens iubet ſacra ſibi Biblia afferri, & mox librum aperiens in hæc verba Prouerbiorum incidit: Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat. Huic extemplo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit vltra medicinam. De ceteris qui beatum Virum inſectati ſunt, ac Dei vindictam experti, placuit hic reticere, ne aliqua ratione ex geſtorum narratione poſteri offenderentur.

14.15 Ceterum vt de Philippi patientia dicere proſequamur, hæc in eius animo virtus tam altè defixit radices, vt non patienter modò pertulerit aduerſa, ſed aduerſantes ipſos ex toto cordis affectu dilexerit, ac pro iiſdem apud Deum preces ardenter effuderit. Tanta inſuper in eo extitit morum ſuaui-

tas & manſuetudo, vt nunquam prorſus, niſi aduerſus prauos vitiorum habitus, reuera iraſci viſus fuerit; nam etſi quandoque vt diſcipulorum profectui proſpiceret, ſeueram illis præferebat faciem, ſtatim atque is, quem arguerat, receſſiſſet, frontem Vir mitiſſimus hilarem reddebat. Antonium Gallonium acriùs quondam corripuerat, ſed animaduertens illum ex obiurgatione nonnihil offenſum; ipſi propior factus, ſereno ait vultu: Liba oſculum Antoni: ſic iubeo: ſic volo. Hoc ideo præcepit ſenex optimus, vt ab Alumni animo totam radicitus euelleret acerbitatem. Triſtis nunquam apparuit: immò eius dulciſſima conſuetudine omnes recreabantur. Conſtanti, imperturbatoque animo ſemper extitit, ita vt dicerent ſui: Quæuis Patri Philippo iniuria inferatur, eum neque commouet, neque perturbat. Quamobrem cùm aliquando relatum eſſet ipſum a nonnullis barboſum, vt vulgo dicunt, delirumue ſenem nuncupatum eſſe, ſubriſit, & mirum in modum lætitia exiliuit. Et aliàs cùm audiſſet in Oratorij Inſtitutum publicè a quodam inter concionandum e ſuggeſto inuectum eſſe, ne minimum quidem dedit perturbationis ſignum.

16.17. Enituit præterea Philippi manſuetudo, & patientia in aduerſæ valetudinis incommodis perferendis; quandoquidem frequenter ægrotans, nec ad breue tempus, ſed interdum ad quinquaginta, vel ſexaginta dies, itaut quater oleo ſancto fuerit inunctus, ſerena ſemper fronte, & ſine vllo doloris indicio morbum ſuſtinuit. Quamobrem cùm aliquando de eius vita deſperaſſent medici, ſuoſque plurimum obinde angi deprehenderet, forti animo, altaque voce in hæc verba prorupit: Quid eſt, quid eſt, inquam, quod perturbamini Patres? Equidem paratus ſum, & non ſum turbatus.

Dum ægrotabat, de morbo niſi cum medicis haudquaquam loquebatur. Conqueri auditus eſt nunquam; vigente morbo vix vocis tenorem immutabat; accedentes conſueta excipiebat hilaritate; inuiſentibus ipſe magis ſolatium afferebat, quàm ab ijs acciperet. Pœnitentium confeſſiones ſemper excepit, ſpeciatim tamen a medicis prohibitus intermit-

tebat.

tebat. Quod ſi interdum admonuiſſent ſui, vt ſaltem ad tempus valetudinis cauſa ab audiendis confeſſionibus abſtineret; Sinite, reſpondebat: confeſſiones audire eſt mihi maximè periucundum. Miraculo inſuper datum fuit, vt mox morbo leuatus ad conſueta rediret munia, & qui hodie (exempli gratia) penè mortuus decumbebat, cras ad priſtina pietatis opera vegetior redibat. Quod ipſe diuinæ virtutis adſcribens, medicis frequenter dicebat: Non vos me, ſed illa ſacrarum Reliquiarum theca (eamque indice demonſtrabat) ſanitati reſtituit; (fuerant enim ipſi à ſancto Carolo dono datæ.)

18 Iacebat aliquando ægrotans ferè ad mortem in ædibus ſancti Hieronymi, & cùm ſitis vrgeret, Iulium Petruccium nobilem Senenſem, qui aderat, modeſtè rogat, vt ſibi aquæ poculum præbeat mali punici ſucco permixtum. Dum Iulius ſecum reputat, ſacchari puluere potionem aſpergere, vt mali punici acedinem aliquantulum leniat, ecce adoleſcẽs extemplo apparet, neque ante, neque poſt vnquam a ſe de facie viſus, qui ſacchari rotulam porrigit, & aduolat. Subminiſtrat tunc Iulius Philippo potum, qui potione hauſta; cùm in alteram lectuli partem paululum obdormiſſet, experrectus, inquit, conualui: Iulius puerum exinde recogitans, cùm neminem illum agnoſcentem reperiſſet, Angelum vtique e cælo miſſum, vt ſancto Viro proſpiceret, certò credidit. Philippus die ſequenti probè ſanus ad priſtinas rerum ſpiritualium functiones rediit.

19 In iiſdem ædibus iterum ægrotauit, adeoque inualuit morbus, vt medici de vita penitus actum eſſe palam edixerint, & iam iam Dominici corporis viatico, ſacroque infirmorum oleo fuerat præmunitus; ſponte ipſi adſiſtebat Petrus Victricius Parmenſis, vir nobilis ex domeſticis, & intimis familiaribus Cardinalis Boncompagni, qui ad Pontificatum electus, Gregorius XIII. dictus eſt. Hunc ergo rogat Chriſti ſeruus, vt ſibi aquæ poculum ad os abluendum præbeat. Paret ille, & Philippus Ezechiæ inſtar, ad parietem conuerſa facie, quarto circiter horæ ſpatio tacitus permanet, atque immotus. A ſitu poſtmodum diuertens, ſanum ſe omnino comperit,

rit, ac viribus ex integro recuperatis e lecto ad munia ſurgit.

20 Verùm enim verò, vt ad patientiæ documenta, quæ in medium afferebat, deueniamus. Primò affirmabat Chriſtiani nominis viro nihil optatius, vel honeſtius accidere poſſe, quàm pro Chriſto pati, maximumque eſſe tribulationis genus, tribulatione carere. Quamobrem ſi fortè ſui aliquando conquererentur aduerſa nimirum ferre non poſſe; Dicite potius aiebat, Nos quidem tanto bono digni non ſumus: ex patientia namque Dei amorem eſſe dimetiendum ſciatis. Docebat præterea nulla re ad mundi contemptum citius perueniri, quàm afflictationum, & aduerſitatum perpeſſione: infelices eos appellans, qui ad eiuſmodi ſcholę magiſterium admiſſi non eſſent. Aſſerebat inſuper inter viuentes (ſano ſemper loquendi ſenſu) Purgatorium haud reperiri; ſed vel Paradiſum, vel Infernum: nam qui tribulationes patienter ſuſtinent, Paradiſi gaudio perfruuntur, qui verò iniquiore animo, Inferni pœnas quodammodo ſentiunt. Aſſerebat itidem inuſitatam ſpiritus dulcedinem futuræ tentationis eſſe prænuntiam; vitam humanam tribulationibus, & conſolationibus contextam; eos qui crucem vnam ſubterfugiunt, longè grauiorem alteram ſubituros; ex neceſſitate, vt vulgo dicitur, virtutem comparandam, & non rarò homines ſibi per ſemetipſos cruces conflare. His alijsque ſaluberrimis ſententijs ſe, ſuosque quotidie Homo Dei ad patientiæ amorem ſuccendere nitebatur.

Perſeuerantia. Cap. XXI.

1.2 AT qui demum, vt enarrandis Philippi virtutibus finem imponamus, ſciens ille, quodlibet opus, quantumuis arduum, honeſtumque niſi perſeuerantiæ ſtudio firmetur, perfectæ virtutis actum abſolutè dici non poſſe; conſtans perpetuumque animi propoſitum in agendo ſemper retinuit. Itaque vbi primum Romam peruenit, nouitque ſe ibidem ad laborandum in vinea Domini euocatum, ſpatio annorum ſexaginta, ne quidem ſemel Vrbis

moeni-

mœnibus eſt egreſſus, niſi quatenus pietatis ergò, ſeptem Vrbis eccleſias perluſtrabat. Et quamuis amici frequenter inſtarent, vt animi gratia ad hæc, vel illa pergeret loca, & conſanguinei præſertim, vt ſe Florentiam conferret; nunquam tamen adduci potuit, vt ab Vrbe diſcederet.

3.4 Presbyter, & Confeſſarius ex obedientia factus, Miſſæ ſacrum quotidie celebrauit, & confeſſiones ad ſupremum vſque vitæ ſpiritum perpetuò excepit. Congregatione ſubinde erecta, vt accuratius, atque expeditius operibus, quæ in ea ſtatuerat, incumberet, nullum præter id ſuſcipere voluit onus, nec multas pariter in Congregatione functiones admiſit: tribus præcipuè, vt aiebat, contentus, hoc eſt, Oratione, Sacramentorum frequentia, & verbi Dei quotidiano pabulo.

5.6 Suis verò illud paſſim inſinuando repetebat: Non qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. At vt perſeuerantiæ bonum apud ſuos foueret magis, diſcretionis medium ſingulis inculcabat, non omnia aſſerens vno tentanda die, neque triduo ad ſanctitatis apicem perueniri: difficilius ſubdens eos moderari, qui plus nimio agere vellent; quam qui minus auderent, promouere: item non eatenus operationum medijs inſiſtendum, vt quis earundem finem, & ſcopum obliuiſcatur. Rurſus, corpus vſque adeo macerandum, vt in primis interni animi motus compeſcantur. Aſſerebat præterea, non facilè intermittenda eſſe pietatatis opera, quæ vnuſquiſque ſibi præſcripſerit; ideoque minus prudenter agere eos, qui ſpiritualibus exercitationibus plus nimiò ſe onerant: etenim nonnulli tot ſibi recitanda præſcribunt, vt breui vel defatigati deſiſtant, vel nimis feſtinanter perſoluant. Suos igitur monebat, vt modicam ſibi rerum ſpiritualium prouinciam deligerent, eamque ſemel ſuſceptam nunquam deponerent; quoniam vafer humani generis hoſtis, ſi vel ſemel ad quid pium intermittendum inducat, iterum, ac tertiò inducere non deſiſtet, quo tandem vſque prorſus omnia euaneſcant. Quam ob cauſam illud ſæpenumero ſuis repetebat: Nulla dies ſine linea.

Eoſ-

7 Eoſdem itidem hortabatur, vt quotidie optima quæque renouarent propoſita, confirmarentque;nec vnquam in tentationibus a ſpe deciderent, quoniam Deus quotieſcunque hominem vult inſigni aliqua decorare virtute,vitijs eum prius oppugnari oppoſitis permittit. Docebat amplius, ſpiritum deuotionis initiò abundè cælitus impertiri, ſed poſtea nonnunquam Dominum fingere ſe longius ire, vt ſic anima ſupernis conſolationibus deſtituta,eſcæ ſolidioris pabulo enutriri addiſceret. Tria præterea vitæ genera in re ſpirituali reperiri aiebat. Primam,quam animalem appellabat,eorum videlicet, qui velut animalia ad pabulum,ſenſibili quadam pertrahuntur deuotione. Secundam,quam dicebat rationalem eorum ſcilicet, qui nulla illecti dulcedine,ſolo virtutis intuitu colluctantur. Tertiam,quam nuncupabat Angelicam: eorum nempe, qui paſſionum ſuarum impetu depreſſo in Dei contemplatione tranquillæ vitæ ocio perfruuntur. Ex his verò tribus vitæ generibus, vt ſecundæ plurimum inſiſterent, ſuos monebat: fore promittens, vt aliquando, largiente Deo, tertiam haud dubiè aſſequerentur.

8 Adoleſcentes hortabatur,vt tanta cum diligentia fugerent perditorum hominum conſuetudinem, proborumque conſortijs inhærerent, quanta cum ſedulitate ſtudent ſacramenta obire. Non facile tamen adoleſcentibus credebat: adeo ut ſi aliquando in via Dei puberes aliquos ſat profeciſſe prædicarent,confeſtim reſponderet: Sinite eos inſtrui pennis, & de volatu tunc iudicabitis.

9 Eos, qui Religioſorum aliquem inire locum cogitabant; quò facilius in aſſumpti propoſiti vocatione perſiſterent, ante ingreſſum varijs dudum mortificationum generibus exercebat. Quapropter ex ijs multi,qui eius conſenſu in religioſam ſeruitutem ſe dicarunt, oborta occaſione affirmarunt, niſi prius a ſancto Viro hunc in modum probati, caſtigatique fuiſſent, planè futurum, vt diutius in clauſtris non perſtitiſſent.

10.11 Ceterum tum laicos,tum Regulares in ſibi præſcriptæ vocationis ſtatu firmè, conſtanterque non perdurare,ſed

L modo

modo hunc,modo illum, etiam altioris vitæ ſtatum aſſumere, ſuſpectum ſemper habuit: malus etenim dæmon, aiebat, in Angelum ſe lucis transfigurans, ſub ementito perfectioris vitæ colore, homines e recto tramite ſubducere conatur. Maximianus Burgus Veronenſis, in familiam cuiuſdam Principis ea conditione fuerat receptus, ne cogeretur certis quibuſdam negocijs deſeruire, vt Deo nempe vacare facilius poſſet. At quoniam Princeps a promiſſis ſemel atque iterum receſſit, Maximianus ab eo diſcedere cogitauit, quem Sanctus ad tolerantiam multis, varijsque argumentis hortatus, tandem edixit: Si crucem hanc ſubterfugeris, in aliam grauiorem omninò decides. Et ita prorſus illi obuenit: nam a Principe diſcedens, huc illuc anxius perpetuò demigrauit.

12.13 At quamuis generatim perſeuerantiæ virtutem in omnibus deſideraret; in ijs præcipue, qui e Congregatione erant, ardentius adamauit. Eis itaque in primis non facilè permittebat ab Vrbe diſceſſum. Quod vt apertius pateat, quę ſequuntur in medium proferam. Honeſtiſſimæ proſapię iuuenis in Congregationis familiam adſcriptus fuerat; qui vt optimæ erat indolis, optimam pariter apud omnes ſui expectationem excitauerat. Cùm ergo circa valetudinem nonnihil ſe malè habere cœpiſſet, ex amicorum monitu, ſanitatis recuperandæ gratia, cælum mutare deliberauit: quæ res Viro ſancto nequaquam placuit, ſed importunitate deuictus, tum maximè quòd alteri e Congregatione graui de cauſa ad illas partes demigrandum erat; abeundi facultatem conceſſit. Sed nonnullis, qui aderant, huiuſcemodi inſuſurrat ſermonem: Duo profectò diſcedent, ſed ex ijs vnus dumtaxat reuertetur. Nec vana prædictio, nam alter peracto negotio ad Vrbem reuertitur, iuuenis verò in patria domicilium figit. Verùm vt Philippi ſenſus hac in re clariùs innoteſcat, fragmentum epiſtolæ, quam ad iuuenem miſit, apponam.

14 Equidem malueram. N. ſerius aliquanto diſceſſiſſe; vt iſtic inter carnem, & ſanguinem, & inter matris amorem, & fratrum breuiori degeres interuallo SS. videlicet Marci, & Marcelliani exemplo edoctus, qui cum fortiter tot cruciati-

bus

bus reſtitiſſent, parentum tamen precibus nonnihil commoti, parum abfuit quin Chriſtum abiurarent, niſi eos ſanctus Sebaſtianus pijs verbis allocutus in fide confirmaſſet: Et ad extremum epiſtolæ hæc ſubiungit: iam verò integrum tibi eſt, vel remanere, vel redire, quoniam inuitum neminem hîc retinemus.

15 Ioannes Antonius Luccius, de quo alibi facta eſt mentio, Roma in patriam, & ipſe redire cogitans poteſtatem petijt a ſancto Viro, qui eius petitioni haudquaquam annuit, immo renuit illud Diui Pauli ſubdens: Puto ego quod ſpiritum Dei habeam. Diſceſſit tamen, factumque eſt, vt nunquam amplius ad Congregationem remeauerit. Idem alijs euenit, qui eo non approbante, in patriam profecti, vel ibidem mortui ſunt, vel Congregationis deſertores effecti, aliò ſe contulere.

16 Neque etiam Dei famulus ab Vrbe diſceſſum ijs facilè concedebat, vt varijs in oppidis Congregationes erigerent, vel erectas firmarent, ſed eos Romæ ſemper perſiſtere, maximopere cupiebat. Quod profectò, præterquam quòd ſeniores noſtri iunioribus id ſemper recolunt, colligitur ex literis; quibus Sanctus ipſe noſter ad ſanctum Carolum Borromęum reſcripſit (optabat enim optimus Præſul aliquem e Philippi alumnis ſuam in vineam mitti) Ait ergo: Cùm inter illos (loquitur de Presbyteris Congregationis) ſint qui ad ſtudia nuper incumbere cœperint, non adhuc ſatis exculti, eos a ſtudijs dimouere mei vis ingenij, quomodo id præſtari commodè poſſit ſine errore, non capit. Et infra: Excultos autem mittere nequaquam poſſumus, quoniam illorum opera nos ipſi maximè indigemus: & ſi aliquando ex ijs quenquam, pro re nata, tranſmittere cogor, vndique contremiſco, ac me Chriſto Domino plurimum commendo. Ex quibus datur intelligi, quæ fuerit hac in re Philippi ſententia.

VITAE S. PHILIPPI NERII LIBER TERTIVS.

De donis à Deo Philippo conceſſis.

Ecſtaſes, & Raptus.
Cap. I.

1 CVM Deus Optimus Maximus tot, tantisque virtutum ornamentis famulum ſuum decoraſſet, donis etiam gratuitis, quas gratias gratis datas appellant, eundem cumulatiſſimè exornauit. Primum ecſtaſes, frequentes, raptusq; admirabiles patiebatur: nec non ſuauiſſimis in dies ſupernarum rerum perfruebatur delicijs: quanquam Vir humilis nitebatur hæc ſingula totis animi viribus declinare.

2 Grauis olim apud Pontificem agebatur cauſa, ob quàm Patres Dominicani, ad quos pertinebat lis, ſanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum ad horas quadraginta intra cœnobij limites expoſuerant, quo & Philippus, & Franciſcus Maria Taurusius, & aliquot alij euocati conuenerunt. Dum itaque Vir Dei feruentius orat, ecce extemplo in ecſtaſim raptus, oculis in Sacramentum defixis, toto corpore immobilis hæret. Accurrunt protinus: eumque compellant. Deinde frontem,

tem, manus, ac pectus contrectantes, glacie frigidiorem reperiunt. Quamobrem veriti ne grauior irruiſſet morbus in cellulam inter manus illum aſportant. Vbi in eo mentis exceſſu aliquantiſper perſtitit, in ſe tandem reuerſus ſic fatur: Parta eſt nobis victoria, audita eſt oratio noſtra. Quare admiratione percuſſi, quænam fuerit raptus cauſa, quæue victoria, interrogant. Initio Philippus propalare renuit, ſed importunis adſtantium precibus deuictus: Scitote, inquit, negotium, cuius cauſa oratio indicta eſt, feliciſſimum exitum ſortitum eſſe. Cumque de ecſtaſi, quæ ſibi obuenerat, etiam atque etiam rogaretur, reſpondit ſe Chriſtum Ieſum in ſacra hoſtia intuitum eſſe, qui precantibus extenſa manu benedictionem impertiebatur; ideoque debitas Deo gratias agerent. Atque eo prorſus momento, quo Dei famulus ab ecſtaſi reuocatus eſt, Summum Pontificem cauſam ipſis adiudicaſſe intellexerunt.

3.4.5.6 Paulus Recuperatus, vtriuſque Signaturæ Referendarius, ſanctoque Parenti apprime charus, olim ſub veſperum Philippum adit, vt ſe Deo per confeſſionem reconciliaret. (morabatur tum Vir Dei in ædibus S. Hieronymi) eumque vnà cum Ioanne Animuccio, alumno chariſſimo cœnantem inuenit. Præſulem igitur benignè excipit, eiuſque confeſſionem inaudit, dumque capiti manum imponit, vt de more abſoluat, in ſuauiſſimam ecſtaſim rapitur, motu pariter, ac ſenſibus abalienatus. Quo ſitu corporis dudum ſic ſe habentem, ambo ingenti admiratione ac voluptate perfuſi attentiſſimè aſpiciunt. Philippus demum ad ſe reuerſus ſacramentalis abſolutionis expleta formula tacitus Præſulem dimittit. Fabritius de Maximis, vt ipſe quoque peccata confiteretur, Dei hominem adijt: cumque cubiculi oſtium reperiſſet ferè occluſum, ſenſim fores aperiens videt ſanctum Virum, ſummis pedibus inſiſtentem, & manibus, atque oculis in cælum ſublatis, geſtus varios exprimentem. Stat, ſpectat, & quid agat, aliquandiu obſeruat. Poſtmodum propior factus illum, vti conſueuerat, ſalutat: quem tamen Philippus nec videt, nec illi ſalutem impertit. Tum Fabritius pauliſper optimum ſe-

nem ſic ſtantem, maxima cum ſui oblectatione intuetur. Tandem Philippus ab ecſtaſi reuocatus Fabritium adeſſe aduertens interrogat, quonam pacto ſit ingreſſus? Reſpondet ſe, quod oſtium ſemiapertum offenderat, ſuſpenſo gradu intraſſe. Aſſidet tum Philippus, confeſſionemque excipit, ac de raptu nil prorſus commemorans abſolutum dimittit. Hoc idem ferè quamplurimis contigit, qui peccata confeſſuri ipſum adeuntes, non rarò a ſenſibus alienatum inuenerunt.

7 Olim Antonius Gallonius ipſum lecto iacentem, mortuoque ſimilem comperit: quapropter medicos confeſtim aduocat, qui errore decepti hominem apoplexia correptum iudicantes, iubent ignito globulo primùm caput inuri, & deinde cauſtica, atque id genus alia medicamina adhiberi: quinimmo Ioannes Franciſcus Bordinus illum animam acturum dijudicans, Oleo ſancto ex ritu liniuit. At reſtitutus ad ſenſus, quorſum hæc agant interrogat, cui reſpondent: Grauis te ſanè morbus ò Pater inuaſit. Tum ille ſubridens, Scitote inquit filij, mali nihil mihi grauius obtigiſſe, quàm quod vos nuper inflixiſtis. Ex quo datum eſt intelligi, re vera non aliquo laboraſſe morbo, ſed ecſtaſim de more fuiſſe perpeſſum.

8 Quod verò dum Sacrum faceret, ecſtaſim ſæpiſſime pateretur, præter ceteros, qui rem affirmant, Octauius Cardinalis Parauicinus, qui adoleſcens annos ferè viginti Philippo celebranti inſeruierat, huius ſe teſtem ac ſpectatorem fuiſſe teſtatur.

9 Inſuper quotieſcunque contingebat, vt Pontificem adiret, dubitans quin ecſtaſim coram eo pateretur, ſuis dicere conſueuit: date operam vos, ne cum Pontifice agens, leue quid, tantaque maieſtate minus dignum admittam.

10 Non defuerunt præterea, qui Philippum in aera toto corpore ſublatum viderunt, & præ alijs Paulus Sfondratus, tituli ſanctæ Ceciliæ presbyter Cardinalis illum orantem in cellula ad laqueare elatum conſpexit, quod is Paulo Quinto Summo Pontifici teſtis oculatus enarrauit.

11 Ioannes Baptiſta Modius, de quo ſupra, eo fuerat morbo correptus, vt cum linguæ vſum iam penitus amiſiſſet,

eum

eum mox e vita migraturum putarent. Acceſſit ad hominem Philippus, qui exhibitis primùm pietatis, ac beneuolentiæ officijs, in aliud eiuſdem domus cubiculum, pro ipſo oraturus ſe contulit. Media tranſacta nocte, cum domeſtici inquirerent, quem in locum ſe recepiſſet, ecce extemplo in prędicto cubiculo illum toto ſublatum corpore, lucisque radios iaculantem reperiunt; quo viſo in clamores erumpunt. Ad voces cuncti exciti accurrunt, & hominem e terra ſurſum elatum, vt capite cubiculi contignationem ferè pertingeret, multoque vt diximus ſplendore circumfuſum intuentur. Qui ad ſenſuum officia redditus, non aliter, ac ſi nihil accidiſſet, ægrotantem reuiſit, eiusque capiti manum imponens ait: Fac bono ſis animo; quandoquidem hoc ex morbo non morieris. Vix dixerat, cum ægrotus priſtinum linguæ vſum recuperat, Dei famulum alloquitur, & paucis poſt diebus ex integro conualeſcit.

12.13 Orabat aliquando Philippus in Vaticano ante ſacram, quam appellant, Confeſſionem Principis Apoſtolorum, cùm eum derepente vident, adhuc nixum genibus, toto corpore in aërem rapi, veſtibus ſic vndequaque compoſitis, quò ſe habebat corporis habitu, dum in terra ſitus oraret, quem deinde ſenſim ad terram delabi, atque ad locum priſtinum defluere cernunt. Ille verò plauſum hominum veritus, ſe inde proripuit. Qua de cauſa ne quid ſimile ſibi contingeret, ſolebat cùm primùm templa, comitantibus ſuis, ingrederetur, vix genu poſito ſurgere, & abire.

14 Viſus eſt quoque dum Sacrum faceret, non ſolùm vt diximus ecſtaſes pati ferè perpetuas, ſed non rarò etiam in altum efferri; quod a pijs, ſacrisque fœminis Turris ſpeculorum frequenter obſeruatum eſt, quarum nonnullæ ad quatuor prope palmos Chriſti ſeruū in aërem ſublatū a ſe viſū eſſe teſtantur. Vidit etiam duos palmos e terra ſublimē puella, quę vtpote ſimplex ad matrem conuerſa dixit: Obſerua mater, Presbyter ille a dæmone poſſidetur: nonne vides, quēadmodum in altum tollitur? Cui ipſa reſpondit: Tace ineptula: Presbyter iſte Sanctus eſt; ideo hunc in modū rapitur in ecſtaſim.

15 Sulpitia Sirleta Dei famulum ferè palmum ſurſum a ſuppedaneo altaris, ſublatum videns, corde ſecum ſic planè locuta eſt: Certè ſpiritu nequam agitur hic homo: verùm cùm ſubinde peccata confeſſura ad eum accederet, nec auderet, pudore correpta, ſancto Viro rem patefacere, demiſſa cœpit voce ſic muſſitare: Dixi Pater: ſed hæſit vox, nec aliquid inſuper exprimebat. Cui illico Philippus: Proſequere inquit inſanula, quid te vrget? Num de me deterius aliquid cogitaſti? Vtique reſpondit illa: Quid ergo? Ei Sulpitia: Cùm nudius tertius Miſſam celebrares, teque in aërem ſublatum: tum ille, digito ori appoſito, dixit: Tace. Ipſa tamen ſubdidit: Dixi in corde meo: A malo quidem ſpiritu agitatur Vir iſte. Tum Philippus ſubridens ait: Verum eſt filia, verum eſt; equidem agor a ſpiritu malo.

16 Eum præterea cæleſti ſplendore caput redimitum vidit Aurelius Baccius Senenſis. Celebrabat Philippus ad altare maius: cùmque ad illam canonis partem deueniſſet, in qua viuorum fit commemoratio, Aurelius ſplendida eum corona, diadematis inſtar circumdatum inſpexit. At veritus ne id ex oculorum imbecillitate proueniret, vt obtutum reficeret, aciem diuertit aliò, atque iterum Philippum intuens, eum pariter aurea redimitum luce cernebat: quamobrem & tertiò manibus ac linteolo palpebras perfricat, ac ceterorum aſtantium capita obſeruat, an eodem ſplendore fulgeant: nec quicquam ſimile inſpiciebat. Rurſus ad Virum Dei conuerſis oculis eundem planè intuebatur fulgorem, qui eò vſque tenuit, donec Chriſti ſeruus Sacrum conſumpſit; communione verò refecto confeſtim lux euanuit.

17 Mutius quoque Achilleus ſacerdos Septempedanus Romę degens, ipſum rem diuinam peragentem facie circumquaque ſplendidiſſimos radios vibrantem vidit.

18 Vincentius Lanterus, Epidauri Archiepiſcopus, dum adhuc adoleſcens Philippi manum oſcularetur, eam omnino auream, radijſque vndique fulgentem perſpexit: ita vt oculorum acie eo fulgore perſtricta obſtupeſcens, Thomam Bozzinum, confeſſarium ſuum rem narraturus illicò adierit. Qui,

ne mireris ait: etenim quamplurimi Philippi manum auro ignito perſimilem inſpexerunt.

19 Tandem puella duodennis ſæpenumero Philippum celebrantem lucidiſſima opertum nubecula intuita eſt, & quamuis ille varij coloris caſula pro temporis varietate vteretur, adoleſcentula tamen candido ſemper eum colore amictum intuebatur. Hæc, & aliæ quamplurimæ poſſent ecſtaſes, & raptus in medium afferri, ſed hæc ſuffecerint.

Viſiones: Cap. II.

1.2 CAeleſtibus etiam viſis Philippum Deus frequentiſſimè recreauit; quorum nonnulla ex præcipuis dumtaxat recenſebimus. Primò igitur adhuc laicus, diuinæ voluntatis agnoſcendæ cupidiſſimus, cùm vt dictum eſt, necdum deliberaſſet, quodnam vitæ genus amplexurus eſſet, inſtantius Deum deprecabatur, vt voluntatem ſuam aperiret: dum ecce, ſub ortum ſolis, S.Ioannes Baptiſta videndum ei ſe offert,qui illum ſui præſentia prius recreatum confirmatumque docet, in Vrbe, & non alibi, (vt idemmet Philippus poſtea Federico Cardinali Borromæo ſignificauit) ipſi commorandum eſſe: omnique alia prorſus proiecta cura, animarum ſaluti totis viribus Romæ incumbendum. Hoc idem per viſum ei ſignificarunt duæ Sanctorum ciuium animæ, cæleſti gloria decoræ; quarum altera,aridi panis fruſtulo ſe veſci ſimulans, in hæc ferè verba prorupit: Voluntas Dei eſt ò Philippe, vt media in Vrbe, quaſi in ſolitudinis receſſu vitam agas. Ex quibus duabus apparitionibus, atque ex eo, quod illi poſtea Auguſtinus Ghettinus ad Aquas Saluias, vt pra pluribus enarrauimus,edixerat; omnem exinde, quam de ſui ſtatus delectu habuerat hæſitationem depoſuit.

3 Orabat rurſus per Chriſti Domini natalitia in Eccleſia vnà cum alumnis Conſtantio Taſſonio,& Sebaſtiano Muſico dumque intenſius mentis aciem in Chriſtum figit, ecce tibi extemplo Ieſum in altari ſub infantuli ſpecie intuetur.Et quoniam eundem etiam a ſocijs videri cenſebat: Nonne, inquit,

Chriſtum infantulum ſuper aram conſiſtentem cernitis? Negantibus ijs, animaduertit viſum ceteros latere, quare tacitus orationem ſuam proſequitur.

4 Olim celebrans, poſt oſtenſum populo Chriſti corpus, depoſita hoſtia, antequam calicem attolleret, perſtitit diu. Verùm peracto Sacro, ab altari diſcedens, ea frontis alacritate viſus eſt in Sacrarium redire, quæ ridentibus eſſe ſolet. Interrogatus cur in ea parte, quæ inter hoſtiam ad adorandum propoſitam, calicemque oſtentandum intercedit, tandiu perſtitiſſet, & cur tam hilaris rediјſſet ad Sacrarium, ſubriſit, & interrogantis capiti impoſita manu, ſilentio rem inuoluit. Sed importunis precibus fatigatus, tandem in hæc verba reſpondit: Sæpe dum celebro, fili, Paradiſi gloriam video, ſed caue ne quid vnquam hac de re oſcites.

5 Illud præterea ei diuinitus datum eſt, vt multorum animas in cælum ferri conſpiceret. Marius Toſinus, ex primis ſanctiſſimæ Trinitatis confratribus, vir maximæ probitatis, cuius res geſtas ſcriptis conſignauit Bōſignorius Cacciaguerrius, ſtatim ac e vita deceſſit, Philippo apparuit, bis eum proprio nomine compellans: qui oculos ſurſum eleuans vidit eius animam ſplendore circumfuſam ad ſuperos euolare. Mane, ea prorſus hora, qua ſibi viſum obtigerat, hominem e vita migraſſe comperit.

6 Vincentius Miniator nuncupatus, vir & ipſe admodum pius, atque ex primis eiuſdem Sodalitij confratribus, illico poſt ſuum e vita diſceſſum cæleſti coruſcus fulgore ſe conſpiciendum Philippo obtulit, quem is in cælum aſcendentem inſpexit: cùm ergo die inſequenti defuncti vxorem conſolaturus adiret: Tuus, ait, hac nocte vir cubiculi oſtio pulſato apud me fuit, teque tuamque familiam plurimum commendauit: mulier ad hæc verba reuiuiſcere viſa eſt, quam Philippus exinde vnà cum filijs in omnibus, quæ opus erant, adiuuit.

7.8 Defunctus eſt Marcus Antonius Corteſellus Comenſis, Philippo apprime charus, atque orationi, pietatiſque operibus addictiſſimus, apud quem piorum eleemoſynæ Capucinis erogatæ deponebantur, quique de Philippo planè vaticinans,

cinans, ſic prænunciatum reliquit: Vir iſte paucis adhuc innotuit, verùm quantus poſthac futurus ſit, omnibus innoteſcet. Cùm igitur viri huius cadauer in templo ſanctæ Catharinæ, prope ſanctum Hieronymum a charitate, in feretro expoſitum iaceret; Philippus vnà cum Antonio Gallonio, altero comitante presbytero, ad corpus videndum ſe contulit: illudque aliquandiu intuitus pictorem aduocat, & eiuſdem imaginem ad viuum effingi iuſſit. Admiratus eſt alter, qui comes aduenerat: at Gallonius: Ne mireris, inquit: etenim Pater optimus illius animam præterita nocte fulgidiſſimam ſibi apparuiſſe retulit: ſecumque pariter ad quatuor, vel quinque circiter horas protraxit ſermonem; eamque inde in cælos euolaſſe vidit.

9 Fabritio de Maximis erat filia, tredecim annos nata, Helena nomine: virgo Chriſti amore ſaucia, quæ Confeſſario ad nutum obſequebatur. Hæc ter ſaltem in hebdomada ſacro Chriſti corpore reficiebatur: orationem auidius, quàm cibum appetebat: Dominicam paſſionem vberrimis lugebat lacrymis: ſemetipſam contemnere adeo ſatagebat, vt omnibus ſubeſſe quàm ambitioſè perquireret, & vt ſe Chriſto gratam aliqua ex parte oſtenderet, plurimum pro ipſo pati deſiderabat; quæ in vltima ipſius ægrotatione, poſtquam illi Baronius viaticum præbuerat, a Chriſto Domino animam ſuam ſanguine conſpergi vidit, ac demum mortis hora prænunciata pijſſimè ſpiritum efflauit. Hanc igitur Philippus comitantibus, & concinentibus Angelis ad cælitum ſedes euolantem conſpexit.

10 Denique pro comperto habebant ſui, Philippum, cum primùm pœnitentes e vita migraſſent, de ſtatu eorundem in altero ſeculo certiorem fieri. Virgilio Creſcentio diē functo, dum eius filios de more conſolaretur: Bono inquit eſtote animo: veſter enim genitor a præpotente Deo cæleſti donatus eſt gloria; quid loquor, probè ſcio: idque ſemel atque iterum repetijt. Ceterum apud omnes adeo firma erat opinio, Philippū diuinitus noſſe, cuinam loco ſuorum animę fuiſſent addictæ, vt multi ad eum pergerent, ab ipſo rem cognitu-

gnituri. Ioannes Antonius Luccius, de quo alibi, nuper fuerat matre orbatus: quare Philippum rogat, vt preces ad Deũ fundat, ſibique renunciet, an ſalutis locum mater adepta ſit, nec ne. Ad quem is: Lætare, inquit, mater tua in cælo profecto eſt: quandoquidem ſubdit, idem ferè contigit, quod olim oranti mihi in patris mei funere contigerat. Ex quo ſatis patet Philippi parentem, vt par eſt credere, ſalutis locum nati precibus ſortitum fuiſſe.

11 Obierat Ioannes Animuccius Muſices in Vaticano præfectus, qui ad Oratorium quotidie accedens, completis ad populum ſermonibus, muſicum inſtituebat concentum (erat enim in arte inſignis) tantæ puritatis, & caſtimoniæ vir, vt poſtquam Philippo duce, Chriſto inſeruire cœpit, non aliter ac ſi cum ſorore, cum vxore vixerit: idque a Deo conſecutus eſt, vt qui viuens ſcrupulorum moleſtijs maximopere angebatur, morti proximus liber omnino euaſerit. Accidit ergo, vt is tribus iam annis e viuis ſublatus, die quodam ſolitis expletis concionibus, Alphonſo cuidam Luſitano apparuerit: atque interrogauerit eundum ſic illum: Iam ne Oratorium dimiſſum? Dimiſſum reſpondet Alphonſus. Iterat ille: Meis quæſo verbis Philippum roga, vt pro me apud Dominum orationibus inſtet: hiſque dictis euanuit. Tum Alphonſus ſecum reputans, Ioannem Animuccium iam dudum vita perfunctum, reuocat gradum, vt hominem reuiſat, inuentoque nemine pauidus, ac tremens Philippum adit, eique rem omnem enarrat: qui præcipit, vt die poſtero facti ſeriem in Oratorio ipſe adamuſſim ediſſerat. Deinde mandat, vt Miſſas in diuerſis Vrbis Eccleſijs pro defuncto celebrandas curent. His omnibus peractis, cunctis palam Philippus edixit: Animuccius noſter iam peruenit: ſignificans e Purgatorio ad cæleſte regnum euolaſſe. Et hinc fiebat, vt quippequi animas piorum hominum frequenter viderat, aſſereret, earum pulchritudinem nulla prorſus ratione exprimi poſſe.

12 Præterea Vir diuini certe luminis plenus animarum quoque in corpore adhuc exiſtentium decus, ac ſplendorem

inſpi-

inſpiciebat. Quapropter loquens aliquando de admirabili nitore, quo anima S. Ignatij Societatis Ieſu fundatoris dum viueret, præfulgebat; talem ac tantum extitiſſe ait, vt ipſius e facie micantes radios erumpere ſe olim conſpexiſſe aſſereret: idque ſibi pariter contigiſſe, dum S. Caroli Cardinalis Borromæi vultum intenſius intueretur. Intuitus eſt etiam faciem cuiuſdam adoleſcentis ſimili fulgore radiantem, qui poſtea Dominicanæ familiæ adſcriptus, & Petri Martyris nomine nuncupatus, totius inde Ordinis Vicarius Generalis effectus, maxima cum pietatis fama in pace quieuit. Vidit quoque e Carthuſianis nonnullos, facię itidem effulgere, dum e choro ab oratione vnà cum ceteris bini reuerterētur.

13 Verùm enim verò, cæleſtibus non modo viſis recreabatur Philippus, ſed tetris quoque dæmonum aſpectibus ad aliorum inſtructionem frequentius infeſtabatur. Demandauerat quondam memorato Antonio Luccio, vt ad liberandam oppreſſam a dæmone fœminam ſacros exorciſmos adhiberet, eamque ad maius ſatanæ ludibrium flagellis cæderet: quod ille quàm celerrimè præſtitit. At ex huiuſmodi contemptu in tantum ſuperbus dæmon exarſit, vt ſequenti nocte immania oſtentans ora, teterrimum fœtorem vomens ſeſe Philippo obijceret, illoque cubiculum oppleret, qui multo poſt tempore perdurauit.

14 Rurſus cum ſemel in Oratorio ſancti Hieronymi vnà cum ſuis alumnis moraretur, inter quos aderat Gabriel Paleottus, nondum Purpura decoratus, vacaretque de more diuinis, extemplo inclamat: Heu vos fratres, cauete: adſtat dæmon. Hæc ad verba procumbunt omnes in genua, ipſe verò ſigno ſanctiſſimæ crucis contra dæmonem aërem ſignans intonat: Hùc profecto non ingredieris, & confeſtim dæmon euanuit.

15.16 Perrexerat aliquando Vir Dei ad Thermas Diocletianas, vt Eccleſiam B. Mariæ Angelorum inuiſeret: cumque oculos ſuſtuliſſet, inſpexit ſuper quēdam vetuſti parietis ſtructuram improbum dæmonem, qui diuerſos variosque vultus ementitus modò iuuenem, modò ſenem, nunc formoſum,

nunc

nunc deformem præferebat ſeſe. Ex his intelligens Philippus illum haſce formas induere, vt ſibi illuderet, diuino inuocato numine, iubet protinus abire, ad cuius imperium, tetris vndique odoribus infecto aëre, ſe illinc e conſpectu proripuit. Conſueuerat enim ſcelestus, quotieſcunque illi ſe obijceret, huiuſmodi putoribus ſanctiſſimo viro moleſtiam inferre. Is malus odor ſulphureus plerumque erat, maximèque hærebat, quem ipſe duntaxat percipiebat: etſi aliquando, ſed rarò, etiam e ſuis nonnullos afficiebat. Impoſuerat aliquando energumenæ cuidam fœminæ manus, vt aſſolent Sacerdotes, quas fœtore illo refertas, quamuis odoratis aquis ad eas abluendas vteretur, perfricaretque nitro, vix tamen illas omnino expurgare poterat, quem interdum pœnitentium naribus ex induſtria olfaciendum offerebat, vt illius grauitate offenſi, peſtiferas peccatorum labes fugere, ac ſolicitè deteſtari addiſcerent.

17 Aliàs in eccleſia commoranti, dæmon pueri ſpeciem præſeferens, videndum ſe præbuit: qui linteolum ore premens ipſum irridebat. Sed Philippus minaci oculorum acie ipſum concutiens conſternatum fugauit. Gallonium ſubinde interrogat, num puerum vidiſſet: vtique reſpondit: Scito, ſubdit Philippus, non puerum fuiſſe, ſed ſatanam, qui fideles in templo exiſtentes tentaturus aduenerat.

18 Demum vſque adeo illi inuidus dæmon infenſus fuit, vt ei ferè perpetuò moleſtias intulerit. Quandoque enim horribilem, ac teterrimum ſe oſtentare: interdum veſtes ſordibus aſpergere: aliàs pergrandes lignorum trabes, & ligna hac illac commouere: lucernam interdum extinguere, ſtrepitus excitare; & innumeras interdiu, noctuque moliri inſidias. Quæ omnia intrepidus beatiſſimæ Virginis ope facillimè ſuperabat.

19 Ex multis huiuſcemodi viſis, tum a Deo, tum a dæmone obiectis, factum eſt, vt quotieſcunque hac de re cum ſuis ageret, in medium illam Sanctorum afferret doctrinam; ijs minimè inſiſtendum. Neque eorum vllo modo acquieſcebat ſpiritui, qui iſtiuſmodi rebus auidius inhiarent, neque ſa-

tis eſſe, aiebat, ſi quis dixerit; Viſiones nil curo: non ergo contingent: quoniam ijs etiam quandoque eueniunt, qui earum nullo penitus tenentur deſiderio. Difficilè præterea ex ijs non intumeſcere; difficilius ſe non dignum credere; difficillimum verò, ſe iiſdem omnino indignum exiſtimare, ac ſolidis virtutibus viſiones non anteponere. Aſſerebat etiam viſiones illas, quæ vel Eccleſiæ, vel ſibi, aut publicæ, vel priuatæ aliorum vtilitati non prodeſſent, reijciendas eſſe, vel ſaltem cautius admittendas. Confeſſarios præmonebat, vt pœnitentium reuelationibus, ac præcipuè fœminarum, nihil ferè tribuerent: cito namque mulieres ad perfectionis apicem perueniſſe videntur, ſed temporis lapſu quicquid in ijs ſanctimoniæ apparebat, vel leuitatem, vel ſimulationem extitiſſe comperias: quin multos exinde infelici exitu fuiſſe collapſos. Quocirca cum ſemel ſuggeſtum ſermonem habiturus conſcenderet, ſeq; in ecſtaſim rapi interim præſentiret, eā validius cōprimere conatus, manu percuſſo fœmore ait, qui ecſtaſes, viſionesq; ſectatur, quid petat, neſcit: atq; in fletū prorūpens abſceſſit. Aliàs cùm de ſuis vnus his de rebus ſermonem ad populum faceret, cathedrā derepente conſcendens ita fatur: Equidem fœminam noui admodum piam, quæ ecſtaſes diu paſſa, tandem Deo ſic diſponente, iiſdem in poſterum omnino caruit. Quonam tempore exiſtimatis, Auditores, a me pluris habitam fuiſſe fœminam? Proculdubio vbi contigit, eam ab ecſtaſi omnino vacare: atque his dictis e ſuggeſtu deſilijt.

20 Retulerant ei quidam quòd tertij Ordinis Virgo Chriſtum frequenter videret, frequentiſſimè autem beatam Catharinam Senenſem, quibus ille: Haud dubium fœminas facillimè in errorem induci: igitur meo nomine illam adhortamini, vt quotieſcunque huiuſmodi imagines videre contingat, earundem faciem audacter conſpuat. Paruit virgo, atque exinde maximum ſe percepiſſe emolumentum confeſſa eſt.

21 Franciſco Mariæ, vulgo Ferrarienſi, ex primis illis Philippi alumnis, noctu ſub Deiparæ ſpecie dæmonſe videndum obiecerat. Quod cum is ſummo mane Philippo retuliſſet,

nem ſic ſtantem, maxima cum ſui oblectatione intuetur. Tandem Philippus ab ecſtaſi reuocatus Fabritium adeſſe aduertens interrogat, quonam pacto ſit ingreſſus? Reſpondet ſe, quod oſtium ſemiapertum offenderat, ſuſpenſo gradu intraſſe. Aſſidet tum Philippus, confeſſionemque excipit, ac de raptu nil prorſus commemorans abſolutum dimittit. Hoc idem ferè quamplurimis contigit, qui peccata confeſſuri ipſum adeuntes, non rarò a ſenſibus alienatum inuenerunt.

7 Olim Antonius Gallonius ipſum lecto iacentem, mortuoque ſimilem comperit: quapropter medicos confeſtim aduocat, qui errore decepti hominem apoplexia correptum iudicantes, iubent ignito globulo primùm caput inuri, & deinde cauſtica, atque id genus alia medicamina adhiberi: quinimmo Ioannes Franciſcus Bordinus illum animam acturum dijudicans, Oleo ſancto ex ritu liniuit. At reſtitutus ad ſenſus, quorſum hæc agant interrogat, cui reſpondent: Grauis te ſanè morbus ò Pater inuaſit. Tum ille ſubridens, Scitote inquit filij, mali nihil mihi grauius obtigiſſe, quàm quod vos nuper inflixiſtis. Ex quo datum eſt intelligi, re vera non aliquo laboraſſe morbo, ſed ecſtaſim de more fuiſſe perpeſſum.

8 Quod verò dum Sacrum faceret, ecſtaſim ſæpiſſime pateretur, præter ceteros, qui rem affirmant, Octauius Cardinalis Parauicinus, qui adoleſcens annos ferè viginti Philippo celebranti inſeruierat, huius ſe teſtem ac ſpectatorem fuiſſe teſtatur.

9 Inſuper quotieſcunque contingebat, vt Pontificem adiret, dubitans quin ecſtaſim coram eo pateretur, ſuis dicere conſueuit: date operam vos, ne cum Pontifice agens, leue quid, tantaque maieſtate minus dignum admittam.

10 Non defuerunt præterea, qui Philippum in aera toto corpore ſublatum viderunt, & præ alijs Paulus Sfondratus, tituli ſanctæ Ceciliæ presbyter Cardinalis illum orantem in cellula ad laquearo elatum conſpexit, quod is Paulo Quinto Summo Pontifici teſtis oculatus enarrauit.

11 Ioannes Baptiſta Modius, de quo ſupra, eo fuerat morbo correptus, vt cum linguæ vſum iam penitus amiſiſſet,

eum

eum mox e vita migraturum putarent. Acceſſit ad hominem Philippus, qui exhibitis primùm pietatis, ac beneuolentiæ officijs, in aliud eiuſdem domus cubiculum, pro ipſo oraturus ſe contulit. Media tranſacta nocte, cum domeſtici inquirerent, quem in locum ſe recepiſſet, ecce extemplo in prędicto cubiculo illum toto ſublatum corpore, lucisque radios iaculantem reperiunt; quo viſo in clamores erumpunt. Ad voces cuncti exciti accurrunt, & hominem e terra ſurſum elatum, vt capite cubiculi contignationem ferè pertingeret, multoque vt diximus ſplendore circumfuſum intuentur. Qui ad ſenſuum officia redditus, non aliter, ac ſi nihil accidiſſet, ægrotantem reuiſit, eiusque capiti manum imponens ait: Fac bono ſis animo; quandoquidem hoc ex morbo non morieris. Vix dixerat, cum ægrotus priſtinum linguæ vſum recuperat, Dei famulum alloquitur, & paucis poſt diebus ex integro conualeſcit.

12.13 Orabat aliquando Philippus in Vaticano ante ſacram, quam appellant, Confeſſionem Principis Apoſtolorum, cùm eum derepente vident, adhuc nixum genibus, toto corpore in aërem rapi, veſtibus ſic vndequaque compoſitis, quò ſe habebat corporis habitu, dum in terra ſitus oraret, quem deinde ſenſim ad terram delabi, atque ad locum priſtinum defluere cernunt. Ille verò plauſum hominum veritus, ſe inde proripuit. Qua de cauſa ne quid ſimile ſibi contingeret, ſolebat cùm primùm templa, comitantibus ſuis, ingrederetur, vix genu poſito ſurgere, & abire.

14 Viſus eſt quoque dum Sacrum faceret, non ſolùm vt diximus ecſtaſes pati ferè perpetuas, ſed non raro etiam in altum efferri; quod a pijs, ſacrisque fœminis Turris ſpeculorum frequenter obſeruatum eſt, quarum nonnullæ ad quatuor prope palmos Chriſti ſeruū in aërem ſublatū a ſe viſū eſſe teſtantur. Vidit etiam duos palmos e terra ſublimē puella, quę vtpote ſimplex ad matrem conuerſa dixit: Obſerua mater, Presbyter ille a dæmone poſſidetur: nonne vides, queadmodum in altum tollitur? Cui ipſa reſpondit: Tace ineptula: Presbyter iſte Sanctus eſt; ideo hunc in modū rapitur in ecſtaſim.

15 Sulpitia Sirleta Dei famulum ferè palmum ſurſum a ſuppedaneo altaris, ſublatum videns, corde ſecum ſic planè locuta eſt: Certè ſpiritu nequam agitur hic homo: verùm cùm ſubinde peccata confeſſura ad eum accederet, nec auderet, pudore correpta, ſancto Viro rem patefacere, demiſſa cœpit voce ſic muſſitare: Dixi Pater: ſed hæſit vox, nec aliquid inſuper exprimebat. Cui illico Philippus: Proſequere inquit inſanula, quid te vrget? Num de me deterius aliquid cogitaſti? Vtique reſpondit illa: Quid ergo? Ei Sulpitia: Cùm nudius tertius Miſſam celebrares, teque in aërem ſublatum: tum ille, digito ori appoſito, dixit: Tace. Ipſa tamen ſubdidit: Dixi in corde meo: A malo quidem ſpiritu agitatur Vir iſte. Tum Philippus ſubridens ait: Verum eſt filia, verum eſt: equidem agor a ſpiritu malo.

16 Eum præterea cæleſti ſplendore caput redimitum vidit Aurelius Baccius Senenſis. Celebrabat Philippus ad altare maius: cùmque ad illam canonis partem deueniſſet, in qua viuorum fit commemoratio, Aurelius ſplendida eum corona, diadematis inſtar circumdatum inſpexit. At veritus ne id ex oculorum imbecillitate proueniret, vt obtutum reficeret, aciem diuertit aliò, atque iterum Philippum intuens, eum pariter aurea redimitum luce cernebat: quamobrem & tertiò manibus ac linteolo palpebras perfricat, ac ceterorum aſtantium capita obſeruat, an eodem ſplendore fulgeant: nec quicquam ſimile inſpiciebat. Rurſus ad Virum Dei conuerſis oculis eundem planè intuebatur fulgorem, qui eò vſque tenuit, donec Chriſti ſeruus Sacrum conſumpſit; communione verò refecto confeſtim lux euanuit.

17 Mutius quoque Achilleus ſacerdos Septempedanus Romę degens, ipſum rem diuinam peragentem facie circumquaque ſplendidiſſimos radios vibrantem vidit.

18 Vincentius Lanterus, Epidauri Archiepiſcopus, dum adhuc adoleſcens Philippi manum oſcularetur, eam omnino auream, radijſque vndique fulgentem perſpexit: ita vt oculorum acie eo fulgore perſtricta obſtupeſcens, Thomam Bozzinum, confeſſarium ſuum rem narraturus illicò adierit. Qui,

ne

ne miréris ait: etenim quamplurimi Philippi manum auro ignito perſimilem inſpexerunt.

19 Tandem puella duodennis ſæpenumero Philippum celebrantem lucidiſſima opertum nubecula intuita eſt, & quamuis ille varij coloris caſula pro temporis varietate vteretur, adoleſcentula tamen candido ſemper eum colore amictum intuebatur. Hæ, & aliæ quamplurimæ poſſent ecſtaſes, & raptus in medium afferri, ſed hæc ſuffecerint.

Viſiones: Cap. II.

1.2 CAeleſtibus etiam viſis Philippum Deus frequentiſſimè recreauit; quorum nonnulla ex præcipuis dumtaxat recenſebimus. Primò igitur adhuc laicus, diuinæ voluntatis agnoſcendæ cupidiſſimus, cùm vt dictum eſt, necdum deliberaſſet, quodnam vitæ genus amplexurus eſſet, inſtantius Deum deprecabatur, vt voluntatem ſuam aperiret: dum ecce, ſub ortum ſolis, S.Ioannes Baptiſta videndum ei ſe offert, qui illum ſui præſentia prius recreatum confirmatumque docet, in Vrbe, & non alibi, (vt idemmet Philippus poſtea Federico Cardinali Borromæo ſignificauit) ipſi commorandum eſſe: omnique alia prorſus proiecta cura, animarum ſaluti totis viribus Romæ incumbendum. Hoc idem per viſum ei ſignificarunt duæ Sanctorum ciuium animæ, cæleſti gloria decoræ; quarum altera, aridi panis fruſtulo ſe veſci ſimulans, in hæc ferè verba prorupit: Voluntas Dei eſt ò Philippe, vt media in Vrbe, quaſi in ſolitudinis receſſu vitam agas. Ex quibus duabus apparitionibus, atque ex eo, quod illi poſtea Auguſtinus Ghettinus ad Aquas Saluias, vt pra pluribus enarrauimus, edixerat; omnem exinde, quam de ſui ſtatus delectu habuerat hæſitationem depoſuit.

3 Orabat rurſus per Chriſti Domini natalitia in Eccleſia vnà cum alumnis Conſtantio Taſſonio, & Sebaſtiano Muſico dumque intenſius mentis aciem in Chriſtum figit, ecce tibi extemplo Ieſum in altari ſub infantuli ſpecie intuetur. Et quoniam eundem etiam a ſocijs videri cenſebat: Nonne, inquit,

Cari-

Chriſtum infantulum ſuper aram conſiſtentem cernitis? Negantibus ijs, animaduertit viſum ceteros latere, quare tacitus orationem ſuam proſequitur.

4 Olim celebrans, poſt oſtenſum populo Chriſti corpus, depoſita hoſtia, antequam calicem attolleret, perſtitit diu. Verùm peracto Sacro, ab altari diſcedens, ea frontis alacritate viſus eſt in Sacrarium redire, quæ ridentibus eſſe ſolet. Interrogatus cur in ea parte, quæ inter hoſtiam ad adorandum propoſitam, calicemque oſtentandum intercedit, tandiu perſtitiſſet, & cur tam hilaris rediјſſet ad Sacrarium, ſubriſit, & interrogantis capiti impoſita manu, ſilentio rem inuoluit. Sed importunis precibus fatigatus, tandem in hæc verba reſpondit: Sæpe dum celebro, fili, Paradiſi gloriam video, ſed caue ne quid vnquam hac de re oſcites.

5 Illud prætereа ei diuinitus datum eſt, vt multorum animas in cælum ferri conſpiceret. Marius Toſinus, ex primis ſanctiſſimæ Trinitatis confratribus, vir maximæ probitatis, cuius res geſtas ſcriptis conſignauit Bõſignorius Cacciaguerrius, ſtatim ac e vita deceſſit, Philippo apparuit, bis eum proprio nomine compellans: qui oculos ſurſum eleuans vidit eius animam ſplendore circumfuſam ad ſuperos euolare. Mane, ea prorſus hora, qua ſibi viſum obtigerat, hominem e vita migraſſe comperit.

6 Vincentius Miniator nuncupatus, vir & ipſe admodum pius, atque ex primis eiuſdem Sodalitij confratribus, illico poſt ſuum e vita diſceſſum cæleſti coruſcus fulgore ſe conſpiciendum Philippo obtulit, quem is in cælum aſcendentem inſpexit: cùm ergo die inſequenti defuncti vxorem conſolaturus adiret: Tuus, ait, hac nocte vir cubiculi oſtio pulſato apud me fuit, teque tuamque familiam plurimum commendauit: mulier ad hæc verba reuiuiſcere viſa eſt, quam Philippus exinde vnà cum filijs in omnibus, quæ opus erant, adiuuit.

7.8 Defunctus eſt Marcus Antonius Corteſellus Comenſis, Philippo apprîme charus, atque orationi, pietatiſque operibus addictiſſimus, apud quem piorum eleemoſynæ Capucinis erogatæ deponebantur, quique de Philippo planè vaticinans,

cinans, ſic prænunciatum reliquit: Vir iſte paucis adhuc innotuit, verùm quantus poſthac futurus ſit, omnibus innoteſcet. Cum igitur viri huius cadauer in templo ſanctæ Catharinæ, prope ſanctum Hieronymum a charitate, in feretro expoſitum iaceret; Philippus vnà cum Antonio Gallonio, altero comitante presbytero, ad corpus videndum ſe contulit: illudque aliquandiu intuitus pictorem aduocat, & eiuſdem imaginem ad viuum effingi iuſſit. Admiratus eſt alter, qui comes aduenerat: at Gallonius: Ne mireris, inquit: etenim Pater optimus illius animam præterita nocte fulgidiſſimam ſibi apparuiſſe retulit: ſecumque pariter ad quatuor, vel quinque circiter horas protraxit ſermonem; eamque inde in cælos euolaſſe vidit.

9 Fabritio de Maximis erat filia, tredecim annos nata, Helena nomine: virgo Chriſti amore ſaucia, quæ Confeſſario ad nutum obſequebatur. Hæc ter ſaltem in hebdomada ſacro Chriſti corpore reficiebatur: orationem auidius, quàm cibum appetebat: Dominicam paſſionem vberrimis lugebat lacrymis: ſemetipſam contemnere adeo ſatagebat, vt omnibus ſubeſſe quàm ambitioſè perquireret, & vt ſe Chriſto gratam aliqua ex parte oſtenderet, plurimum pro ipſo pati deſiderabat; quæ in vltima ipſius ægrotatione, poſtquam illi Baronius viaticum præbuerat, a Chriſto Domino animam ſuam ſanguine conſpergi vidit, ac demum mortis hora prænunciata piiſſimè ſpiritum efflauit. Hanc igitur Philippus comitantibus, & concinentibus Angelis ad cælitum ſedes euolantem conſpexit.

10 Denique pro comperto habebant ſui, Philippum, cum primùm pœnitentes e vita migraſſent, de ſtatu eorundem in altero ſeculo certiorem fieri. Virgilio Creſcentio diē functo, dum eius filios de more conſolaretur: Bono inquit eſtote animo: veſter enim genitor a præpotente Deo cæleſti donatus eſt gloria; quid loquor, probè ſcio: idque ſemel atque iterum repetijt. Ceterum apud omnes adeo firma erat opinio, Philippū diuinitus noſſe, cuinam loco ſuorum animę fuiſſent addictæ, vt multi ad eum pergerent, ab ipſo rem cognitu-

gnituri. Ioannes Antonius Luccius, de quo alibi, nuper fuerat matre orbatus: quare Philippum rogat, vt preces ad Deũ fundat, ſibique renunciet, an ſalutis locum mater adepta ſit, nec ne. Ad quem is: Lætare, inquit, mater tua in cælo profecto eſt: quandoquidem ſubdit, idem ferè contigit, quod olim oranti mihi in patris mei funere contigerat. Ex quo ſatis patet Philippi parentem, vt par eſt credere, ſalutis locum nati precibus ſortitum fuiſſe.

11 Obierat Ioannes Animuccius Muſices in Vaticano præfectus, qui ad Oratorium quotidie accedens, completis ad populum ſermonibus, muſicum inſtituebat concentum (erat enim in arte inſignis) tantæ puritatis, & caſtimoniæ vir, vt poſtquam Philippo duce, Chriſto inſeruire cœpit, non aliter ac ſi cum ſorore, cum vxore vixerit: idque a Deo conſecutus eſt, vt qui viuens ſcrupulorum moleſtijs maximopere angebatur, morti proximus liber omnino euaſerit. Accidit ergo, vt is tribus iam annis e viuis ſublatus, die quodam ſolitis expletis concionibus, Alphonſo cuidam Luſitano apparuerit: atque inter eundum ſic illum interrogauerit: Iam ne Oratorium dimiſſum? Dimiſſum reſpondet Alphonſus. Iterat ille: Meis quæſo verbis Philippum roga, vt pro me apud Dominum orationibus inſtet: hiſque dictis euanuit. Tum Alphonſus ſecum reputans, Ioannem Animuccium iam dudum vita perfunctum, reuocat gradum, vt hominem reuiſat, inuentoque nemine pauidus, ac tremens Philippum adit, eique rem omnem enarrat: qui præcipit, vt die poſtero facti ſeriem in Oratorio ipſe adamuſſim ediſſerat. Deinde mandat, vt Miſſas in diuerſis Vrbis Eccleſijs pro defuncto celebrandas curent. His omnibus peractis, cunctis palam Philippus edixit: Animuccius noſter iam peruenit: ſignificans e Purgatorio ad cæleſte regnum euolaſſe. Et hinc fiebat, vt quippequi animas piorum hominum frequenter viderat, aſſereret, earum pulchritudinem nulla prorſus ratione exprimi poſſe.

12 Præterea Vir diuini certe luminis plenus animarum quoque in corpore adhuc exiſtentium decus, ac ſplendorem

inſpi-

inſpiciebat. Quapropter loquens aliquando de admirabili nitore, quo anima S. Ignatij Societatis Ieſu fundatoris dum viueret, præfulgebat; talem ac tantum extitiſſe ait, vt ipſius e facie micantes radios erumpere ſe olim conſpexiſſe aſſereret: idque ſibi pariter contigiſſe, dum S. Caroli Cardinalis Borromæi vultum intenſius intueretur. Intuitus eſt etiam faciem cuiuſdam adoleſcentis ſimili fulgore radiantem, qui poſtea Dominicanæ familiæ adſcriptus, & Petri Martyris nomine nuncupatus, totius inde Ordinis Vicarius Generalis effectus, maxima cum pietatis fama in pace quieuit. Vidit quoque e Carthuſianis nonnullos, facię itidem effulgere, dum e choro ab oratione vnà cum ceteris bini reuerterētur.

13 Verùm enim verò, cæleſtibus non modo viſis recreabatur Philippus, ſed tetris quoque dæmonum aſpectibus ad aliorum inſtructionem frequentius infeſtabatur. Demandauerat quondam memorato Antonio Luccio, vt ad liberandam oppreſſam a dæmone fœminam ſacros exorciſmos adhiberet, eamque ad maius ſatanæ ludibrium flagellis cæderet: quod ille quàm celerrimè præſtitit. At ex huiuſmodi contemptu in tantum ſuperbus dæmon exarſit, vt ſequenti nocte immania oſtentans ora, teterrimum fœtorem vomens ſeſe Philippo obijceret, illoque cubiculum oppleret, qui multo poſt tempore perdurauit.

14 Rurſus cum ſemel in Oratorio ſancti Hieronymi vnà cum ſuis alumnis moraretur, inter quos aderat Gabriel Paleottus, nondum Purpura decoratus, vacaretque de more diuinis, extemplo inclamat: Heu vos fratres, cauete: adſtat dæmon. Hæc ad verba procumbunt omnes in genua, ipſe verò ſigno ſanctiſſimæ crucis contra dæmonem aërem ſignans intonat: Hùc profecto non ingredieris, & confeſtim dæmon euanuit.

15.16 Perrexerat aliquando Vir Deī ad Thermas Diocletianas, vt Eccleſiam B. Mariæ Angelorum inuiſeret: cumque oculos ſuſtuliſſet, inſpexit ſuper quędam vetuſti parietis ſtructuram improbum dæmonem, qui diuerſos variosque vultus ementitus modò iuuenem, modò ſenem, nunc formoſum,

nunc

nunc deformem præferebat ſeſe. Ex his intelligens Philippus illum haſce formas induere, vt ſibi illuderet, diuino inuocato numine, iubet protinus abire, ad cuius imperium, tetris vndique odoribus infecto aëre, ſe illinc e conſpectu proripuit. Conſueuerat enim ſceleſtus, quotieſcunque illi ſe obijceret, huiuſmodi putoribus ſanctiſſimo viro moleſtiam inferre. Is malus odor ſulphureus plerumque erat, maximèque hærebat, quem ipſe duntaxat percipiebat: etſi aliquando, ſed rarò, etiam e ſuis nonnullos afficiebat. Impoſuerat aliquando energumenæ cuidam fœminæ manus, vt aſſolent Sacerdotes, quas fœtore illo refertas, quamuis odoratis aquis ad eas abluendas vteretur, perfricaretque nitro, vix tamen illas omnino expurgare poterat, quem interdum pœnitentium naribus ex induſtria olfaciendum offerebat, vt illius grauitate offenſi, peſtiferas peccatorum labes fugere, ac ſolicitè deteſtari addiſcerent.

17 Aliàs in eccleſia commoranti, dæmon pueri ſpeciem præſeferens, videndum ſe præbuit: qui linteolum ore premens ipſum irridebat. Sed Philippus minaci oculorum acie ipſum concutiens conſternatum fugauit. Gallonium ſubinde interrogat, num puerum vidiſſet: vtique reſpondit: Scito, ſubdit Philippus, non puerum fuiſſe, ſed ſatanam, qui fideles in templo exiſtentes tentaturus aduenerat.

18 Demum vſque adeo illi inuidus dæmon infenſus fuit, vt ei ferè perpetuò moleſtias intulerit. Quandoque enim horribilem, ac teterrimum ſe oſtentare: interdum veſtes ſordibus aſpergere: aliàs pergrandes lignorum trabes, & ligna hac illac commouere: lucernam interdum extinguere, ſtrepitus excitare; & innumeras interdiu, noctuque moliri inſidias. Quæ omnia intrepidus beatiſſimæ Virginis ope facillimè ſuperabat.

19 Ex multis huiuſcemodi viſis, tum a Deo, tum a dæmone obiectis, factum eſt, vt quotieſcunque hac de re cum ſuis ageret, in medium illam Sanctorum afferret doctrinam; ijs minimè inſiſtendum. Neque eorum vllo modo acquieſcebat ſpiritui, qui iſtiuſmodi rebus auidius inhiarent, neque ſa-

tis

tis eſſe, aiebat, ſi quis dixerit: Viſiones nil curo: non ergo contingent: quoniam ijs etiam quandoque eueniunt, qui earum nullo penitus tenentur deſiderio. Difficilè præterea ex ijs non intumeſcere; difficilius ſe non dignum credere; difficillimum verò, ſe iiſdem omnino indignum exiſtimare, ac ſolidis virtutibus viſiones non anteponere. Aſſerebat etiam viſiones illas, quæ vel Eccleſiæ, vel ſibi, aut publicæ, vel priuatæ aliorum vtilitati non prodeſſent, reijciendas eſſe, vel ſaltem cautius admittendas. Confeſſarios præmonebat, vt pœnitentium reuelationibus, ac præcipuè fœminarum, nihil ferè tribuerent: cito namque mulieres ad perfectionis apicem perueniſſe videntur, ſed temporis lapſu quicquid in ijs ſanctimoniæ apparebat, vel leuitatem, vel ſimulationem extitiſſe comperias: quin multos exinde infelici exitu fuiſſe collapſos. Quocirca cum ſemel ſuggeſtum ſermonem habiturus conſcenderet, ſeq; in ecſtaſim rapi interim præſentiret, eã validius cõprimere conatus, manu percuſſo fœmore ait, qui ecſtaſes, viſionesq; ſectatur, quid petat, neſcit: atq; in fletũ prorũpens abſceſſit. Aliàs cùm de ſuis vnus his de rebus ſermonem ad populum faceret, cathedrã derepente conſcendens ita fatur: Equidem fœminam noui admodum piam, quæ ecſtaſes diu paſſa, tandem Deo ſic diſponente, iiſdem in poſterum omnino caruit. Quonam tempore exiſtimatis, Auditores, a me pluris habitam fuiſſe fœminam? Proculdubio vbi contigit, eam ab ecſtaſi omnino vacare: atque his dictis e ſuggeſtu deſilijt.

20 Retulerant ei quidam quòd tertij Ordinis Virgo Chriſtum frequenter videret, frequentiſſimè autem beatam Catharinam Senenſem, quibus ille: Haud dubium fœminas facillimè in errorem induci: igitur meo nomine illam adhortamini, vt quotieſcunque huiuſmodi imagines videre contingat, earundem faciem audacter conſpuat. Paruit virgo, atque exinde maximum ſe percepiſſe emolumentum confeſſa eſt.

21 Franciſco Mariæ, vulgo Ferrarienſi, ex primis illis Philippi alumnis, noctu ſub Deiparæ ſpecie dæmon ſe videndum obiecerat. Quod cum is ſummo mane Philippo retuliſſet,

ſet; Dei famulus ait: quæ tibi apparuit, haud vt aſſeris, Deipara eſt, ſed vtique dæmon: quapropter cùm ſe iterum videndum dederit, in os eius expue: nec vllus te pauor inuadat. Redijt ſubdolus dæmon, & ille intrepidus conſpuit, quod ſuperbus iniquius ferens, continuò abit in auras. Sed ecce mox ſanctiſſima Virgo illi verè e cælo apparet: cumque ipſe conſpuere tentaret, illa: Conſpue, inquit, ſi poteris. Quod cum facere conaretur, linguam adeo arefactam ſenſit, vt expuere nullo modo potuerit. Subdit tandem Virgo: Probè quidem egiſti Confeſſario obtemperando, & hæc inter viſum euanuit, ingentique gaudio delibutum reliquit.

22.23 Antonius Fuccius medicus, de quo ſupra mentio edita, certæ cuiuſdam monialis curam ſuſceperat, quæ ſanctitatis nomine admodum inſignis erat. Hanc igitur cùm is olim in ecſtaſim raptam comperiſſet, tandiu expectat, donec reuertatur ad ſenſus: cum ecce monialis extemplo experrecta hæc medico renuntiat: O quam mira, te luce circundatum apud ſuperos conſpexi! Quæ omnia cum Antonius attentius recogitaſſet, ſingula pariter Philippo retulit: eodemque prorſus die in morbum incidit: quo ingraueſcente, pater mendacij, medicum induens, ad infirmum illuſurus acceſſit, fore promittens, vt quamprimum conualeſcat, vitamque incolumis viuat diuturniorem. Significat æger omnia ſancto Viro; qui diuinitus illuſtratus aperit, inanem vitæ ſponſorem, non medicum fuiſſe, ſed ſatanam. Quamobrem Fuccius cognita dæmonis verſutia, diuino ſe beneplacito totum committens paulò poſt diem feliciſſimè clauſit. Ex quibus pro re nata ſolitus erat Philippus ſolicitè admonere ſuos, ne viſis facilè fidem præſtarent: ijs præſertim, quæ longiorem promitterent vitam; minus periculi dictitans veris non credere, quàm falſis fidem præſtare.

24.25 Somniorum quoque euentibus fidem aliquam adhibere pernicioſiſſimum aſſerebat. Sacerdos, Matthias Maphæus nomine, qui beati Viri precibus ſupra naturæ vim conualuerat, cum ſanitati reſtitutus, quoddam inter dormiendum vidiſſet inſomnium, ad bonos vtique mores valde

con-

conducens, illud velut pulcherrimum, compoſitumque Philippo referre voluit: cui Pater, antequam ipſe ſomnium enarrare incipiat, interrogat, num ſomnijs fidem præſtet? Occaſionem ille nactus confeſtim ſomnium explicat. At Vir Dei ſeuero eum ſupercilio intuitus, quorſum hæc? ait, Apage; virum enim bonum eſſe oportet, qui inter cælites connumerari cupiat, non autem fidem adhibere ſomnijs.

Multis ſupremum vitæ diem prænunciat. *Cap. III.*

1,2 PRophetiæ quoque dono a Pâtre luminum maximopere illuſtratus eſt Philippus. Primò namque, vt ab ijs, quæ mortalibus timori eſſe conſueuerunt, incipiamus, complurium prænunciauit obitus. Conſtantius Taſſonius, de quo ſupra frequenter habita eſt mentio, a Pio V. ſanctæ recordationis Pontifice, Mediolano Romam euocatus, ad S. Hieronymi ædes equo deſcenſurus recta acceſſerat: quē Philippi alumnus aduentātem e feneſtra proſpiciens ſancto Viro denunciat, Taſſonium adeſſe foribus. Tum Philippus Octauio Parauicino, & Germanico Fidelio, id temporis adoleſcentibus imperat, vt ſupra oſtij limen, qua tranſiturus erat Taſſonius, defuncti ſpecie ſe conſternerent. Obtemperant illi; At vbi Taſſonius appropinquauit, cum adoleſcentes hunc in modum conſtratos vidiſſet, nonnihil perturbatus, immobilis hæſit: rogatque vt ſibi pateat aditus ad tranſeundum, illi perſiſtunt, ſed Pater mandat, vt aſſurgant, & Conſtantius illico ad amplexandum Philippum aduolat. Paulò poſt is in morbum labitur; atque vti Vir Dei eo indicauerat facto, e vita deceſſit.

3 Io. Angelus Cribellius corpore ſanus, feria quinta in Cœna Domini, ad ſanctum hominem peccata confeſſurus acceſſerat, qui defixis in eum oculis ait: Diſpone tibi, etenim aliquid abs te efflagitat Deus. Quod bonum eſt, reſpondit ille, in oculis ſuis faciat; paratum cor meum ad omnia. Quid ſi

ſubijcit Philippus,te grauiſſimè affligeret Deus?Cuncta quàm libenter,reſpondit Cribellius,Chriſti ope ſubirem. Sis ergo paratus, ait Philippus: quandoquidem Paſchalibus hiſce diebus a Deo vocaberis. Receſſit is, & ſub veſperum febri correptus, quarto elapſo die ex hac vita migrauit.

4 Aduocauit quondam Philippus ex improuiſo Franciſcum a Molaria, dicens: Quidnam ageres, ſi tua tibi coniux (Fuluia hæc de Caualerijs nuncupabatur) moreretur? Neſcio reſpondit ille. Tecum igitur ipſe reputa quid ageres. Abijt tunc homo, & coniux quamuis iunior, valensque corpore, infra decem attamen dies lethifera corripitur febri, & poſt quindecim animam efflat.

5 Hieronymi Cordelij vxor (erat is medicus inſignis, & Philippo charus) miſit, qui ſancto Patri renunciaret, virum ſuum ægrotare. Dum igitur alter ex Philippi alumnis ad ianuam deſcendit, auditurus quidnam peteret nuncius; ſecum Philippus dictitare incipit: O Hieronymum Cordelium, certiſſimè nunc morietur: iam venit hora eius, quod ſæpe ac ſæpius repetebat. Admirati ſunt qui aderant: non enim, qui deſcenderat, adhuc ſancto Viro Hieronymum ægrotare retulerat, ſed mox delato hominis morbo,Philippus ſuum adhuc dicterium proſequitur: quapropter adſtantes dixerunt: Eia Pater,ſi de corpore,vt ais,iam actum eſt: animæ ſaltem conſulamus. Tum ille more ſuo: Rectè quidem, conſulamus animæ. Octauo igitur elapſo die, cùm e ſuis quidam, vt moris erat, ante lucem accenſum ei lychnum deferret, ait: Cordelius ergo noſter hac nocte tali hora deceſſit, nonne? ſed mox rem alterũ latere animaduertẽs,ad alia continuò vertit ſermonem. Manè Hieronymum ea,quam Pater expreſſerat hora animam egiſſe reperiunt: quin eidem moribundo diuinitus adſtitiſſe; Auguſtinum Cardinalem Cuſanum olim Philippus alloquens hiſce verbis aſſeruit: Eo quo temporis momento Cordelius animam dedit, etſi in cubiculo meo demorabar, ipſi tamen morienti præſens adfui.

6 Orinthia Pompeij Columnæ vxor generis claritate conſpicua, ſed virtutum ornamentis longè præſtantior, quæ in

in Noſocomijs, Incurabilium præſertim, ægrotantes fœminas frequentius inuiſebat, ijsque omni charitatis officio miniſtrabat, grauiori morbo implicita decubuit. Cumque medicorum primarij affirmaſſent, leuiſſimo tentari morbo: illa magis Philippo fidens, hominem accerſit. Qui poſtquam multa de cæleſtibus diſſeruiſſet, diſceſſurus, aqua luſtrali immerſo digito, ſigno crucis iacentem munijt: eique Chriſti paſſionem mente recolendam propoſuit. E palatio egredienti occurrunt medici; quibus ille: Orinthia peſſimè habet. Subrident ij, & Philippus: In iocum, inquit, rem vertitis? Sciatis vtique ægrotantem ea die e vita migraturam. Ad hæc in cachinnos erumpunt. Verùm Orinthia, quo die prædixerat Philippus, obijt.

7 Helena Ciba, & Domnicus Mazzeus illius vir, in morbum inciderant. Quapropter Tamiria Ceuola Helenæ mater Philippum pro ijs rogatura: Vereor, ait, Pater, ne vtroque, filia nempe, ac genero orbari me contingat. Reſpondet is: Vel vno ſat eſt: nec aliud protulit verbum. Euentus veritatem adſtruit: etenim Dominicus moritur, & Helena conualuit, ac ſeculo ſe abdicans, Monaſterium ingreditur.

8 Huiuſce ſoror Victoria nomine, olim ad Philippum, vt peccata expiaret, acceſſit: atque ab eodem interrogata, quo ex tempore ſororem alteram in Turri ſpeculorum non inuiſiſſet. Ex longo, reſpondit. Fac, addidit ille, vt poſthac frequentius ipſam inuiſas: cito namque morietur. Nec multis poſt diebus, quæ ſana, robuſtoque erat corpore, lecto decumbens, decem & octo dierum ſpatio vitam expleuit.

9 Statuerat Marcellus Ferrius vnà cum Cardinali de Gambara, qui iniuncta ſibi legatione ab Vrbe profecturus erat, diſcedere. Cui Philippus: Ne facias: quandoquidem Pater tuus breui morietur. Obtemperauit Marcellus, & pater, qui tunc optimè valebat, vigeſimo ineunte die e viuis ſublatus eſt.

10.11 Idem ferè accidit Alexandro Creſcentio, & Ioanni Franciſco Bucchio; nam primo dixit: Diſpone tibi, quoniam cito morieris, & alteri: Frater tuus hac ex infirmitate non conualeſcet. Nec verbum incaſſum cecidit: nam primus non

multo poſt mortuus eſt, & alterius frater eo ex morbo non conualuit.

12 Cœperat Virgilius Creſcentius infirma admodum valetudine vti, & quamuis morbus ſub initium leuior crederetur, attamen homo Dei laborantem inuiſens Conſtantiam coniugem ſic affatur: Dei voluntati acquieſcendum eſt. Percepit ſagax fœmina, quid ijs ille innueret verbis: quapropter ipſo ſeorſim ſubducto flexis genibus, lacrymasque profundens efflagitat, vt viro corporis ſanitatem precibus impetrare dignetur. Interim accedentes liberi idem vnà cum matre expoſcunt: quibus Philippus palam edixit: Virgilio expedit, vt nunc e vita diſcedat: propterea acquieſcendum omnino eſt. Paucis interlapſis diebus ægrotus animam efflat. Aſſeruit poſtea Philippus, ſe quotieſcunque pro viri valetudine ad precandum accederet, nullum ſibi patuiſſe aditum, vt id facere poſſet, quin intus habuiſſe reſponſum, vt eius animæ benè conſultum eſſet, mortem homini oppetendam.

13 Idem contigit Patritio de Patritijs, qui cùm leuius ægrotare videretur, ac ſe velle die poſtero e lecto ſurgere dictitaret; Philippus tamen eum Sacramentis quantocyus præmuniri iuſſit: quibus refectus, teſtamento vix condito, e vita ſublatus eſt. Virum hunc B. Pater tanti fecit, vt poſt eius obitum, ſe illius interceſſionibus commendaret.

14 Deſiderium Conſaluium, ex Ordine Prædicatorum, lethalis inuaſerat febris: iamque in phreneſim lapſus animam agebat.. Eodem fermè tempore, in eodem cœnobio ægrotabat, ſed léuiter Franciſcus Bencinius: vtrumque inuiſit Philippus; Bencinio mortem enunciat; Conſaluio vitam, & ita prorſus accidit: hic namque conualuit, ille deceſſit.

15 Demum S. Caroli Cardinalis Borromæi, longè antequam accideret, mortem præſagijt. Ceccolinus Margaruccius Septempedanus protonotarius Apoſtolicus, quem Philippus in eiuſdem S. Caroli familiam induxerat: per literas a Philippo poſtulat, vt ſibi ad quatuor menſes in patriam eundi a Cardinali facultatem impetret. Cui in hunc modum reſcripſit: Haud opus erit hac de re apud Cardinalem agere:

ete-

etenim tale quid eueniet, ex quo tibi ad eius familiã redire amplius non cõtingat. Quid tum ſibi vellet Philippus, Margaruccius non intellexit: ſed S. Caroli obitu ſubſecuto, epiſtolæ ſenſum probè percepit. Scripſerat Philippus epiſtolam integro menſe antequam ſanctus Cardinalis diem obiret: cum ne quidem morbi ſuſpicio eſſet.

Aegrotantes quamplures conualituros prænunciat. Cap. IV.

NE quis tamen putet Philippum triſtem dumtaxat fuiſſe nuncium, mortisque delatorem, nonnulla hic in medium afferre exempla operæpretium duxi, quibus ſat innoteſcat, & vitam, & ſanitatem compluribus ipſum ſæpiſſimè prædixiſſe. Inuaſerat olim peſtifera febris, ſanguinisque profluuium Franciſcum Cardinalem Sfortiam commorantem in Tuſculano, atque intra duos, & viginti dies morbus adeo inualuit, vt grauiſſimis ſymptomatibus correptus cibum ſumere neutiquam poſſet, & ſacro iam viatico communitus ſigna daret vicinæ mortis. Quare Catharina mater certum ad Philippum tranſmittit nuncium, qui roget, vt ægrotantem filium in ſuis ad Deum precibus commendatum velit. Cui Vir ſanctus renunciat Cardinalem ex eo morbo certiſſimè non moriturum. Hoc dato reſponſo cœpit æger melius ſe habere, ac breui ſanitatem recuperauit.

2 Petrus Mercator Miniatenſis medicus Michaelem filium; rei quoque medicæ peritiſſimum, grauiſſimè ægrotantem moriturum affirmabat; Philippus contra, haudquaquam futurum aſſerebat. Die inſequenti Petrus edicit filium in extremo mortis confinio verſari, & Philippus: Confide, ait, modicæ fidei: nam ad plures annos illum reſeruat Deus. Quid plura? Michaël non ſolùm priſtinæ reſtituitur ſanitati, ſed etiam multis poſt annis a Clemente Octauo in medicum adhibetur, atque inter Præſules cooptatur. Cui Vir ſanctus quemadmodum ſanitatem modò prædixit, ſic poſtmodum,

vt ſupra retulimus, mortem prænunciauit.

3 Decumbebat Ioannes Baptiſta Altouitus, quem medici eo ex morbo deceſſurum planè aſſerebant. Verùm Philippus oratione pro ægrotante peracta, Franciſcum Mariam Tauruſium aduocat: Ito, inquit, meoque nomine hæc verba Altouito proferas: Hoc ex morbo minimè morieris, ſed craſtina vtique die melius habebis, breuique conualeſces. Iuit, nunciauit, conualuit.

4 Bartholomæum Dottium, Mutinenſem, febris olim occupauerat, & quoniam certum quoddam in Curia officium obtinebat, quod Scutiferorum appellant; nepos Philippum rogat, vt pro auunculo preces fundat, eo videlicet conſilio, vt ægrotus memoratum officium in ſe transferat. Cui Vir Dei: Auunculus tuus (inquit) nunc haudquaquam morietur: prima tamen adueniente infirmitate decedet; ſed non ideò officiũ in te trãsfundet. Dottius igitur ex eo morbo recreatus eſt, ſed aliquot poſt annos altera oppreſſus ægrotatione deceſſit: officium verò, de quo nepos ſatagebat, minimè in eum tranſtulit.

5 Olympiam de Nigris Marci Antonij Vitelleſchij vxorem grauis inuaſerat morbus: triplici enim affligebatur febri. Hieronymus Cordelius, qui laborantis curam ſuſceperat, viro eius aſſeruit, huiuſmodi morbis conualuiſſe neminem. Philippus tamen qui eam inuiſit dixit nulla ſe velle ratione Olympiam mori, quod eiuſdem obitus graui admodum foret familiæ detrimento, adiecitque ſe tot tantiſque apud Deum acturum precibus, vt mulier omnino reddatur incolumis. Olympia ſtatim ac Philippus abſceſſit, morbo leuatur: ac breui præter medicorum, atque adſtantium ſententiam conualuit.

6 Hieronymus Pamphilius, ad purpuram necdum euectus, lethaliter decumbebat, quem ſanctus Pater bis quotidie inuiſens, cum vis morbi vrgeret magis, ſpiritu Dei actus, ægroti capite manibus apprehenſo, toto corpore de more contremiſcens, orauit. Oratione expleta, confide, inquit, nunc enim haudquaquam morieris; atque his prolatis verbis æger breui priſtinam valetudinem eſt adeptus. Perſimile quid olim

olim accidiſſe Alexandro ipſius nepoti, idem Cardinalis ſcripto affirmat.

7 Fauſtina Cencia, Caroli Gabrielij vxor, grauiori detenta ægritudine, iam prope animam agebat. Inuiſit eam Philippus, eiusque capiti manum admouens ait: Ne quid dubites, ex hac enim corporis infirmitate e vita non decedes. Verum cum illa tum diceret: Iam Pater emorior: ſubdit Philippus: Macte animo ſis: te ex hoc morbo non morituram polliceor. Nec vana pollicitatio, frangente ſe ac remittente vi morbi, ſanitatem eſt conſecuta.

8 Conſtantiæ Draco iam ſupremum efflanti ſpiritum, Philippus dixit: Ne dubites; etenim viuida, vegetaque ad ſancti Hieronymi citiſſimè accedes. Conſanuit mulier; atque ex hoc occaſionem nacta ipſum ſibi in Confeſſarium delegit.

9 Idem ferè experta eſt vxor Ioannis Franciſci Bucchij; nam cum extremos iam ſpiritus inhalaret, ſodaleſque Confraternitatis Florentinorum ad ſepeliendum cadauer euocati eſſent, Philippus ægrotantis virum ſic affatur: Conſtanti animo ſis; coniux tua nequaquam hoc ex morbo morietur. Fidem vir adhibet, nec eum expectatio feſellit: etenim omnibus obſtupeſcentibus, quæ ſemimortua iacebat, ad vitam reuocatur.

10 Ioannes Antonius Luccius, alibi ſæpe commemoratus, ſexageſimum ætatis annum agens, dum Romam pergit, ex equo præceps deiectus eſt, & altero humero propter validam corporis colliſionem diſſoluto, ab omnibus planè mortuus credebatur, coniuncta eſt inſuper febris. Aeger Philippum accerſit; tū vt a peccatis ſacramentaliter abſoluatur, tum vt pro ſe preces ad Deum fundat, & etiam ne de rebus ſuis inteſtatus decederet; vrgebat enim morbus. Philippus eum benignè amplexus ait: Ne dubites: conficiendi teſtamentum, & ex voto de rebus tuis diſponendi commoda tibi erit facultas. Confeſſione igitur peracta cœpit ægrotus melius habere, paucisque interiectis diebus ex integro conualuit; qui ſancto Parenti ſuperſtes facultates ferè omnes in pauperes effudit.

11.12.13.14 Eadem verba, Ne dubites proferente Philip-

po, cum Ioannes Franciſcus de Bernardis, Congregationis presbyter, ſacro delibutus oleo, animam ageret, præter omnium ſpem breui conualuit. Agneſina Columna matrona inter Romanas tum nobilitate, tum pietate clariſſima pronunciantibus medicis ſpem ſalutis abſciſſam, eo de more dicente: Ne dubites, e morbo euaſit; & iiſdem prolatis verbis a febri liber euaſit Ioannes Baptiſta Cribellius, & alij permulti. Demum quos ſeriò Philippus morituros enunciaſſet, omnino moriebantur, quos verò conualituros, etiam in ancipiti mortis articulo conualeſcebant. Id expertus Montes Zazzara, & alij non pauci teſtati ſunt.

Complura diuerſi generis alia prænunciat. Cap. V.

PRædixit quoque Philippus alia complura. Sulpitia Sirleta, Petri Focilis vxor, filiam quadriennem circiter habebat: quæ grauiſſimè ægrotare cœpit. Mater itaque Philippum aduocat, atque vt filiæ impetret ſanitatem, effuſis lacrymis etiam atque etiam rogat: cui Philippus, fletum cohibe inquit: Deus illam nunc aduocat: tibique ſuffecerit, eam Chriſto lactaſſe. Hæſitabat Sulpitia, neque libens dicto aſſentiebatur. Cui Philippus, non acquieſcis? prolem maſculam ſuſcipies, ſed adeo diuexaberis, vt infelix ſis futura. Duobus, & dimidio elapſis annis Sulpitia marem peperit, qui ætate adulta a perturbandis, vexandiſque parentibus nunquam deſtitit, donec tandem malè perijt.

2 Helena Ciba, de qua ſupra, cùm vehementioribus angeretur partus doloribus, beatum accerſit Virum, vt culpas confiteretur: quem, confeſſione peracta, rogat, vt naſcituram ſibi prolem è fonte ſuſcipiat, compatriſque officio fungi dignetur. Cui ille: Compatrem adhibere opus non erit: hiſq; dictis diſceſſit. Nocte inſequenti Helena enixa eſt, exanimemque partum fudit, neque compatre fuit opus.

3 Congregationis frater a parente inſtantius ſolicitabatur,

vt e Congregatione diſcederet: quod ad quatuor vel quinque aureorum millia ſponſionum ſortibus, quæ per illa tempora erant in vſu, lucratus fuerat: futurum vtique ſperans, vt filius literis vacans, pingue ſubinde ſacerdotium compararet. At ille vt euitaret illatas a parente moleſtias, Philippum rogat, ſibi liceat per tempus Neapolim ab Vrbe diſcedere. Annuit Vir ſanctus; ſed cùm ille ſarcinis compoſitis, equo conducto, ad iter ſe parat, Philippus rem altius perpendens diſceſſum vetat, dicens more ſuo: Ne dubites. Et ecce tertio poſt menſe eius pater omnem, quam lucratus fuerat pecuniam ludo amiſit: ex quo filio deinceps nullatenus moleſtus fuit.

4 Olympia de Nigris, de qua ſupra, ſeptem pepererat fœminas; quamobrem marem aliquem exoptans, Virum ſanctum non ſine impetrandi fiducia conueniens ait: Septem ſunt mihi filiæ Pater, cui Philippus: Ne dubites: fœminæ poſt hac tibi non erunt. Cùm verò infra triennium tres peperiſſet maſculos, quod putabat ſe plus nimio familia grauari, iterum ad Philippum accedens ait: Iam Pater tres mihi numero mares. Abi, inquit ille: ex hinc enim neque mares neque fœminas es paritura, & vti dixerat, non ſecus euenit.

5 Ingreſſus aliquando venerabilem domum Turris ſpeculorum, quatuor Monialibus comitantibus Eccleſiam in interiori parte ſitam, quam veterem appellant, ex pietate inuiſit. Inter eundum dixit vni: Fac vt orationi incumbas: quæ haud ſe vacare poſſe reſpondit, loci muneribus impeditam. Maria Magdalena Anguillaria tum ætate florens, vna ex quatuor ſubdit: Aſt ego Pater quid? quæ orationi non vaco, & nihil ago? Tu, ait Philippus, nihil vtique agis, & Præſidentem vtique ages: ad Philippi verba reliquæ riſum dedere. Tum Vir ſanctus quaſi per iocum ait: Ridetis? dicturæ quidem aliquando eſtis, id olim prænunciaſſe Philippum: &, Magdalenæ, quæ riſum præ cæteris ſoluerat, adducta fronte ait: Et tu rides? Scias id tibi dixiſſe Philippum. Accidit ergo, vt annis poſt quadraginta, hoc eſt, trigeſimo quinto poſt milleſimum ſexcenteſimum a Chriſto nato, multis iam, quæ præfuerant, vita functis, Hieronyma Taſchia, quæ tum præſidebat,

bat, luminibus orbaretur. Ex quo oportuit ad alterius electionem deuenire: in qua iuxta ſancti Viri prædictionem Maria Magdalena Anguillaria Præſidens renunciata eſt.

5 Marcus Antonius Columna præclarus ille Dux, & Felix Vrſina eius vxor, graui angebantur mœrore, quod Fabritius filius prolem non ſuſtuliſſet: quamobrem Anna Borromæa nurus, ſancti Caroli Cardinalis Borromæi ſoror, ſobolem anxiè deſiderans, Philippi precibus toto ſe animo commendabat: cui Vir ſanctus ait: Bono ſis animo: etenim breui duo tibi naſcentur liberi. Anno tranſacto Anna filium ſuſcepit, quem Marcum Antonium appellarunt; atque anno inſequenti alterum peperit, quem pro impetratæ ſibi prolis beneficio nuncuparunt Philippum. Hanc ob cauſam eximiæ tum pietatis, tum nobilitatis fœmina hoſce duos ſuſceptos liberos, quòd eos Philippi precibus obtinuerat, ipſiuſmet Philippi filios nuncupabat.

6 Thomas Minerbettus, & Petrus Antonius Morellus Philippum in ædibus S. Hieronymi conueniunt, eò miſſi a ſacerdote Societatis Ieſu, vt conſilium ab ipſo caperent ſuper animæ negotio. Significabat ergo Petrus Antonius ſancto Viro, ſe Monaſterium Caſſinenſium ingredi velle: Thomas autem cupere ſe presbyterum fieri: ideoque hac ſuper re conſilium præſtolari. Tum Philippus bacillo, quem manu geſtabat Morellum tetigit, dicens: Tu monachus haud fies: inde conuerſus ad Thomam ait: Neque tu presbyter. Nec verba incaſſum iacta: quandoquidem Thomas vxorem duxit, & Petrus Antonius presbyter effectus, plebanus apud oppidum ſanctæ Floræ vitam finiuit.

7 Othonellus Othonellius, ex agro Mutinenſi, militum Dux ſe Romam contulit, vt de erigendo in patria monialium clauſtro cum ſuperioribus ageret, ſed cum multas offendiſſet difficultates, a Germanico Fidelio deductus eſt ad Philippum. Quem, etſi non notum, attamen ſtatim atque Vir Dei illum intuitus eſt, conuerſus ad quoſdam ſacerdotes, qui tunc aderant, dixit: Sciatis hominem hunc veſtrum aliquando futurum eſſe fratrem. Deinde hominem, quid profiteatur interro-

terrogat: militem, reſpondit, Non militem ſubdit, ſed iſtorum fratrem profiteberis. Hisque dictis eius capiti impoſita manu illum dimiſit. Erat vir iſte miles vxoratus, multisque auctus filijs, maribus ac fœminis, & tamen poſt obitum ſancti Parentis, vxore, & filijs maribus, necnon fœminis maiori ex parte vita functis, & quæ ſupererant, Monaſterium ingreſſis, anno Chriſti ſexcenteſimo nono ſupra milleſimum, ſacris ordinibus initiatur, & non multo poſt Scholarum piarum religionem ingreſſus, piè admodum, vt vixerat, ibidem occubuit.

8 Anno a Virginis partu milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto quatuor e noſtris Mediolanum ad nonnulla peragenda Congregationis negotia mittuntur. Ijs ergo ibi commorantibus, en Philippus ex improuiſo Taurusium aduocans: Propera inquit, & vt noſtri quamcitiſſimè Mediolano diſcedant, Romamque redeant, ſcribas: reſpondente Taurusio, quibuſdam de cauſis illos tunc reuerti non conducere, Sanctus iterat: Mitte cetera, ac ſine cunctatione iuſſis obtempera. Res mira! vix epiſtola Mediolanum peruenerat, cùm ciuitas peſtilentiæ morbo laborare cœpit, tantaque populum celeritate inuaſit, vt ex ijs duo, qui paulum quid temporis remorati fuerant, Romam vix redire potuerint, etſi cum ſcriptæ fuerunt literæ, nulla Mediolani peſtilentiæ ſuſpicio erat.

9 Plebanus quidam ſuper neſcio quo beneficij titulo in Vrbe litem exercebat, & quoniam a potentiori viro præpeditus ſententiam pro ſe obtinere nequiuerat, ſecum ipſe cogitare cœpit tormenti bellici ictu aduerſarium interficere; iamque ſuſcepto hoc mentis propoſito, tum a faciendo Sacro, tum ab officio recitando abſtinebat: ſemel ergo Eccleſiam noſtram ingreſſus, Philippum videt, atque ab eo ſe trahi ſic adeo ſenſit, vt ad illum accedere coactus fuerit, quem Philippus ſiniſtram eius auriculam manu nonnihil vellicans; his verbis affatur: Tentaris nonne? cui ille: Ita Pater, tentor vtique, & quidem adeo, vt graue facinus, ni Deus adiuuet, admiſſurus ſim; tum Philippus: Ne dubites, ait intra dies quindecim ſolicitudine hac exoneraberis. Hæſit tunc homo,

Statis tranſactis diebus aduerſarius obuiam factus dixit: Cedo liti: nam qui mihi fauebat, iam ab officio ſubmotus eſt. Obſtupuit Plebanus, ac mente recolens, quod antea Philippo reuelante didicerat, Deo gratias egit, quòd tam graue facinus non perpetraſſet.

10 Quid ſimile contigit Horatio Riccio equiti Hieroſolymitano; ex familiaribus Federici Cardinalis Borromæi. Is enim cùm maximè angeretur, quòd a quibuſdā ex aulicis in his, quæ ad honorem pertinent, plus nimio offenderetur. Summo mane deambulatum iturus, ſurrexit, atque inter eundum Philippo occurrit, a quo rogatus quò tendat, reſpondet, vt animi curas nonnihil remittam: Philippus, qui rem diuinitus norat, ad aliud, quod ſibi erat negotium, equitem abducit; ſed quoniam maturius acceſſerat, duas ferme horas illic opperiri opus fuit; quo interuallo Pater pium quendam libellum ſeorſim lectitare cœpit. Eques qui ad ambulandum domo diſceſſerat, angi grauius cœpit, tum maximè quod vrbanitatis gratia ibi detinebatur inuitus; cùm ecce Philippus repente ad eum accedens, ait: Ne dubites: proſpera enim cuncta ſuccedent; atque id tibi dixiſſe me ſcias. Reuixit eques concepta certa ſpe, futurū vt Sanctus edixerat. Quindecim poſt diebus Cardinalis Borromæus rem omnem edoctus, inſectatores ab ſua aula dimittit, atque honoris gratia inter cubicularios Clementis Octaui equitem adnumerandum curat.

11 Dominicus Rodulphius Clericus Regularis Neapoli Cremonam mittitur, qui Roma pertranſiens, Philippi ſanctitatem ſubodoratus, ipſum adijt: eumque ad confeſſiones excipiendas aſſidentem ſalutat; cui Vir Dei: Perge quò te obedientiæ præceptum vocat; ibique ſaluti animarum inuigila: ſciasque Epiſcopum te ſuo tempore euaſurum: porrò præmonitum velim, haud tibi leue in itinere periculum ſubeundum, a quo tamen Dei beneficio, ac Virginis ope liber omnino euades. Cùm igitur Rodulphius Cremonam verſus tenderet, atque ad Alpes, quæ Florentiam ſpectant, perueniſſet; in liquido, latentique cœno extemplo vnà cum equo ad fauces vſque infixus hæret. Quo in diſcrimine; qui aderant, quòd

nullam prorſus opem afferre poſſent, animam Deo commendare, vt moris eſt Eccleſiæ, non prætermittunt. Meminit tum Rodulphius Philippi verborum, eiusque auxilium implorat: dum illico cœpit manibus niti, ſeque paulatim explicare, ac ſenſim ex tenaci illo cœno ſemianimis emerſit; equum verò quatuor adhibitis bobus vix tandem per ſummos conatus extraxerunt. Is ergo cùm Cremonam peruenifſet, in his, quæ ad Religionem pertinent, laborauit vſque ad Salutis annum milleſimum ſexcenteſimum decimum nonum, quo Auriæ Antiſtes, vti Philippus prænunciauerat, electus fuit.

Quoſdam Cardinales, & quoſdam ſummos Pontifices futuros eſſe prædicit. Cap. VI.

MOram aliquando trahebant in Viri Dei cubiculo Petrus Aldobrandinus, Iacobus Abbas Creſcentius, & Marcellus Vitelleſchius, alijq; nonnulli; cum S. Pater ex improuiſo imperat Petro, vt ſocios ſic alloquatur: Philippus mandat, vt vobis renunciem, me quamprimùm Illuſtriſſimi titulo decorandum (hic namque tum temporis erat Cardinalitiæ dignitatis titulus) futurumque vt vix in poſterum ad me accedere valeatis. Petrus, quippe qui ſanctum Virum venerabatur, non tamen ſine rubore obtemperauit. Non multo poſt cum nulla prorſus de ſummi Pontificis obitu ſuſpicio eſſet, Innocentius Nonus e vita ceſſit, & Hippolytus Aldobrandinus patruus, ſummus Pontifex eligitur, & Petrus, Cardinalis effectus, Illuſtriſſimi titulum aſſecutus eſt. Imò paulo ante Philippus, more ſuo, quaſi per iocum eidem edixerat: Vide quò tandem adigar, vt te Illuſtriſſimi titulo nominare compellar!

2 Ioannes Franciſcus Aldobrandinus ſupremus Eccleſiaſticæ militiæ Dux, cùm olim in Philippi cubiculo duo vidiſſet ſtemmata Cardinalitia, parieti appenſa, in cuius vtriuſque medio defunctorum caluariæ pro inſignibus depictæ conſpiciebantur, interrogat, quid binæ illæ caluariæ pileis Cardinali-

tijs inſignitæ denotent. Cui ille: Portendunt, inquit, vita me functo, duos e Congregatione mea in Cardinalium numerum cooptandos. Et quidem poſt Philippi obitum Franciſcus Maria Tauruſius Politianus, & Cæſar Baronius Soranus, Congregationis Oratorij presbyteri, a Clemente Octauo purpura decorantur. Immo Philippus ante annos viginti hoc idem prædixerat Franciſco Nerio, cui inſuper interroganti, num Baronius ſummus futurus eſſet Pontifex, apertè dixit haudquaquam futurum. Quamobrem cum vacante Sede ob Clementis Octaui obitum Baronius ab omnibus Pontifex acclamaretur, Franciſcus id fieri poſſe conſtanter negabat, quòd ſibimet Philippus minimè futurum aſſeruiſſet.

3 Quod Philippus Cardinalitiam dignitatem Hieronymo Pamphilio prænunciarit, ipſemet Purpuratus his verbis teſtatur. Cum ſemel beatum Virum in lectulo ex morbo iacentem adijſſem, vt conſcientiam exonerarem, me hunc in modum affatur: Tu quidem Cardinalis fieri deſideras. Cui ego; Nec quidem id me cogitaſſe memini; cumque ſubderet: Cardinalis profecto fies: mecum ipſe ſubriſi; Tum ille iterum ac ſæpius aſſeueranter dixit: Cardinalis omnino fies. Hucuſque Hieronymus. Quam dignitatem multo poſt tempore ab obitu ſancti Viri a Clemente Octauo adeptus eſt.

4 Innocentius Cardinalis de Bubalo hæc de ſe iuratus affirmat: Beatus Pater Philippus me ſæpius inter Canonicos Vaticanos adſcriptum iri aſſerebat: at quoniam, cur ad eum gradum mihi pateret aditus, non videbam, imo neque de facie Pontifici notus eſſe arbitrabar; rem ad iocum reuocabam. Et quo ſæpius id ipſum iterabat, eo tamen minus aſſentiebar. Cum ecce, anno, ſi rectè memini, milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, prope Calendas Auguſti, Cardinalis Aldobrandinus extemplo me, nec petentem, nec quidem cogitantem accerſit, ſignificatque Summum Pontificem Canonicatum S. Petri, qui nuper vacarat, in me contuliſſe. Paucis poſt diebus cum pariter apud beatum Patrem demorarer, meque hilarem valde ob adeptum Canonicatum conſpiceret, dixit: Sunt læuia iſthæc: in Collegium Cardinalium cooptaberis

bèris, quæ mihi verba cum vehementer ad riſum prouocaſſent, quod res non modò non veriſimilis,ſed cadere non poſſe videbatur, Philippus tamen in dies idem mihi ſæpiſſimè iterabat. Quinimmo cum poſtea & diuino, & Clementis Octaui beneficio Cardinalis euaſi, hanc meam promotionem Siluiæ ſorori meæ, in Turri ſpeculorum oblatæ, frequenter a ſancto Viro prænunciatam fuiſſe intellexi. Et ipſa me olim ad mortem in Gallijs ægrotante,dicere paſſim non deſiſtebat,me vtique ex eo morbo non moriturum, quia ſolida beati Philippi prædictio prius explenda erat.

5 Franciſcus Cardinalis Diatriſtanus, & ipſe ad rem hæc a ſe Latino ſermone conſcripta reliquit: Cum Romæ verſarer in aula Clementis Octaui, Pontificis Maximi, ab eius intimo cubiculo,& honorarius, ductus ſum ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Cardinali Petro Aldobrandino, dicti Pontificis fratris filio,tum temporis Caſtri S.Angeli Præfecto,die quodam in S. Mariæ de Oratorionobiliſſimum Templum, domumq. Ibi cum Patrem, nunc ſanctum Philippum Nerium inuiſeret, ego pariter ad eum adductus ſum; qui vt in me oculos venerandus Senex iniecit, illico in alterum cubiculum ingreſſus; rubrum biretum Cardinalitium ex ciſtula lignea extulit, ſed planè vetus, atque conſumptum, quod meo capiti ridens impoſuit: cæterosque intuens pronunciauit Italicè: O che bel Cardinalino. Expers eius, quo ipſe futura proſpiciebat, luminis erubui,& quaſi iuuenis ab annoſo Viro deriderer,aliquantulum indignatus ſum (humanum meum,atque imperfectum fateor) indignationem preſſit proprius pudor, hominis dignitas, ceterorum præſentia. Sed non ita multo poſt, euentus rei probauit ſancti Patris actionem, meamque perturbationem condemnauit: & ego pariter condemnaui,qui nunc rei ſeriem ad gloriam tuam Philippe beatiſſime exoratus propria manu ſubſcribo, vt veram enuncio, ac ſigillo meo teſtificor. Hactenus ille.

6 Quod verò ad Summos Pontifices attinet, ferè ſemper, vacante Sede, vocem ſibi Philippus inaudire videbatur, quæ diſtinctè, quiſnam ex Pardinalibus Summus futurus eſſet Pōtifex,

tifex, enunciabat. Quamobrem Pio Quarto vita functo, quatuor, vel quinque circiter dies antequam nouus crearetur Chriſti Vicarius, Philippus ex improuiſo, fixis in cælum oculis, atque in ecſtaſim propè actus, ſecunda, inquit, feria Papam habebimus. Interrogat e ſuis vnus, quemnam? Tibi, ſubijcit Philippus, rem aperiam: Die Lunæ ſub veſperam Cardinalis Alexandrinus haud dubiè Pontifex fiet. Qui fuit ſanctæ, & glorioſæ memoriæ Pius Quintus, quem multo ante Pontificem fore prædixerat.

7 Poſt Pij Quinti obitum, vacante iterum Sede, cùm pœnitens prædictus memoria ſecum repeteret a ſeruo Dei Cardinalem Alexandrinum Pontificem prænunciatum, nunc etiam rogat, vt quis nuper futurus ſit, aperiat, cui Philippus: Quem ſubmurmurat vulgus? Moronum, reſpondet is. Non Moronum iterat Pater, ſed Boncompagnum. Qui fuit piæ, recolendæque memoriæ Gregorius Decimus Tertius.

8 Xyſto Quinto itidem defuncto, cum Nicolaus Cardinalis Sfondratus ad Vallicellam acceſſiſſet, miſit ad eum Vir ſanctus, qui diceret, vt in aula noſtræ domus præſtolari dignaretur, donec ipſe e ſuperiori cubiculo ad eum deſcenderet (aderant enim ibi Petrus Paulus Creſcentius, hodie Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Abbas Iacobus eius germanus frater, Marcellus Vitelleſchius, & alij) Vbi igitur primùm Philippus deſcendit, antequam aliud agat, iubet ſingulos Sfondrati pedes reuerenter deoſculari. Vno, vel altero poſt die, cùm idem Purpuratus ad ædes noſtras iterum ſe contuliſſet, Franciſcus de Molaria Cardinalis aduentum Philippo denunciat. Cui reſpondet: Ecquisnam, Pontifex ille, nonne? (aſpiciebat enim Vir diuini luminis plenus illum ex tunc in Petri Cathedra conſidentem.) Quin non ſolùm Sede vacante, ſed ipſo viuente Xyſto, cùm idem Sfondratus ſecum in cubiculo moraretur, vni è ſuis ait: Aperi cito ſcrinium illud, mihique cedo pileolum Pontificium (fuerat is in vſu glorioſæ, ſanctæq; recordationis Pij Quinti) quem cùm Sanctus accepiſſet, porrigit dexteram, vt illum Purpurato imponat: Experiamur inquiens, quàm bellè pileolus iſte Pontificius tuo capiti coa-

pte-

ptetur. Et ecce Vrbano Septimo demortuo, Sfondratus Petri cathedram conſcendit, qui Gregorij Decimiquarti nomen aſſumpſit.

9 Verùm mirabilis admodum extitit prædictio, qua Hippolytum Cardinalem Aldobrandinum Summum fore Pontificem præmonſtrauit. Cum enim ſemel Cardinalis prædictus vnà cum Auguſtino Cardinali Cuſano in hortis Curtij de Maximis ad viam Septimiam moraretur, quò & Philippus conuenerat; Curtius propior factus: Optarem, inquit, Pater, vt mihi Cardinalis Aldobrandini gratiam conciliares. Faciam equidem, reſpondit Philippus: atque inſuper addo, Aldobrandinum vtique Cardinalem non deceſſurum. Et quarto poſt menſe, Innocentio Nono defuncto, Hippolytus ad Pontificatum euehitur. Sed quod magis mirandum eſt, non ſolùm Pontificem, ſed quo etiam nomine ſalutandus foret, ſignificauit: nam Abbatem Maffam ſub veſperum alloquens dixit: Aldobrandinus renunciabitur Pontifex, & Clemens nomine appellabitur.

10 De Leone autem Vndecimo, qui Clementi Octauo in Pontificatu ſucceſſit, hæc dicenda occurrunt. Erat is adhuc laicus, atque apud Pōtificem pro Magno Hetruriæ Duce Oratorem gerebat: cui palam Philippus: Tu quidem & Cardinalis fies, & Pontifex; verùm citiſſimè morieris: quibus ille verbis triplicem cōplexus eſt de homine prophetiam: ipſum nempe & Cardinalem, & Pontificem, & breui moriturum. Vixit enim in Pontificatu dies duntaxat ſex ſupra viginti. Verum enim vero, etſi hæc tam perſpicuè, apertèque dignoſcebat Philippus, ea tamen per iocum, ferè ſemper efferebat: porrò maximopere vetabat ſuis, ne huiuſmodi rebus vllam, vel raro aliquando fidem præſtarent: vtpotè quæ illuſionibus aditum patentiſſimum præberent.

Abſentia, ac ſi præſentia intuetur. Cap. VII.

1 CEterum ea quæ lõgè aberant, perinde ac ſi adeſſent, intuebatur Vir Deo plenus. Baronius olim ad ipſum culpas confeſſurus acceſſerat, quem is audire haudquaquam voluit, ſed: Abi, inquit, ad ſancti Spiritus Noſocomium, vt ibidem ægrotos inuiſas. Reſpondet Baronius, iam horam ægrotis miniſtrandi ſolitam elapſam eſſe. Subdit Pater: Rumpe moras, moremque gere. Iuit ergo, atque ægrotantium lectulos ex ordine perluſtrans, quendam reperit, cui fax accenſa, & ſacra Crucifixi imago, veluti in extremis conſtituto appoſita erat, & quoniam æger hoſpitalem domum ea ingreſſus fuerat hora, qua loci Confeſſarius, ſuo functus munere, amplius non aderat, non ſuſcepto pœnitentiæ Sacramento iacebat. Baronius ægrotanti propior factus interrogat, num peccata confeſſus ſit? Minimè reſpondit. Quapropter protinus curat, vt Confeſſarius accedat, ægrotantis confeſſionem excipiat, Euchariſtiæ viaticum porrigat, atque ex ordine cetera adminiſtret: quibus vix expletis ægrotus ſpiritum efflat. Baronio domum reuerſo, ac rem prout euenerat enarranti Philippus dixit: Iam modò diſcas, ò Cæſar, quanti valeat obedientiæ virtus.

2.3 Tauruſius olim Philippum adiens, vt conſcientiam exoneraret, ſic ab eo interrogatur: Heus tu, quid de proba illa, honeſtaque muliere? ex quantonam tempore eam non inuiſiſti? Perge cito, quandoquidem eius animæ ſalus me valde ſolicitat. Miniſtrabat hæc apud Noſocomium ſancti Iacobi Incurabilium piè admodum, ac diligenter. Illuc aduolat Tauruſius, reperitque fœminam, ad lectuli caput affixa cruce, animam iam efflantem: cui in extremo illo articulo precibus, & adhortationibus præſidio plurimum fuit. Idem ferè contigit cuidam militum Duci, ad quem nonnullos de repente mittit Philippus, qui hominem diligenter perquirant, eumque extremos iam ſpiritus effundentem reperiunt, atque illi in eo vitæ diſcrimine adiumentum afferunt.

Anto-

4 Antonio Fantinio, de quo alibi, cum ſe olim ad Vallicellam conferret, neſcio quid rei inter eundum admiſit; cùm igitur ad Philippum accedit, eum Vir ſanctus acriter reprehendit: totamque facti ſeriem, quæ ei in via contigerat, & ex numero circumſtantias enarrat. Ad quæ is vehementer obſtupuit, certum habens Philippum, quod actum fuerat, niſi diuinitus ſcire non potuiſſe; tum quia nemine vidente rem egerat; tum quia tam breui temporis interuallo tam longam rei hiſtoriam ab vllo edoctus eſſe nequierat.

5 Ibat aliquando Vir Dei vnà cum ſuis, inter quos erat Marcellus Ferrius, qui rem teſtatur. Inter eundum Philippus de repente ſpiritu actus, orique appoſita manu, Ferrium ſic interrogat: Quinam ſunt hoſpites, quos domi nuper excepiſti? Is, qui eſſent, enarrat: Caue, ſubdit, hi namque ad multa perpetranda facinora aduenerunt, & ni quamprimùm remedium adhibeas, homicidia ſubſequentur. Obriguit Marcellus, domumque reuerſus hoſpitum conſilia accuratè perſcrutatur, palamque comperit verum omnino eſſe, quod Philippus ſignificauerat, & Deo gratias agens, cautè illos dimiſit.

6 Paulus Recuperatus, vtriuſque Signaturæ Referendarius Beneficiarium quendam Baſilicæ Diui Petri ſub veſperum clam de negotio fuerat allocutus: cui manè ad ſancti Hieronymi alia de cauſa Philippum adeunti ſtatim is omne colloquium, quod ſecretò cum Beneficiario ſub veſperum habuerat, ad verbum repetijt. Quod Paulus maximopere admiratus, quamprimùm Beneficiarium adit, eumque interrogat, num negotium, de quo heſterna die inter ſe clam egerant, alicui communicaſſet? Haudquaquam eo reſpondente, Paulus rem omnem a ſancto Viro diuinitus acceptam intulit.

7 Mutius Achilleus Septempedanus in patriam ab Vrbe reuerſus, cœpit inſomniorum, viſionumque imaginibus fidem præſtare, & certa quædam rerum ſpiritualium oblectamenta, quæ etiam ſenſus ipſos corporis afficiebant, cupidè nimis inhiare, cumque is cum beato Parente hac de re nihil

vnquam, nec per literas communicaſſet, neque vlli id notum feciſſet; Philippus tamen per epiſtolam hominem benignè, ac paternè commonet, vt huiuſmodi rerum ſpiritualium deliramenta potius quàm oblectamenta poſthac amplecti deſiſtat: facilè factum iri, vt tandem a dæmone deciperetur, nec non etiam graue aliquod valetudinis incommodum incurreret: eum inſuper admonet, vt certam quandam deuitare ſatagat occaſionem, cui non tam nequiter, quàm imprudenter ſe dederat, adiecitque huiuſmodi ſcopulos ad vitæ perfectionem contendentibus toto pectore præcauendos. Quæ quidem ſingula Achilleus non potuiſſe niſi diuinitus a Philippo prænoſci, iuramento affirmat.

8 Ioannes Baptiſta Lambertus per epiſtolam a patre acperat, patruum, qui aureorum millia circiter quadraginta poſſidebat, eaque ſæpius eidem relinquere velle ſignificauerat, Meſſanæ defunctum eſſe: quamobrem Philippum adit, eique prius peccata ritè confeſſus, rem omnem ſummatim ediſſerit, petitque Meſſanam verſus abeundi licentiam. Tum Dei ſeruus altera aure hominem detinens, caput eius in ſinum ſuum inflectit, quem cum ſic ibi aliquantiſper retinuiſſet, mox e gremio erectum, fronte hilari, fixiſque in eum oculis ſic alloquitur: Ne quid turberis; non enim eſt, cur ab Vrbe diſcedas: tuus namque patruus iam conualuit, & primo quoque tempore literas ab eo recipies, quibus tibi gratulabitur, munuſque inſuper beneuolentiæ gratia ad te vltro tranſmittet. Quæ omnia, vti Philippus edixerat, euenerunt.

9 Non abſimile quid accidit Ioanni Atrinæ Marſicano, cui cum itidem ex epiſtola mortuam ſibi matrem audiuiſſet, Philippique precibus eam perſeueranter commendaret, neque verba præ lacrymis exprimere iam valeret: Apage, inquit Philippus, mater tua benè valet. Et paucis poſt diebus literas accepit, ex quibus matrem bene habere cognouit.

10 Iulius Sauera ex numero fratrum Congregationis, ad Philippum quondam pergit, vt peccata ex inſtituto confiteatur; cui inter eundum litteræ offeruntur, ex quibus matrem obijſſe intelligit, de cuius ægritudine ne verbum quidem accepe-

cęperat. Epiſtola perlecta ad Philippum accedit: cui Pater ſanctus, antequam quicquam is indicet; detractum ſibi clericale pileum eius capiti imponit, ac Deiparæ Roſarium collo circumducit; & deinde ne matrem lugeat hortatur: nam, inquit, ipſa apud ſuperos te expectat; quamobrem tibi potius gaudendum eſt, quàm inani luctui indulgendum. Obſtupuit tum Sauera, certò ſciens Philippum matris obitum, niſi diuinitus noſſe non potuiſſe. At quippe qui vti Sanctum illum habebat, rem ei cælitus patefactam non dubitauit: quapropter non ſolum temperauit a lacrymis, ſciens matrem inter cælites commorari, ſed ingenti etiam gaudio eſt delibutus.

11 Abs re tandem non erit, ſi priuſquam capiti finem imponamus, lepidum quid, non illi admodum diſſimile quod in libro ſecundo Dialogorum enarrat S. Gregorius Magnus, hîc afferamus. Marcellus Vitelleſchius, alibi ſæpius commemoratus, duo miſerat ad Philippum œnophorula aquæ e floribus aurantijs elicitæ. At quoniam famulus, qui illa deferebat, alterum vel caſu, vel incuria fregerat, vnum tantum Philippo attulit; cui Sanctus ſubridens, ait: Heus tu ex duobus alterum inter eundum huc veniens bibiſti, nonne? Erubuit tum famulus, cumq; commodum reſponſum non ſuppeteret, rem prout acciderat, faſſus eſt. Qui demum reuerſus, herum interrogat, nunquid de mittendis vaſculis cum Philippo antea egerit? Neganti Marcello, famulus, quod contigerat, per ſingula exponit: quamobrem rem diuinitus a Philippo cognitam ſine vlla hæſitatione vterque intulit.

Cordium arcana dignoſcit. Cap. VIII.

INternorum verò animi ſenſuum cognitione ita pollebat Philippus, vt omnibus penè prodigio nedum admirationi fuerit. Etenim Vir ſanctus ſic ſuorum intima diuinitus penetrabat, vt non ſolum an oraſſent, & quouſque orationem protraxiſſent, ſed etiam quæ & quot in abditiſſimis quibuſcunque locis admiſiſſent peccata, optimè noſſet: adeoque ijs exploratum id erat, vt quoties illos conſcientiæ

ſtimulus redargueret, corām eò conſiſtere vix auderent, & contra à peccatorum labe inſertes Paradiſi ſe delicijs potiri exiſtimarent. Ex quo ſi quid alicubi eos confabulari aliquando contingeret, quod honeſtatem vndequaque nōn redoleret, ſtatim inuicem dictitare conſueuerant: Faceſſant hæc procul. Etenim Pater ſingula nouit. Quin & ipſe nactus opportunitatem ſæpius aſſeruit, optimè ſe dignoſcere, quotieſcunque ſui verè vel fictè in via Dei procederent. ſed exempla apponamus.

2 Raphaël Lupus iuuenis Romanus a virtutis tramite admodum deuius, ad ſancti Hieronymi, vt ſermonibus intereſſet, blandè ab amico deductus fuit; quibus expletis, vt amicus lupum in agnum conuerteret, eundem ad Philippum adduxit, dicens: Iuuenis hic ò Pater Oratorium frequentare ſtatuit: at primum conſcientiam à peccatis exonerare peroptat. Ad hæc Raphaël graui in amicum ira ſuccenſuit: quandoquidem tantum aberat, vt id præſtare vellet, vt potius a confeſſione maximopere abhorreret: verùm ne & mœrore amicum, & ſe improbitatis nota afficeret, confeſſionem apud beatum Parentem ſimulatam expoſuit. Tum Philippus caput eius manibus apprehenſum more ſuo leuiter comprimens dixit: Spiritu ſancto reuelante didici, te ſingula, quæ hactenus expoſuiſti, fictitia confeſſione pronunciaſſe. Ad hæc iuuenis acerrimis lancinatus ſtimulis accuratam peccatorum omnium expiationem non multo pòſt apud eundem habuit; atque ipſiuſmet conſilio religioſorum Ordinem ingreſſus ibidem piè admodum, vti vixerat, ſpiritum reddidit.

3 Acceſſit ad Philippum aliquando mulier, vt peccata ex conſueto confiteretur: quam Sanctus intuens ait: Tuas recogita ſtudioſius culpas. Illa paulum ſecedens, & conſcientiæ ſinus accuratius explorans, repetita apud ſe quorundam peccatorum memoria, ad Philippum rediens ſingula confeſſa eſt, hoc addito: quoniam tu Pater internas cordis cogitationes intueris, dicas quæſo, num aliud quidquam admiſerim, quod confitear? Cui: Acquieſcas, inquit, nil etenim ſupereſt. At inde mulier dubitare cœpit, num verè, an caſu peccata digno-

gnouerit. Cum igitur multis poſt diebus ad ipſum reuerteretur, Philippus, quamuis illa nil prorſus cuiquam de ſua hæſitatione indicaſſet: Sileas, inquit, tua namque peccata ipſemet proferam: ac ſingillatim omnia, vti mulier exponere decreuerat, eidem recenſuit. Quare a tentatione liberata Dei famulum veluti prophetam in poſterum ſemper eſt venerata.

4 Nobilis quidam Romanus cum ſibi a Philippo intimi animi ſenſus haud rarò detecti fuiſſent, eundem aliquando rogauit, vt ſi quid omiſiſſet inter confitendum, opem ferret; cui Vir Dei: Bono ſis animo, nam quoties vel ex memoriæ lapſu, vel ex ignorantia aliquod graue omitteres, illud mihi Deus vtique notum faceret, idque pro comperto habeas.

5 Alius Vir nobilis, itidem Romanus, generalem quam dicunt confeſſionem apud Philippum fecerat: cumque rediiſſet, vt breui reconciliationis formula, vt mos eſt, de reliquis abſolueretur: Nonne, inquit, Philippus eiuſmodi admiſiſti peccatum? Etiam reſpondit. Cur ergo illud non aperuiſti? Me, ait, de eodem alias confeſſum putaram. Scito, ſubdit Vir ſanctus, te huiuſmodi culpam Confeſſario nunquam propalaſſe. Is itaque rem accuratius recogitauit, ac verè ſe nulli vnquam peccatum aperuiſſe cognouit.

6 Ioſephus Zerlius chirurgus inſignis, qui tandem ſenior Congregationem ingreſſus in ea vitam finiuit, beatum Parentem aſſerit non cordis tantummodo cogitationes iam præhabitas ſibi expoſuiſſe; ſed etiam quæ ab eo poſtmodum concipiendæ erant, apertiſſimè renunciaſſe. Affirmabat is ſui cordis arcana mortalium nulli patere magis, diuino excepto numine, quam Philippo.

7 Theus Guerrius Senenſis, vir pietate notiſſimus, cum ad negotia Romam veniſſet, a noſtris hoſpitio exceptus, vidit veſpere Philippum vnà cum quibuſdam Præſulibus hilariter admodum ſe gerere, ſimulque cum ijs riſus miſcere: quamobrem ratus iſthæc puerilem redolere leuitatem, tentatione actus eſt, num reuera tanta ſanctitate floreret, quanta vulgus arbitrabatur. At cum mane inſequenti ad ſanctum Virum culpas expiaturus accederet, quam de eo conceperat opinio-

nem omnino reticuit. Ad quem is: Caueas,inquit,ò Thee,ne ficte ad confeſſionem accedas, culpamque vel leuiſſimam humanis de cauſis ſilentio inuoluas: & cur, ſubiecit, confeſſus non es, quod heri veſpere de me perperam cogitaſti? Admiratus eſt Theus, remque omnem aperuit; atque hominis ſanctitatem veneratus altiorem de eo opinionem animo defixit.

8 Mulier quædam inops ſanctum Virum in Eccleſia ſancti Hieronymi confeſſiones excipientem adit, flexisque genibus peccata ſe confiteri velle ſimulat, reuera panem pro eleemoſynis erogari ſolitum, conſecutura. Cui Philippus: Apage, inquit, haud enim tibi ſuppeditandus eſt panis: eiuſque confeſſionem excipere recuſauit. Etenim Vir prudentiſſimus ſummopere inuigilabat, ne quiſquam temporalis ſubſidij cauſa Sacramentorum vſu abuteretur. Quocirca ſciendum eſt, illum non facilè per ſeipſum pœnitentibus eleemoſynas erogaſſe, cum præſertim in Sacro pœnitentiæ tribunali ſederet, ſed pijs quibuſdam viris occultè ſuppeditabat nummos, qui pœnitentium neceſſitatibus, quotieſcunque opus eſſet, ignorantibus ipſis, cautè prouiderent.

9 Hector Modius ſolitus erat impuras cogitationes, in quibus repellendis negligentior fuiſſet, in confeſſione reticere, quod ſancto Viro admodum ingratum erat. Cùm ſemel igitur is ex conſueto peccata confiteretur, illasque ſilentio ſupprimeret, Philippus: Cur, inquit, has atque illas impuras cogitationes confiteri omittis? Et quod iniquius ferendum videtur, nunquam antehac te reum accuſaſti? Admiratus ille, factique pœnitens, diligentiorem in poſterum ſe exhibuit.

10 Iuuenis quidam grauibus noctu impetitus tentationibus, neque vt par erat, ijſdem obſiſtens, mane Philippum adire erubeſcebat: ideoque in alterum diem confeſſionem diſtulit. A prandio tamen ad Oratorium ſe contulit, & quanquam in angulo, vt lateret, recepiſſet ſeſe, Philippo tamen minimè latuit. Illum itaque aduocans, cur fugiat interrogat: poſtea ſeorſum iuuenem abducens, ſuaui correptione præmiſſa, omnes, & ſingulas ex ordine cogitationes, quas per noctem il-

lam

lam paſſus fuerat, enumerat: ita vt is & admiraretur pariter, & ingemiſceret.

11 Alius dum Philippo culpas ſacramentaliter accuſaret, grauiora quædam, nulli penitus cognita, ex verecundia ſilentio inuoluebat; cui confeſſione peracta, Dei famulus ait: Vt quid mentitus es Spiritui ſancto? & ſingula, quæ callidè ſubticuerat peccata, ex ordine propalauit. Quare is ſacrilegum facinus agnoſcens lugere fuſius cœpit; ſuoque tempore generalem totius vitæ actorum confeſſionem peregit.

12 Acceſſit quondam ad eum clericus, vt ſe culpis pariter exoneraret. At quippe qui graui ſe ſcelere commaculauerat; cum genuflexus enunciare conaretur peccatum, vſque adeo tremere cœpit, vt ne quidem verbum exprimere vllatenus poſſet. Interrogat ergo hominem Vir Dei, cur taceat? Pudet inquit exponere piaculũ, quod commiſi. Tunc Sanctus apprehenſa pœnitentis dextera: Ne timeas, inquit, equidem tuum tibi facinus ipſe proferam, & rem omnẽ, prout acciderat pœnitenti expoſuit: quapropter is lætus reliquam confeſſionem eſt proſecutus.

13 Idem ferè accidit alteri, qui pudore fractus alium Confeſſarium adierat, ſed cum poſtea rediiſſet, vt detegeret, quæ ſupererãt; dixit ei Philippus: Culpam admiſiſti fili, quam mihi celatam velles, illamque alteri Confeſſario aperuiſti: ſed rem mihi omnem Deus apertam reddidit. Ad quæ compunctus pœnitens, veritatem faſſus, conſcientiæ maculas vberrimis lacrymis expiauit. Sed quid pluribus immoror? ſexcentos poſſem producere, quibus delicta, tentationesque ex pudore præſertim inter confitendum prætermiſſas, iiſdem Philippus detegebat. ſed reliqua proſequamur.

14 Vincentius Begerius domo aliquando exierat, de Religione nil cogitans, ſed inter eundum ſe ad Dominicanæ Familiæ Inſtitutum vocari ſentiens, ad Cœnobium Sanctæ Mariæ ſupra Mineruam ſe contulit, & cum Tyronum Magiſtro hac de ſua vocatione ſermonem habuit. Ille, Abeas, inquit, ad Patrem Philippum Nerium, in ædibus ſancti Hieronymi commorantem, eique ſingula, quæ mihi enarraſti, communices:

qui

qui, ſi te ad hoc vitæ genus euocatum dixerit, redeas, & pro viribus curabo, vt votorum compos fias. Abijt Vincentius, tantaque cum celeritate, vt a nemine prorſus potuerit præueniri. Philippus vbi primum iuuenem vidit (quendam tunc alium alloquebatur) præſtolare, ait, pauliſper: etenim quid petas, haud me latet. Expleto negocio, iuueni propior factus, capillos, aureſque manu ſuauiter vellicans, dixit: Exploratum ſatis habeo te a Nouitiorum Magiſtro ad me miſſum, vt liberè dicam, num tuæ ſaluti expediat te Religionem ingredi. Meo illi nomine vocationem tuam a Deo iniectam renuncies. Animo hæſit tum iuuenis, atque ad cœnobium aduolans facti ſeriem magiſtro exponit: addens virum ſe eſſe nactum, qui ſibi propemodum, vt olim Chriſtus Samaritanæ, omnia cordis intima aperuiſſet. Ad quem is ſubridens, eumque ſigno crucis in fronte conſignans: Optimè quidem noram, ad quem te virum dimitterem. Non longo deinde tranſacto tempore, ipſomet præſente Philippo, Vincentius regularem induit habitum, atque Hieronymus eſt nuncupatus: qui ſæpius a prædicto tyronum magiſtro certior redditus eſt, eum hac de re cum Philippo nec verbulum quidem egiſſe, ſed omnia illi diuinitus patuiſſe.

15 Dominicus Scopa cum Romam peteret, Clericorum Regularium Ordini nomen daturus, hortante Tauruſio, Philippum adijt, vt ipſum conſuleret: qui certis illi verbis edixit, vt ſine vlla hæſitatione Ordinem illum ingrederetur; ac ſermone aliquátiſper producto ore ad aurem admoto, ait: Quod attinet ad impedimentum, quod times, nil cures: quandoquidem Religionem ingreſſo nullam tibi moleſtiam faceſſet. Admiratus eſt vehementer Dominicus, quo illi pacto cordis arcanum ſibi Philippus detexerit, & quod maioris momenti eſt, quod ſibi fore impedimento putabat, nullam prorſus moleſtiam allaturum, quæ ſingula vti Sanctus prænunciarat, ad vnguem contigerunt.

16 Blaſius Bettus Clericus Regularis, cum certis quibuſdam animi perturbationibus vno & amplius anno fuiſſet grauiter vexatus, vtque ab ijs eximeretur Deum frequentius

exo-

exoraſſet, corpuſque ad id, Confeſſario ſuadente,incuſſis flagellorum verberibus maceraſſet, nil tamen vnquam leuaminis ſentiebat. Quam ob cauſam Philippum adire decreuit; quem occupatum reperiens ei per atrium deambulans præſtolatus eſt. Vix Blaſius ter quater huc illuc deambulauerat, cum Philippus,antequam is verbum proferat, quid velis,ait, optimè noui: exequere quod Confeſſarius iuſſerit, id namque ſatis. Abijt tacitus, atque inter eundum, non ſine magno animi ſui gaudio, ac ſtupore, ab omni cordis perturbatione liber efficitur.

17 Ludouicus Torres, Montis Regalis Archiepiſcopus, & S.R.E. Cardinalis, dum iunior eſſet, nec non Philippo familiaritatis vſu coniunctiſſimus, vidit olim ſancti Viri penulam valde laceram, quamobrem nouam illi dono elargiri ſtatuit. Sumpta igitur certa pecuniæ ſumma ad ſancti Hieronymi ædes ſe contulit. Verum cum in Oratorio haberentur ſermones, donec dimittendæ concionis fluxiſſet hora, ibidem demoratus eſt: ſermonibus expletis Philippus,qui cælitus prænouerat, quod animo Ludouicus concepiſſet, hominem in cubiculum deducit: armariumque reſerans: Aſpice,inquit, tuarum me veſtium vtique non indigere. Admiratione quam maxima affectus eſt tunc ille, cum nemini penitus animi ſui ſenſum expoſuiſſet. Igitur Cardinalis poſtmodum renunciatus ad comprobandum quod Philippus cordis intima penetraret, factum huiuſmodi inter loquendum referre ſolitus erat.

18 Claudius Nerius Romanus ita grauibus angebatur animi curis, vt multa pia opera vel inuitus præ tædio intermittere, atque ab Euchariſtiæ præſertim Sacramento abſtinere compelleretur; cumque ſæpius ſtatuiſſet rem Philippo ſignificare, hæſitans non audebat. Accidit autem, vt ſemel ſanctum Virum morbo iacentem inuiſeret, cumque inter ſe diutius ſermonem protraxiſſet, ſic illum Philippus interrogat: Quid illud, quod mihi enarrare ſtatueras? Nihil, reſpondit Claudius. Verum cum ſæpius Pater ſanctus inſtaret, vt rem liberè patefaceret, isque ſemper inficias iret; tandem ſub tertiæ perſonæ nomine,ſic ſermonem Philippus proſequitur: Vir

cuius

cuius ego conſuetudine valde vtor, curis grauiſſimis angebatur, ſingulaſque cœpit in alterius perſona recenſere moleſtiarum curas, quibus tum Claudius affligebatur: ex quo is non ſolum animaduertit de ſe Philippum loqui, verum etiam, quia opportunum remedium morbo ſubtexuit, eo adhibito ab omni deinceps internæ afflictationis onere liber euaſit.

19 Aliud quoque mentis arcanum Viro huic Philippus patefecit. Optabat ille filiam inter oblatas Turris ſpeculorum adnumerare: attamen ſui cordis conſilium beato Parenti detegere non audebat: tum maximè quod puella illuc ingredi quodammodo renitebatur. Philippus itaque pœnitentis deſiderio diuinitus cognito, vt filia a Monialibus admitteretur, Claudio inſcio obtinet, atque a præpotenti Deo impetrat, vt ipſa mutato conſilio domum illam libentiſſimè ingrediatur.

20 Franciſcus de Ruſticis nobilis Romanus, totam noctem tranſegit inſomnem, voluens animo, quonam pacto, cũ ſororis viro rem quandam componeret. Cumque ſtatuiſſet de ea re cum Philippo conferre, vbi primum Sanctus illum videt: Quid velis, inquit, optimè noui: redeas poſt biduum. Paret; & negocium, quo ſuper neque Philippum, neque alium quempiam aliquando allocutus fuerat, ex animi ſententia confectum, & abſolutum reperit.

21 Ioannes Andreas Pomius Lucatellus Bononiẽſis, ſacerdos necnon paruæ exiſtimationis Theologus, frequenter præſente Philippo quæſtionum ſcholaſticarum libros perlegebat: cui ſæpius inter legendum Pater ſanctus dicebat: Tu Lucatelle mi, dum legis mentem a lectione aliò diuertis, & his atque illis actionibus diſtraheris; eaſque ſingulas eidem recenſebat; ita vt homo præ ſtupore fere a ſenſibus ſæpe alienaretur.

22 Conſtantia Draco cum vidua remanſiſſet, accedente Philippo, vt eam ſolaretur, mente apud ſe agitabat: Hic ſenex decrepitus viuit, & vir meus adhuc iuuenis mortuus eſt. Cui Philippus, qui cordis eius arcana penetrauerat, ſubridens: Ego, inquit, qui adeo ſenui viuo, & vir tuus, qui adhuc iuuentute florebat, mortuus eſt. Admirata eſt fœmina eadem ſentiens

ſibi

ſibi verba repeti, quæ ipſa mente conceperat.

23 Hæc eadem animo ſtatuerat opus aggredi, quod nemini vnquam communicauerat, ſed poſtea ſententiam permutauit. Cumque exinde Dei famulum, vt peccata confiteretur, adijſſet, is illico: Cur, inquit, a mentis propoſito tam facilè receſſiſti? Hæſit tum mulier, obſtupeſcens quonam ille pacto ſecreta ſui pectoris penetraſſet. Ipſumque magis ac magis eſt venerata.

24 Monialis in Monaſterio ſanctæ Marthæ, cui nomen Scholaſtica Gazia, animi ſui ſenſum Philippo pandere, qui tunc ibidem ad crates aderat, maximopere cupiebat; cui antequam ipſa de re verbum faceret, dixit: Quid agis, o Scholaſtica, quid agis? Paradiſus eſt vtique tuus. Quin, reſpondit Monialis, vereor ne potius oppoſitum contingat: etenim mihi videor iam damnationi addicta. Tum Philippus, imò Paradiſus certè tuus eſt: quod tibi vel hac vna ratione demonſtro. Dic quæſo, pro quibuſnam Chriſtus mortuus eſt? Pro peccatoribus, reſpondit illa: Tu verò de quorum numero es? peccatricum ait. Ergo intulit Philippus, cum peccatorum te pœniteat, Paradiſus eſt tuus, tuus. Ad iſtud ſancti Viri argumentum confeſtim Monialis cordis tranquillitati reddita eſt: neque amplius conſimilibus perturbationibus laceſſita. Quinimo illud fiduciæ verbum, Paradiſus eſt tuus, tuus, ſibi ſemper auribus inſonare videbatur.

25 Alijs quoque duabus in eodem Monaſterio Sanctimonialibus internos mentis conceptus Dei ſeruus palam fecit. Alteri namque cordis arcanum aperuit ad directionem animæ pertinens, eamque ſuauiſſimis deliniuit verbis; alteri verò tentationis moleſtiam, quæ ante Religionis ingreſſum ei contigerat, detegens, remedium pariter ad illius infeſtationem in poſterum adhibuit.

26 Antequam ſacræ Tridentinæ Synodi Conſtitutiones vſu fuiſſent exceptæ, factus eſt obuiam Viro Dei iuuenis quidam habitu laicorum more indutus, ætate ſexdecim circiter annorum, Thomas nomine a ſancto Geminiano. In hunc defixis oculis Philippus ait: Quæſo te iuuenis, nonne tu Sacerdos

dos es? ad hæc ille valde admirans, non modo rem totam faſſus eſt, ſed propter quam ſubinde cauſam Sacerdotio initiatus fuerat, ſummatim explicuit; aſſerens id per metum a conſanguineis fuiſſe extortum, vt hereditatem ex toto aſſe, quæ ad ſexaginta aureorum millia aſcendebat, ſibi compararent. Philippus iuuenis infortunium commiſeratus, eundem & literis operam dare, & ab agnatis annuos pecuniarum prouentus excipere operam dedit: quem certo poſt tempore ad patriam contentum dimiſit. Significauit poſtea Tauruſio, ſe iuuenem Sacerdotio inſignitum dignouiſſe, quòd in eius fronte ſacerdotalis characteris nitorem proſpexerit.

27.28 Verùm vt oſtēdamus, quæ hactenus diximus, haud amplificandi ſtudio, imò parcè potius a nobis in medium fuiſſe allata, operæ pretium eſſe duximus, ipſamet verba ad verbum ferè attexere, quæ teſtes olim iurati coram iudicibus affirmarunt. Primò Federicus Cardinalis Borromæus hæc habet: Philippus arcanorum cognitione adeo eminebat, vt vel vno intuitu, qui a peccato ad gratiam ſeſe traduxiſſent, & viciſſim, qui a gratia ad peccatum deſciuiſſent, probè noſſet: quamobrem cuidam ad ſe accedenti aliquando dixit: Fili, tibi facies non ſatis bona. Seceſſit ille aliquantiſper, & contritionis actum elicere conatus eſt, atque ad Philippum rediit: quem Vir Dei intuitus: Ex quo, inquit, receſſiſti, faciem vtique in bonam commutaſti.

29 Cardinalis Tauruſius ait: Mihi profectò haud rarò contigit, vt quæ peccata corde latebant, antequam ipſa detegerem, Philippus me intuitus, diceret: hoc vel illud fili periculum ſubiiſti, atque in iſtud vel illud peccatum prolapſus es.

30 Octauius Cardinalis Parauicinus; quod adſtantium animos Philippus diuinitus inſpiceret, id mihi ſæpius contigiſſe teſtari poſſum, mecum ipſe ſtupens quanam ille via eas cogitationes, quas intus animo voluebam, percipere poſſet, quod & aliis multis contigiſſe audire me optimè memini.

31 Hieronymus Cardinalis Pamphilius ait: Cum olim cuperem quod animo conceperam, nec vlli vnquam prorſus com-

communicaueram;beato Parenti detegere,is apud Sacrarium me manu prehendens, antequam verbum facerem: Volo, inquit, negotium illud omnino abſoluamus. Atque ita quod ipſe enarraturus acceſſeram,ille mihi prior ad vnguem recenſuit: ex quo penè attonitus hæſi. Præterea quotieſcunque culpas de more expiaturus Dei hominem adibam,vno oculorum intuitu, quæ a me explicanda erant,intelligebat, & quandoque ordinem inuertens, quæ meæ partes erant, ipſe obibat, audientis ego, ille dicentis.

32 Petrus Paulus Cardinalis Creſcentius inquit: Quod Philippus intimos animorum ſenſus penetraret, vel ex hoc ſcio,quòd ipſe rem expertus ſum: quandoquidem ea mihi aperuit, quæ humanitus nemo præter me ſcire vllatenus poterat: idque ipſum alij quàmplurimi aſſeruerunt.

33 Marcellus Vitelleſchius teſtatum ita reliquit: Cùm fortè me olim in nonnullis culpis exprimendis neſcio quid difficultatis inter confitendum experirer, is antequam confiteri inciperem,confeſtim me de illis ſingillatim interrogabat: quod contingebat frequentius. Quotieſcunque verò conſcientiæ ſcrupulis illaqueatus valde premebar, vbi primum hilari me fronte is reſpiciebat, repentè ſcrupulis omnibus liberabar. Imò ſi quid anxiè nimis animum ſolicitabat meum, vel quòd ignorarem, vel quòd non aduertiſſem, illud omne ab ipſo indicandum mihi fore pro certo habebam.

34 Paulus Magius ſimillima narrat: Fiebat, inquit, nonnunquam, vt cum beatum Virum, vt culpas confiterer, adirem, ipſe prior diceret: Fili hoc vel illud peccatum admiſiſti. Et quoniam ea prorſus ab vllo accipere nequiuerat, ingens me ſæpius inuadebat ſtupor.

35 Marcellus Ferrius hæc habet: Dum apud Philippum peccatorum confeſſione conſcientiam exonerabam, in me oculorum ſuorum defigebat obtutum, & quæ planè peccaſſem, ſingula ex ordine aperiebat, perinde ac ſi meo in pectore latuiſſet. Et quoties vel me a ſe dimittens, vel abſolutionem impertiens capiti meo imponebat manum, toties inde pietatis ſenſu abundè perfundebar.

Mutius

36 Mutius Achilleus quod ſequitur, conteſtatur: Equidem experientia comperi, beatum Parentem ſecreta cordis,, atque omnes conſcientiæ ſinus vndequaque rimari conſueuiſſe: illudque optimè memini, quod meo in libello, prout acciderat, id temporis conſignaui. Anno ergo a Chriſto nato milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio Romæ degens, quæ mea peccata Philippo confiteri pudebat, ſilentio comprimebam. Accidit ſemel, vt vetulam quandam, extra pœnitentiæ Sacramentum, is acerrimè redargueret, eidemque me præſente diceret: Inferorum pœnæ vtique te manent: ad quæ ex quadam animi leuitate mecum ipſe ſubriſi: tum ille ad me conuerſus ait: Tu quoque inferis addictus eris. Id quod mihi, vt arbitror, minatus eſt Vir prudens, vt me ad pœnitentiam reuocaret; ſed quippe qui adoleſcentior eram, atque ideo ingenio leuior, quod maximè aduertendum erat, minimè aduertebam. Subinde cum iterum confeſſurus peccata redirem, is ſingula, quæ ex induſtria prius reticueram, clarè, diſtinctèque recenſuit. Quapropter deteſtandum conſcientię facinus agnoſcens, omni fictione ſubmota, ſtatui ſincerè & candidè in poſterum crimina percenſere.

37 Marcus Antonius Vitelleſchius idem ferè teſtatur his verbis: Sæpe ad beatum hunc Virum adibam, qui mihi ea, quæ præter Deum, ac me, nullus planè hominum niſi diuinitus ſcire poterat, apertiſſimè detegebat. Et quotieſcunque aliqua obſtrictus culpa accedebam, veritus ne quid reconditum coram aperiret, toto corpore horreſcebam. Quemadmodum vice verſa ſi me nullius culpæ conſcientia vrebat, eo præſente Paradiſi delicijs perfundi mihi videbar.

38 Angelus Victorius medicus adijcit: Cùm ipſe interdum Philippum conuenirem, rogaturus, vt funderet pro me preces, ille continuo præmonere ſolitus erat, vt ab hac vel illa ſeu re, ſeu culpa abſtinerem: animiq; mei errata, quæ ſcire neutiquam poterat, cum præſertim a confeſſionibus eo non vterer, ſingula mihi ex ordine enumerabat.

39 Petrus Focilius, de quo alibi, hæc in mediũ affert: Philippus occultas meas cogitationes omnes, minusque pias animi

mi propenſiones haud rarò mihi detegebat: & id, vbi primùm ad eum accedebam, & antequam ſacramentalem peccatorum confeſſionem exordirer. Quæ omnia adeo latentia, atque occulta erant, vt ſoli Deo, & mihi cognita eſſent.

40 Mulier, Caſſandra nomine, Antoninæ Raidæ ſoror, de cuius Antoninæ virtute alibi egimus, ait: Patrem Philippum vti ſanctum perpetuò colui, quod mihi ad peccata expianda accedenti, antequam quicquam verbo expreſſiſſem, mentis meæ cogitationes omnes recenſeret, quas niſi Sanctus fuiſſet, haudquaquam eas prænoſſe potuiſſet. Quinimo & orationes meas, & finem, ob quem potiſſimum orabam, optimè dignoſcebat, recenſebatque.

41 Antonina de Pecorillis: Biennio, inquit, antequam beatus Pater e vita decederet, dum me aliquando alloqueretur, nonnullos mihi detexit animi ſenſus, quos nulli mortalium vnquam patefeceram: quamobrem ſtupore defixa dixi: Iſthæc certè non aliunde, niſi e cælo hic homo accepiſſe potuit, quandoquidem cordis mea arcana ſunt.

42 Denique ne multarum rerum congerie faſtidium fortè legentibus afferamus, id ſolum addere viſum eſt, totum planè actorum codicem de Philippo Sanctorũ catalogo adſcribendo publica auctoritate compilatum, huiuſcemodi teſtium depoſitionibus refertum eſſe: ex quo colligi abundè poteſt, quàm meritò ſacra Rituum Congregatio de illo pronunciauerit, quod in occultis animorum ſenſibus penetrandis non ſit inuentus ſimilis illi.

Prudentia, ac diſcretio Spirituum. Cap. IX.

QVanquam Philippus ſtultus, ineptusque apud omnes haberi perpetuò affectauit; prudentiſſimus tamen, non ſolum in his, quæ ad ſalutem animę pertinent, ſed etiam in rebus tum œconomicis, tum politicis, agnitus, & habitus ab omnibus ſemper fuit. Ex quo factum eſt, vt ad ipſum, non ſolum infimæ conditionis homines, ſed etiam ſupremæ auctoritatis viri, tanquam ad animatum

prudentiæ oraculum confugerent. Imò & ipſi Summi Pontifices Philippi ſententiam, & conſilium plurimi fecere.

2 Gregorius Decimus quartus in arduis quibuſque rebus, & in magnis, ampliſque curis illum ſæpiſſimè conſulendum cenſuit, & Clemens Octauus ſic eius conſilijs inſtitit, vt Henricum Quartum Galliarum Regem in gratiam Eccleſiæ ipſo conſultore admiſerit.

3 Leo Vndecimus, quo tempore Cardinalis erat, ſæpius in hebdomada Philippum in cubiculo conueniebat, atque apud eundem quatuor vel quinque tranſigebat horas, tum ad recreandum, leuandumque animum, tum ad conſilium in rebus maximis capeſſendum: qui cum eſſet ſumma prudentia præditus, de Philippo teſtimonium facturus, ceteras inter laudes, quibus ſanctum hominem decorauit, eum hac excelluiſſe virtute teſtatus eſt.

4 Diuus Carolus Borromæus, præterquam quod ad multas horas apud eum in cubiculo morabatur, vt de ijs ageret, quæ ad ſpiritum, & præcipuè ad paſtoralis officij ſolicitudinem pertinent, Annam inſuper Borromæam ſororem chariſſimam ipſi dirigendam commiſit, eamque voluit eius conſilijs, ac placitis, vt quem prudentiſſimum in ſingulis experimento comprobauerat, in omnibus obtemperare.

5 Claudius Aquauiua, quintus è Societate Ieſu Præpoſitus Generalis, ſummæ prudentiæ, ac ſolertiæ vir, quoties ad ſanctum Virum ſe conferebat, quatuor pariter vel quinque circiter horas negotia tum publica, tum priuata agebat.

6 Demum vt conſilium ab eo caperent, omnium ferè Ordinum Regulares viri primarij ad ipſum confluebant. Quare Theius Senenſis, de quo ſæpe alibi mentionem fecimus, hæc dicere ſolitus erat: Equidem multorum hominum familiari conſuetudine vſus ſum, Regularium præſertim, verum neminem adhuc reperi, qui tam ſanum, tam ſanctum, prudenſque conſilium daret, vt Philippus. Et quod in eo magis admirandum occurrit, illud eſt, quod eius reſponſa, quaſi obiter allata videbantur, & tamen maximo conſilij pondere, & iudicij maturitate data eſſe, rerum ſucceſſus optimè comprobauit.

Et

7 Et hinc fiebat, vt in rebus agendis ſagax eſſet, non præceps; beneuolus, non mollior, & natura licet officioſiſſimus, non tamen vltra quàm par erat, obſequeretur. Quapropter cum olim vir nobilis ab ipſo poſtularet, vt apud Pontificem in certo quodam negotio, pro ſe intercederet, liberè reſpondit, officium illud præſtare ſe nolle: tum quod facilius ab alio præſtari poſſet: tum ne ſibi aditus præcluderetur, quo minus ceteris in maiori neceſſitate conſtitutis opem ferret.

8 Atqui, vt ad eam deueniamus Christianę prudentiæ partem, quam diſcretionem ſpirituum ſancti Patres appellant; tantum a Deo luminis conſecutus eſt Philippus; vt probè omnino dignoſceret, quid vnicuique ad ſalutem conduceret. Ex quo contigit, vt quotquot ipſius opera, vel conſilio, Religionem inirent, cuncti propemodum ſumma cum laude perſeuerarent: qui verò ſpreto eius conſilio clauſtra ingreſſi fuiſſent, quantocyus ad inanem ſeculi pompam aduolarent. Quod etiam in Congregatione a noſtris perpetuò obſeruatum fuit: nam qui plena Philippi voluntate recepti fuere, pulcherrimè quidem in ipſa perſtiterunt, qui verò ſecus, etſi perpauci, vel a Patribus dimiſſi fuerunt, vel tandem ſponte e Congregatione diſceſſere. Idem ferme accidit ijs, quos ex aliqua peculiari cauſa Vir, in hac certè re planè diuinus, vt in ſeculo permanerent, cohortatus eſſet; nam optimo virtutum exemplo ſpectabiles inter ceteros ſe præbuerunt.

9 Inter quos præter multos, de quibus ſupra meminimus, maximopere enituit Ioannes Baptiſta de Fulginio. Is enim cum valde cuperet certior fieri, quodnam vitæ genus initurus eſſet, ad Philippum, de cuius ſanctitate multa per Vrbem fama circumferebat, ſe contulit: cū igitur ante illum genuflecteret, vt peccatorū generalem, quam dicunt, perageret cōfeſſionem; Philippus paginā, qua is culpas diligenter adnotauerat, aufert, lacerat: id quod ille patienter tulit: quinimo Viri prudentiam admiratus, in ſingulis deinceps vitæ ſuæ rebus, eius præcepto, cadaueris inſtar, vt aiebat, ab illo ſe agi, ducique paſſus eſt: nec amplius de generali culparum confeſſione verba fecit. Interim fundit preces, vt quod de ſe probaret

ret Deus, Philippus aperiat: & ecce dum in Eccleſia ſancti Bonauenturæ ſub Quirinali orationem producit, vocem ſibi imperantem audit: Redi Fulginium Ioannes Baptiſta, redi Fulginium. Hac percepta voce, licet omnia ſolitus eſſet cum beato Parente communicare, id ei tamen ſtatim referre noluit, ne ſe de patria cogitare ſuſpicionem iniiceret. Verũ m Philippus, qui ſpiritu Dei ſingula nouerat, ſic ei fatur: Præcipio ego tibi, vt in patriam reuertaris: illuc enim te vocat Chriſtus: eſto tamen paratus redire, quandocunque præcepero. Huiuſmodi auditis in patriam illico proficiſcitur, vbi tantopere in virtutibus profecit, vt etiam viuens Beati nomine publicè nuncuparetur.

10 Cum maximo etiam, tum ipſius, tum aliorum fructu, inter ſeculares permanere iuſſit Cæſarem Baronium, qui cum ſæpius Philippum rogaſſet, vt ſibi Capucinorum familiam ineundi facultatem largiretur, id tamen ab ipſo obtinere nunquam potuit: quapropter nonnulli ſanctum Patrem obniti, iuuenemque alienare audientes, re leuiter perpenſa, ſcandalum propemodum patiebantur; vtpote qui ab optimo Religionis ſtatu homines auocaret. At quanti ponderis eius eſſet conſilium, quantumq; ipſi deciperentur, exitus optimè comprobauit. Baronius namque qualis in ſeculo extiterit, tum moribus, tum doctrina, atque Eccleſiæ Dei quantum & ſcriptis, & exemplo profuerit, nullus ignorat.

11 Hortatus eſt præterea, vt in ſeculo permaneret, Franciſcum Puccium Præneſtinum. Is namque mundi huius inanem fucum conſiderans, aggregandi ſe Capucinorum familiæ maximo flagrabat deſiderio, in tantum, vt id vnum die, noctuque recoleret, & quotieſcunque eius Religionis quemlibet vidiſſet, Angelum ſe vidiſſe putaret. Philippum, vt eum conſulat, adit, & quod animo conceperat, explicat. Cui Philippus: Religioni, inquit, ineptus es; Præneſte itaque commorare: ibi enim fructus reddes vberiores. Non acquieuit Puccius, ſed vt ad voluntatem obtineret reſponſum, Virum Dei precibus aſſiduis fatigabat. Cui tandem: Perge, inquit, ſed ſcias te apud ipſos minimè per manſurum. Iuuenis, vt deſiderium

rium

rium expleat, Viterbium properat, ſed inter eundum tam graui morbi ſymptomate corripitur, vt ad patriam redire coactus ſit: vbi longam, atque penè mortiferam ægritudinem paſſus eſt. Attamen obſtinatior effectus, & quòd in patriam rediiſſet, ſe male egiſſe ſuſpicans, voto ſe aſtrinxit, ſi conualeſceret, iterum ſe familiam Capucinorum ingredi tentaturum. Valetudini ergo reſtitutus ad Philippum redit, votumque a ſe nuper emiſſum indicat. Cui Vir ſanctus: Parcat tibi Deus, inquit, nonne tibi Religionem neutiquam expedire denunciaui? Cura igitur, vt voti diſpenſationem quantocyus obtineas. Paruit: verùm cum minimè quieſceret, optimus Pater Miniſtrum eius Ordinis Generalem conueniens, prius quæ verba iuueni reſpondeat, ſubminiſtrat: ac deinde Puccium ad eum mittit. Ad quem Generalis: Quid quæſo bone vir? Vouiſtin Religionem noſtram? Voui, reſpondet ille. At ſi tu, iterat alter, Religionem noſtram vouiſti, nos te recipere nequaquam volumus: ideo aliò tendas, quia hîc locus tibi non eſt. Acquieuit tum Puccius, ac Præneſte reuerſus, Sacerdotio inſignitus, nec non loci Archipresbyter factus, tam magna, tamque multa, quæ ad animarum ſalutem pertinent, tum in patria, tum in Latio, & Campaniæ finibus egit, vt eorundem locorum Apoſtolus a populis vbique prædicaretur.

12 Nobili inſuper Romano adoleſcenti, qui ſuper Religionis ingreſſu conſilium petiturus acceſſerat, ſuaſit Philippus, vt apud ſuos in pace perſiſteret, dicens: Malus te dæmon huiuſmodi cogitationibus implicatum retinet, vt te, domumque tuam vniuerſam perturbet. Imo addo tibi, non ſolum te Religioſum non euaſurum, ſed aliquando ducturum vxorem. Quæ quidem omnia ad vnguem expleta conſpeximus, etſi honoris gratia hominem reticemus.

13.14 Tandem Vir Dei in diſcernendis, decernendiſque ſtatibus cuiuſcunque ſic erat e cælo edoctus, vt alumnis ſæpe diceret: Agite hoc vel illud: hæc enim eſt Dei voluntas: quod cum frequenter audiſſet Federicus Cardinalis Borromæus: Hunc ſanè ſermonem, ait, pauci, vel fere nullus proferre certus ab errore poteſt. Aliàs dicere ſolitus erat: tu quidem per-

ſeuerabis, hic verò nequaquam, & quod ipſe prænũtiabat, ſuo mox tempore verum enunciaſſe, comprobabat euentus. E ſuis duo, quorum alteri nomen erat Franciſcus, alteri Ioannes Baptiſta Saracenus, Dominicanam familiam ingredi ſtatuerant: quibus Philippus ait: Ioannes Baptiſta huius regulæ Inſtitutum amplectetur, ibique perſiſtet: Franciſcus verò ingredietur quidem, ſed antequam annus decurrat, ad ſeculum redibit. Et ita omnino accidit.

15 Optabant nonnulli e Patribus iuuenem & literis, & probitate conſpicuum, inter noſtros adſcribi; rem Philippus non ſatis probare viſus eſt; attamen, quippe qui facilè ſuis indulgebat, ingredi illum permiſit, ſed iuuenis non multo poſt ex animi inconſtantia ſpontè diſceſſit.

16 Duo erant, quorum Dei famulus confeſſiones excipiebat, alter Italus, Gallus alter: Italus tamen ad pietatem propenſior. De his itaque Philippus ſic olim prænuntiauit: Italus, qui feruentior eſſe videtur, a ſpiritus feruore deficiet. Gallus verò qui tardiorem ad ſpiritualia ſe præfert, ad finem vſque perſiſtet. Et ita planè euenit.

17 Alius itidem iuuenis ſplendidè ornatus ad ædes ſancti Hieronymi ſermones auditurus ſe contulit; non vt verbi Dei fructum caperet, ſed vt illuderet ſermonem habentibus. Cum is ergo aliquando ſic obſtreperet, vt adſtantes mirum in modum perturbaret, ipſi hominis immodeſtiam ferre non valentes, rogant Philippum, vt iuuenem redarguat. Quibus ſubridens ait: Sinite illum, nam vobis & melior, & ſanctior omnino fiet. Iuuenis igitur ad ſe reuerſus aſperrimum Religioſorum Ordinem ingreditur, vbi piè admodum perſeuerans, virtutibus plenus diem obijt.

18 Erat Philippo certus quidam pœnitens Luſitanus, annum agens decimum ſeptimum, e familiaribus Cardinalis a Monte Politiano, qui tantum pietatis ſpiritum adeptus fuerat, tantoque ſenſu de cæleſtibus loquebatur, vt doctiſſimum quemque in ſui admirationem traheret. Cœpit is vehementi teneri deſiderio Regularis ineundæ vitæ, & quamuis Philippus adoleſcentis conſilium minimè probaret, importunis tamen

defa-

defatigatus obſecrationibus,ingreſſum vel inuitus ei permiſit. Dum itaque iuuenis religioſas induit veſtes, Dei Seruus, qui aderat, parum ſecedens, ad parietem conuerſus effusè luget. Tauruſius rem videns, cur ploret, interrogat: cui ſe adoleſcentis illius virtutes deplorare reſpondet. Verborum illorũ ſenſum haud percepit tunc Tauruſius; ſed poſt certum temporis interuallum optimè percepit: nam Luſitanus regularem quidem veſtem non exuit, ſed a pietatis tramite omninò deflexit: & vſque adeo errabundus dies ſuos traduxit, vt in poſterum graue ſcandalum, offenſionemque non minimam omnibus intulerit.

19.20. Porrò ſic peruagatum erat, Philippum diſcretionis dono præcellere, vt Gregorius Decimus tertius ſpiritum cuiuſdam virginis, quæ tum Neapoli Romam venerat, nomine Vrſula Benincaſa, explorari deſiderans, propter ecſtaſes perpetuas, quas patiebatur (quandoquidem coram Pontifice, quem certis de cauſis adierat, ter in ecſtaſim rapta fuit) nullũ ad rem iſtam magis idoneũ iudicauerit, quàm Philippum. Qui curam eius ex Pontificis mandato ſuſcipiens, varijs moleſtijs incuſſis, iuſſiſque aſperrimis illatis virginem pertentare voluit. Quapropter illam in primis ſacra priuat communione, ecſtaſes eius, raptuſque omnes contemnere ſe oſtentat, deceptam enunciat, ſeuerius tractat, ac denique diuerſis experimentorum generibus ſanctimoniam illius explorat. Quibus peractis bonum de ea teſtimonium ad Pontificem defert, eamque vt valde ſimplicem, candidiſque moribus præditam apud eum commendat. Quæ poſteà Neapolim reuerſa, non immemor, quo pacto, re & verbis a Chriſti Famulo excepta fuerit, dictitari conſueuerat, cor ſuum nemini melius patuiſſe, quam Philippo. Deceſſit virguncula decimo ſeptimo Kalend. Februarij, a Virginis partu milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto, ſingularis probitatis opinione relicta.

21 Erat Philippo in more poſitum, vnico ferè mortificationis experimento probare ſpiritus, an a Deo eſſent, necne: ratus nimirum, vbi maxima non eſſet animi demiſſio, ibi haudquaquam poſſe veræ ſanctitatis fundamentum reperiri.

Alphonſus Capucinus, cognomento Lupus, concionator egregius, ac vir notæ probitatis, ſuggeſtum mox aſcenſurus erat: cum ex improuiſo Philippus adeſt: qui nullis vſus verborum officijs, ſeuera facie, tanquam poteſtatem habens, ait: Tu ne Lupus ille, concionator celeberrimus, qui propter leuiſſimos hominum plauſus putas te ceteris omnibus antecellere? Tu ne, qui paſſim, pauonis inſtar picturatæ caudæ volumina explicantis, gloriabundus exultas, quod primaria quæque concionum loca conſcendis? atque proinde tanta virum verborum aſperitate laceſſere perrexit, vt qui aderant, mirum in modum obſtupuerint. Ad quæ is ſe in terram proſternens, multis cum lacrymis, magnoque pietatis ſenſu: O Pater, ait, piè admodum admones, rectèque arguis. Quem continuò Philippus depoſito ſupercilio, facieque exhilarata, ſolita cum lætitia hominem complexus, oſculum illi dedit, adiecitque: Perge Pater, perge, & Chriſti Euangelium, vt facis, enuncia. Hiſque dictis, confeſtim abſceſſit.

22 Inuiſit quondam Dei Famulam, quæ ambobus orbata oculis in lectulo perpetuò iacebat, nec leuem ſanctitatis opinionem Romæ collegerat. Hanc igitur Vir ſanctus multis modis, verbo, & facto pertentat: & illa planè omnia alacri animo ſuſtinet. Verum is, antequam recedat, vt ijs, qui ſecum aduenerant, fœminæ exaggeratam virtutem aperiat, presbyterũ, qui tum fortè aderat, auricula prehenſum, ante ipſam genuflectere iubet, dicens: Vir iſte obſeſſus eſt a dæmone, & idcirco ſacris exorciſmis omninò adiurandus: Oremus igitur, vt miſellus hic liber euadat. Ad quem mulier, ſpatio temporis interpoſito, genuflexi ſacerdotis dexteram deoſculans, ait: Vir iſte nequaquam energumenus eſt mi Pater, ſed ſacerdos, qui mane Sacrum fecit, eiuſque precibus enixius me commendo. Tum Philippus tacitus abijt, atque illam inſalutatam dimiſit.

23 Tertiarius quidam Ordinis Sancti Franciſci, Philippus nomine, qui ob multa charitatis officia, vitæque auſteritatem vir ſummæ virtutis, ac probitatis habebatur, ab Auguſtino Cardinali Cuſano, tum Franciſcanæ familiæ Protectore, ad

Phi-

Philippum noſtrum miſſus eſt,vt ſcilicet cautè, diligenterque ſpiritum hominis examinaret. Cumque ergo Tertiarius acceſſiſſet, Sanctus Pater contracto ſupercilio, vultuque ſeuero illum intuitus, non aliter ac ſi illum contemneret, ait: Ecquis iſte? confeſtimque iuſſit capſulam afferri, in qua pauci quidam nummuli detinebantur: dixitque Tertiario: Sume quot vis. Ille ſimulans capſulam ſe quodammodo exhaurire velle, vnum tantummodo obulum extraxit. Quapropter Philippus (Heus vos eſclamat) homulus iſte cibo magis,quam nummis indiget: afferte panem. Cum Tertiarius panem allatum videt, maiori cum auiditate illum ſe capturum fingit, & coram Philippo non aliter, ac ſi diutius fame torqueretur, morſum impingit, ſacculoque reponit. Tum Pater interrogat,quodnam vitæ genus agat, qualeſque Deo orationes fundat? Ad quem is, dentes, pedeſque ſimul concutiens, reſpondet non alias ſe preces fundere, quàm illas. Et Philippus noſter fingens ſe iniquè tuliſſe reſponſum, ipſum a ſe iratus abiecit. Ille diſcedens: Profectò, inquit, Senex hic mortificandi ſpiritu abundè pollet. Retulit poſtea Philippus Cuſano, Tertiarium illum non vtique contemnendum.

24.25.26 In ſuis verò alumnis dirigendis, informandiſq. multas in medium afferre ſolebat admonitiones, & præcepta. Primùm namque admonebat Confeſſarios, ne per eius viæ tramitem, pér quem ipſi proceſſerant, pœnitentes deducere pugnaciter vellent: nonnullæ etenim vni proficiunt piæ exercitationes, quæ alteri detrimento proculdubio forent: neque (ſubdebat) ijs permittendum eſt, vt quicquid in mentem venit,ad libitum agant: ſed interdum prodeſſe multum conſueta quoque intercicere ſtudia pietatis, tum animi remittendi gratia, tum vt mortificationis exercitatione, ſi quid fortè nimis cupidè arripuerint, paulatim proprium ſenſum deponere aſſueſcerent. Nolebat itidem, qualibet de cauſa a pœnitentibus Confeſſarium permutari: prout e conuerſo ægrè ferebat, alienos pœnitentes a Confeſſarijs facilè admitti. Quandoquidem noluit vnquam, Nerum de Nigris, quem ſummopere diligebat, quique apud alterum pœnitentiæ Sacramentum

obibat,

obibat, in pœnitentem admittere: ſed eum ſemper ad ſolitum, dum Romæ aderat, remiſit Confeſſarium. Et Peregrinum Altobellum, cuius propter conſueti Confeſſarij abſentiam per annum exceperat confeſſiones, ſtatim ac reuerſus eſt, ad eundem redire iuſſit.

27. Vt præterea pax, atque vnio facilius inter coniuges ſeruaretur, rectiuſque dirigerentur familiæ, maritū & vxorem apud eundem Sacerdotem cōſcientiam exonerare valdè probabat: modò tamen ſponte id agerent, neque vllo timoris, ſeu reuerentiæ reſpectu mouerentur: nam de cetero quàm liber eſſe debeat Sacramentalis pœnitentiæ vſus, optimè norat. Ad reuocandum verò ad priſtinum pietatis gradum quemlibet lapſum, nullum aiebat præſtantius reperiri remedium, quàm hominem hortari, vt ſpectatæ probitatis viro, cui maximopere fideret, flagitium aperiret: fore aſſerens, vt ex hoc vno humilitatis actu ad priſtinum amiſſæ virtutis ſtatum rediret. Docebat inſuper Confeſſarios, ne tyronibus pœnitentibus cuiuſque generis pœnitentiarū exercitationes poſtulatas concederent; vt ſic in Dei ſeruitio alacrius progrederentur, & ne exercitationum multiplicitate onerati langueſcerent, vel ſocordia deſides effecti ab aratro manum ſubducerent. Pœnitentes autem hortabatur, ne Confeſſario vnquam vim inferrent, vt ea permitteret, quæ inuitus concederet: quin aiebat, plurimum expedire, quandocunque Confeſſarij copia non adeſſet, eius interpretari voluntatem, atque ad præſumptum ipſius mentis ordinem actiones dirigere. Affirmabat præterea, neminem debere ſe vel flagellis, vel catenulis cædere, aut ſimile quippiam attentare, Confeſſario inconſulto: & qui ſecus egiſſent, vel valetudinis detrimentum paſſuros, vel facilè fore, vt a ſuperbiæ ſpiritu ſeducerentur. Vota emittere ſine prudentum conſilio neutiquam laudabat, ob periculum, ne Deo facile promiſſa, facilius infringerentur. Aegre quoque concedebat ab honeſto vitæ ſtatu, quem initio ſibi delegerant, ſuos diſcedere: vnumquemque in ſua manere vocatione valdè cupiens; adijciens, inter hominum quoque ſecularium coetus ad perfectionis gradum perue-

peruenire poſſe, neque labores, vel artes ſemper impedimento eſſe virtutibus acquirendis. Quocirca etſi penè innumeros ad varias miſit Religioſorum familias, & præſertim ad Dominicanam;ita vt illius Ordinis Patres Philippum,alterum Dominicum appellarent; mirum tamen in modum capiebatur voluptate Homo Dei, cum viri,ac mulieres proprijs in ædibus pietati vacarent. Atque hinc fiebat, vt multis, qui bono aliorum exemplo in Optimatum aulis degerent, difficilè illinc abſcedendi facultatem concederet: dicere ſolitus,cum ſe quis traducit a malo ad bonum, conſilio opus non eſſe; ſed cum a bono ad melius deuolare quis cupiat, rem tunc indigere & tempore, & conſilio,& oratione. Ad pacem,& concordiam inter amicos,vel proximos conſeruandam, optimum dicebat nunquam naturales eorum defectus commemorare: prout in admonendis principibus viris, ſeu fœminis non directò procedendum,ſed perſonam tertiam in duendam,atque ita correptionem adhibere: quemadmodum Natan Prophetam cum Dauid egiſſe legimus. Inſuper monitum dabat, vt ſi quando a viris Primarijs quis incommodum vel offenſam accepiſſet, doloris ſignum haudquaquam oſtenderet: ſed hilari ad eos fronte rediret, ac ſi nihil inter eos moleſtiæ interceſſiſſet: aſſerens hoc modo omnem inſenſi animi ſuſpicionem ſublatum iri. Mulieres autem monebat, vt ſuis morarentur in ædibus, neque paſſim prodirent in publicum, aut per alienas domos ſine neceſſitate, vel vrgenti vtilitate vagarentur. Quapropter cum aliquando Martham Spoletanam, mulierem tum temporis vitæ probitate conſpicuam, fuſius apud ſuos laudibus efferret,& quidam ex ipſis illum interrogaſſent, quorſum tantoperè fœminam laudaret? Reſpondit: Quia manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Mulier hæc propenſius Philippum colebat: & quotieſcunque Romam veniens ipſum adibat,ad eius ſe pedes genuflexa proſternebat: quippe quæ hoc a Deo munus acceperat, vt animarum pulchritudinem inſpiceret: ideoque animæ nitorem intuens optimi ſenis, præ conſolatione, & gaudio ferè in ecſtaſim rapiebatur. Complura ad rem ſolitus erat

Phi-

Philippus afferre, ſed ne in longius verba ducamus, conſultò omittimus.

Energumenos liberat. Cap. X.

QVanquam Philippus ad exorciſmos vſurpandos pronus non erat hoc tamen etiam a Domino ſingulare ſortitus eſt donum, vt videlicet oratione, & imperio dæmones eijceret.

2 Puella, Catharina nomine, deducta fuerat a ſuis e Campania Romam, vt Philippi beneficio a dæmone liberaretur. Hæc namque & Latino pariter & Græco loquebatur ſermone, non ſecus, acſi multos annos in gymnaſijs verſata fuiſſet, cum tamen literarum eſſet planè rudis, nec eas, vt aiunt, vel a limine ſalutaſſet: tantoque præterea pollebat robore, vt multi ſimul, forteſque viri fœminam coercere vix poſſent. Dæmonis itidem opera ſæpiſſimè præſciebat, qua hora Philippus ad ſe adiurandam mitteret, inquiens: Presbyter ille nunc mittit hominem, vt me per vim ad ſe deducat: atque illicò fugam arripiebat, & in abditiſſima domus loca recondebat ſeſe. Hanc ergo Philippus in Eccleſia Sancti Ioannis Florentinorum ſolis ad Deum precibus ab immundis ſpiritibus liberam reddidit, ac parentibus incolumem omnino reſtituit.

3 Lucretia Cotta, Romana, quòd certum hauſiſſet veneficium, per annos octo a dæmone ſic affligabatur, vt contortis ad naſum oculorum pupillis, omni ferè viſu orbata fuiſſet: corde inſuper vſque adeo diſcruciabatur, vt illam aliquando Parochus ſemiuiuam reperiens, Oleo ſancto delinire ſtatuerit: interdum verò tanta ſibi vi præcordia ſentiebat diſcerpi, tantoque interim agitabatur tremore, vt complures mulieres illius pectori incumbentes, motum ſiſtere non valerent. His ergo & animi, & corporis cruciatibus agitata, nec cibo veſci, nec ſomnum capere, nec ſtare pedibus, nec etiam parumper deambulare, niſi hinc inde ſuffulta, vllatenus poterat. Ad extremæ illius calamitatis ſtatum adducta mulier

ad

ad Philippum accedit, qui caſum commiſeratus, eam genuflectere iubet, manumque alteram ad cor eius apponit, alteram verò ad oculos admouet: atque hunc in modum ad ſemihoræ ſpatium orationem producit. Qua peracta, mulier extemplo ab omni prorſus cordis dolore immunis euadit. Verum cum paulo poſt ad Philippum rediiſſet, oculis adhuc peſſimè affectis, neque ijs vti valeret ad opera fœminarum (erat enim paupercula) ſubiecit: Ne dubites, nam Deo bene iuuante tibi etiam oculorum ſanitas reſtituetur. Super oculos igitur appoſitis manibus ad quartam horæ partem precationem protrahit: deinde interrogat, quonam modo valeat? Exclamat mulier: Heu Pater, cæcam me penitus effeciſti! Subriſit tum Philippus, dixitque: Ne timeas: orba enim neutiquam diſcedes. Hora tranſacta quoddam ſibi velamen ab oculis amoueri mulier ſenſit: & continuo integrum recuperauit viſum, nec vnquam in poſterum oculis laborauit: imo deinceps filum in acum inſerebat, ac tenuiſſima quæque fœminarum opera egregiè elaborabat.

4 In templo Sanctæ Crucis in Hieruſalem fœmina nobiliſſimo in Germania genere oriunda a dæmone vexata ſacris exorciſmis adiurabatur, vbi Philippus aderat. Dum ergo lignum ſanctiſſimæ Crucis, aliæque eius loci reliquiæ obſeſſæ oſtenduntur, vſque adeò contorqueri cœpit, vt dæmonem iam abiiſſe aſſererent: verum Philippus ait: Sciatis fœminam adhuc a dæmone obſideri, ex eo præſertim quòd ex his, qui adſunt, vnus eſt infidelis. Accedens ergo Vir Dei, Satanam indicare cogit, quonam die ex illo corpore eſſet migraturus: quem cum ad Philippi imperium edixiſſet, quo expreſſerat die, in Eccleſia Sanctæ Mariæ ad Martyres, Sancto Viro imperante, mulierem omnino dimiſit.

5 Contulerat ſe aliàs ad Eccleſiam Sancti Ioannis in Laterano, quo tum in loco capita Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, de more, populo oſtendebantur: cumque nauis templi media confertiſſimo populi cœtu redundaret, ex improuiſo mulier quædam ſacris illis excitata Reliquijs, altius inclamat. Quam Philippus a dæmone agitatam dignoſcens,

comis

comis apprehenſam, in Satanæ ludibrium conſpuit, Heus tu, inquiens, noſtin me? Vtinam non, reſpondit illa: ac repentè in deliquium acta, omni prorſus dæmonum vexatione abſoluta remanſit. Philippus verò cum vidiſſet populum vndique confluentem, ne vllam inanis gloriæ anſam admitteret, protinus euolauit.

6 Tanta denique Dei Famulo fuit in dæmones poteſtas, vt ſi quando energumeni Sacramenta vel pœnitentiæ, vel Euchariſtiæ ſuſcipere ab ijs impedirentur, eoſdem ita coerceret, vt neutiquam a pijs quibuſque operibus retardarentur. Olim mulier, Capucinarum habitum gerens, vnà cum quibuſdam e conterraneis in Vallicellæ templum ſe contulerat; cumque ad Sacramentum Euchariſtiæ ſumendum accederet, vſque adeo a dæmone perturbari cœpit, vt ſacram porrectam particulam accipere neutiquam poſſet. Tum pius Pater, qui de Confeſſionum ſubſellio rem viderat, ad energumenam fit propior, eiuſque capiti impoſita dextera, egit, vt confeſtim mulier ſumma cum tranquillitate Euchariſtiam ſumpſerit.

7 Factum non abſimile ſubnectam: Duæ quædam pauperes vetulæ Eccleſiam noſtram die quodam ingrediuntur: quarum vna Philippum aduocari poſtulat. At loci cuſtos reſpondet, illum iam ſenio confectum haud poſſe ad ima deſcendere. Aduoca quæſo Virum, iterat anus; hæc enim ſocia a ſpiritu nequam agitur: & vt Sancto illi Presbytero peccata confiteatur, valdè cupio. Iterum negat cuſtos: & illa iterum ac tertio preces porrigit: & tamdiu ſupplex ictibus repetitis pulſat, vt is demum importunitate deuictus, Philippum adeat: eique cuncta, prout acciderant, ſingillatim renunciet. Ad quem Sanctus: Eijce illam, inquit, quid enim mihi cum arreptitijs? Verum eam exinde commiſeratus, in Eccleſiam deſcendit. Obſeſſa, cum primum videt Hominem, continuò agitata renuit accedere: ſed per vim adducta, Vir Dei hæc tantummodo verba ſubmiſſa voce profert: Genuflecte mulier: & illa quam placidiſſimè flectit genua, ac reuerenter peccata confitetur. Deinde ab ipſomet Philippo ſacram ſumit communionem: quæ poſtmodum ſæpius ad eum reuerſa, ſine

vlla

vlla dæmonis vexatione, tum Pœnitentiæ, tum Euchariſtiæ Sacramenta decenter recepit.

8 At vero diabolus, qui Serui Dei imperium, vtpote ſuperbia tumidus, ferre minimè poterat, quotieſcumque vel egredi, vel ſaltem obmuteſcere a Sancto Viro imperabatur, varijs, multiſque modis, quanta in eum diſrumperetur rabie, oſtendebat. Ioannes Antonius Luccius, de quo ſæpe alibi egimus, Philippi quondam iuſſu arreptitiam adiurauerat, eamque flagris permultis in Satanæ contemptum coercuerat: quod ludibrium is iniquiſſimè ferens, nocte inſequenti viſu nigerrimũ, planèque horribilem Philippo videndum ſe offert: eique peſſima comminatur; verum cum ipſi vllatenus officere non daretur, cubiculum teterrimo opplens halitu furens euanuit.

9 Ferre nec etiam poterat malus dæmon, vt Philippus ad exorciſmum vocatus alium ſubſtitueret: quandoquidem hoc ſe pacto plurimùm deſpici reputabat. Ideoque cum olim Chriſti Seruus iniunxiſſet Sacerdoti, vt obſeſſam virginem adiuraret, iſque mandatum executus fuiſſet, dæmon Presbytero domum reuerſo, & clauum parieti infigente, tanto impetu ſcabellum, quo ſuper conſcenderat, ſubuertit, vt vix ille vitæ periculum euaſerit: eodemque ferè momento Satan ex ore puellæ: Me equidem, ait, illum interemiſſe putaram.

10 Etſi Deus Philippo donum conceſſerat, vt obſeſſos a dæmone vindicaret; rarò tamen vel certè coactus hanc prouinciam aggredi conſueuit: aſſerens non facilè quotquot videntur arreptitij, verè a Satana poſſideri: quinimmo ſubdebat: iſtiuſmodi affectiones ſæpenumero ab ipſamet natura prouenire ſolent: hoc eſt ex melancholici humoris redundantia, vel ex cerebri interdum læſione, cauſiſue alijs conſimilibus. In fœminis verò ex peculiaribus paſſim earundem affectionibus, & nonnumquam ex ſimulatione ob certos, præcipuoſque fines, quos ipſæ ſibi proponunt.

11 Ad hanc rem, cum olim puella, quæ a domeſticis energumena credebatur, noctu hac illac percurrens, vociferanſque fictilia vaſa confringeret, ac ſupellectilem omnem inuerteret; accerſitus Philippus, ipſamque intuitus, cum non obſeſ-

obſeſſam, ſed a prauis affectionibus agitatam noſſet, fratrem eius ſic alloquitur: Vis ne ſororem tuam ab hoc morbo curatam? Quandocunque in poſterum ſic inſanierit, coerce illam verberibus. Paret is: & confeſtim ſoror ab huiuſmodi malis peragendis abſtinuit.

12 Aliàs ad Sanctum Virum deducta eſt iunior quædam fœmina, quæ pariter ſimulabat: at Philippus vbi primum illam intuetur, ait parentibus: Iuuenis hæc obſeſſa nequaquam eſt, ſed talem ſe ſimulat. Quod ipſo euentu eſt comprobatum: nuptui enim tradita continuò ſe energumenam oſtentare deſtitit.

13. 14 Accidit quoque iiſdem ferè temporibus, vt alia mulier, nomine Sidera, quæ a ſuis energumena credebatur, e Sabinis Romam deduceretur, vt ſacrorum locorum viſitatione, ſacriſque etiam piorum virorum exorciſmis a dæmone liberaretur. Cum igitur die quodam ſtatuiſſent ſui eam ad Baſilicam Sãcti Petri adducere, vt ibi ſolemni Summi Pontificis benedictioni aſſiſteret; repente Sidera, ſe clam proripiens, præcipitem in puteum dedit: ſed accurrentes domeſtici eam immunem illinc extraxerunt: atque ad Sancti Petri Baſilicam corpore illæſam perduxerunt, reduxeruntque. Sæpiſſimè illi admouerant exorciſmos Sacerdotes plurimi, qui cum multis eam verberibus jam contriuiſſent, fomentiſque perpetuis penè ſuffocaſſent, nihilque profeciſſent, tandem fœminam ad Philippum adducunt: qui illam intuitus, fuſis ad Dominum precibus, ait: Mulier hæc a malo dæmone neutiquam poſſidetur, ſed capta mente eſt. Ipſam ergo æquo animo ſuſtinete, nec diutius miſellam exorciſmis exagitate. Parent, eamque in patriam reducunt: quæ deinceps, dum vixit, ſemifatua permanſit: & quamuis non adeò in poſterum fureret, ſtatis tamen temporibus delirare non deſtitit. Atque ex his Vir prudens Alumnos monebat ſuos, ne hos vel illos facilè energumenos crederent: atque ab exorciſmis, niſi neceſſitate cogente, penitus abſtinerent, ob multa & grauia, quæ in iſtiuſmodi functionibus pericula accidere ſolent.

Adhuc

Adhuc in terris viuens abſentibus apparet. Cap. XI.

ID etiam Sancto Viro conceſſit munerum Dator, vt ſcilicet, dum adhuc in humanis ageret, varijs in locis abſentibus appareret.

2 Quidam olim e Congregatione noſtra Sacerdos, in Vallicella degens, valdè verebatur, ne ſe peccandi periculo expoſuiſſet, eoquod Philippus, qui tunc in ædibus Sancti Hieronymi habitabat, certum ſibi negotium demandauerat. Cumque nocte quadam ex hoc acerbè angeretur; extemplo cubiculi oſtium, quod intrinſecus peſſulis erat diligenter occluſum, aperiri ſentit: atque interim ſanctum Parentem cernit: qui interrogat, quomodo ſe habeat? Male, reſpondet ille. Tum Philippus manum eius pectori admouet, ſignoque crucis illum muniens, dixit more ſuo: Ne dubites: atque his dictis euanuit. Statim Sacerdos omnem deponit mœrorem animique reſumit vires; neque in poſterum huiuſcemodi perturbationibus iactatur. Manè verò ſurgens cubiculi oſtium obſtructum non aliter reperit, ac ſi nemo penitus fuiſſet illuc ingreſſus.

3 Ex alumnis vnus cum deliberat, an Neapolim traijceret, Virum Sanctum conſuluit; qui monet, ne vllo pacto id agat; periculum fore aſſerens, ne vel captiuus fiat a Turcis, vel mari demergatur. Iuuenis tamen ſpreto ſenis conſilio nauem conſcendit: dumque nauigat, Turcæ, qua is vehebatur, naniculam aggrediuntur: quare nauigantium complures, vt ſaluti conſulant, ſe confeſtim in mare natando deijciunt. Ad exemplum ipſe quoque ſe dat in vndas. Verum natandi non gnarus, morti ſe proximum videns, verborum meminit, quæ ſibi Philippus antea dixerat. Exclamat ergo: ipſumque rogat, vt ſe ex tanto periculo eripere velit; & repentè Vir Sanctus ei ſuper aquas videndum ſe offert: illumque compellans itidem ait: Ne dubites, & capillo capitis apprehenſum e gurgite ad littus incolumem deducit.

4 Senex ex alumnis Philippi, ab Ægypto in Italiam redi-

bat. Dumque mare tranſmittit, nauiculam, qua vehebatur, duæ Turcarum triremes inuadunt: & catenis hominem deuinciunt: qui ad orationem confugiens, ſumma cum fiducia Deum precatur, vt per merita Patris Philippi, Confeſſarij ſui, ſe a piratis eripere dignaretur. Eodem ipſo momento videtur ſibi videre Sanctum Virum dicentem more ſolito: Ne dubites, e vinculis proculdubio euades. Vix orauerat, dum ex ijs nonnulli triremium Præfecto inſinuant, ſenem infirmum, & iam morti proximum, vt inutilem relaxandum potius, quàm detinendum. Præfectus miſellum commiſeratus, illum continuò libertate donauit: qui Romam quàm citiſſimè perueniens reſciuit, quo ipſe tempore in mari captiuus preces fuderat, Virum Dei dixiſſe: Oremus pro N. nunc enim in maximo libertatis periculo verſatur.

5 Nobilis fœmina, Romana, cum grauius marito ſuccenſuiſſet, ipſumque idcirco nec alloqui vellet, quin etiam a pœnitentiæ Sacramento ea de cauſa abſtinuiſſet; triduo circiter tranſacto, ſub auroram, inter ſomnum & vigiliam, ictum ſibi ſentit impingi; repentè experrecta Philippum dicentem audit: Heus tu, quamdiù te tenebit iracundia? Contremuit tum mulier, atque illicò ſurgens culpamque agnoſcens, ad Eccleſiam Sancti Hieronymi ſe confert: vbi totam ex ordine facti ſeriem Sancto Viro enarrat. Is tamen rem diſſimulans, nihil enarranti reſpondit.

6 Lucretiæ Ioannis Animuccij vxori, eximiæ pietatis fœminæ, indixerat aliquando, vt certa noctis hora ad res diuinas meditandas conſurgeret: at quoniam illa ſomno paſſim indulgens precationem impoſitam omittebat, eam is redarguens: Niſi, inquit, mendum iſtud correxeris, ipſe te deinceps ad orationem noctu excitabo. Atque ita planè euenit; nam quotieſcunque mulier ſomno plus iuſto vacabat, Beati Parentis vocem audiebat: Lucretia ſurge. Quinimo frequenter cum per confeſſionem ſe Domino conciliaret, illam interrogare ſolitus erat: Nonne hac te nocte ad precationes, vti ſpoponderam, excitaui?

7 Cæſar Baronius, quo tempore Sancti Ioannis Florentinorum

norum ædes incolebat grauiter ægrotauit, vt iam ſenſuum vſu deſtitutus, Oleo ſancto inunctus fuerit; cum ecce placidiſſimo correptus ſomno, Philippum, qui tum temporis apud Sanctum Hieronymum ſedes habebat, ſibi aſtantem videt, eumque Chriſtum Ieſum, ad cuius dexteram erat Virgo Virginum, candidiſſimo amicta velo, ſalutem pro ſe ſic deprecantem audit: Serua Cæſarem: da mihi Cæſarem: Cæſarem redde: illum incolumem omnino volo. Cum ergo dudum Vir Sanctus huiuſcemodi precibus inſtitiſſet, Cæſar animaduertit, Chriſtum Dominum a Philippi precibus aures auertere. Quamobrem Philippus ad Virginem conuerſus, apud eam ſuppliciter agit, vt quod ipſe a Chriſto ex ſe conſequi non poterat, eius patrocinio conſequeretur: quæ petitionibus piè annuens, tandiu Filium rogat, donec Philippus voti compos effectus ab orando deſtitit. Interea Baronius euigilans, ſe a morte liberum ac tutum credens, breui conualuit. Quamobrem beneficiorum non immemor, in pluribus ſcriptorum ſuorum paginis aſſerit ſe Philippi precibus & vitam, & eruditionem omnem adeptum fuiſſe.

8 Matthias Maffeus, presbyter, alibi cōmemoratus, æger decumbebat: cumque medici de eius ſalute deſperaſſent, a Philippo inuiſitur, qui duas Reliquiarum theculas ſecum deferens, ita more ſuo laborantem affatur: Ne dubites, conualeſces: deinde cordi eius admota manu validè preſſit, eique benedictione impertita diſceſſit. Aegrotus conſolatione delinitus obdormit; atque inter ſomnum ſe ter a Philippo vocari inaudit: Matthia ſurge. Fuit vox hæc tam ingens, vt nonnihil æger exterritus ſit: ſed continuò ex toto experrectus ſe penitus a febri liberum ſenſit: poſtque biduum probè valens electo ſurrexit.

9 Narrat Federicus Cardinalis Borromæus, huiuſcemodi viſum cuidam ſeſe obieciſſe: Ingens moloſſus, vel conſimilis beſtia, lectum obſidere videbatur: cumque ex eius aſpectu ille grauiter angeretur, ſomno excitus, non aliter ac ſi multis vapulaſſet verberibus, ſe vſquequaque fractū attritumq; perſenſit. Quamobrem ad Philippum manè accedens, quod noctu

contigerat, ad vnguem aperuit. Ad quem Pater: Scias fili, me nocte præterita tecum fuiſſe verſatũ, ac pro te dimicaſſe: Deumque ad animæ tuæ ſalutem hanc tibi oſtenti ſpeciem immiſiſſe: quinimo egomet, vt quid ſimile tibi contingeret, expetiui: ex hoc igitur obiecto viſo fructum capeſſere ne contemnas.

10 Certus quidam Abbas, Philippo apprime charus, ad Abbatiæ ſuæ locum ſe ab Vrbe contulerat: vbi per biennium vſque adeo moleſta pituitæ fluxione laborauit, vt iam membrorum officijs planè deſtitutus, miniſtris plurimis ad vitæ munera indigeret. Morbus, etſi a medicis inſanabilis habebatur, medicamenta tamen propè innumera ſunt adhibita: quæ cum nihil prodeſſent, ijſdem adhortantibus medicis, lectica vectus Romam redijt: vbi tantoperè morbus inualuit, totque animi, & corporis inſuper acceſſerunt deliquia, vt ſæpius in die mori ſibi videretur. Quamobrem Deum enixius precabatur, vt, ſi expediret, dimitteret ſeruum ſuum in pace. Interim e noſtris vnus ægrotantem inuiſit, indicatque ad eum veſpere Philippum acceſſurum, illique proculdubio ſolatium allaturum. Cœnauerat iam ægrotus, cum ad mediam vſque noctem ſolitis doloribus vehementer agitatus, leuiter obdormiens, repentè Philippum præſentem videt, qui ægrotantis faciem manu cõprimens, adſtat, ſiletque. Euigilat tunc Abbas, magno que timore perculſus, nec verbum quidem proferre valet: eoque magis pertimeſcit, quod clauſo oſtio hominem cubiculum intraſſe animaduertit. Philippus itaque laborantem interrogat, quomodo ſe habeat? Abbas vocem exprimit, Virumque Sanctum agnoſcit, rogatque, vt ſi viuere conducat, ſibi cælitus valetudinem impetret. Philippus interea ægroti manus ſuis manibus prehendens, eas decuſſatim componit. Aeger neſcius quò tenderent iſthæc, exitum rei præſtolatur: cum denique Chriſti Seruum intonantem audit: Surge. Ad quæ is verba, lecto inſidens, quod multos ante menſes facere nequiuerat, pedes confeſtim, & crura e cubili explicat, vt ſurgat: Cui Philippus: Nonne, inquit, iam te ſanitati reſtitutum vides? Rem nemini detexeris, & euanuit. Ex huiuſmo-

iuſmodi apparitione Abbas adeo recepit vires, vt illa hebdomada domo foras exierit.

11 Ioannes Animuccius, de quo dictum eſt ſupra, Pratum in Etruria profectus inuiſit Catharinam Ricciam, Florentinam, Ordinis Sancti Dominici Monialem, vulgato nomine, Beatam Catharinam de Prato, cuius vitam ſcripſit Seraphinus Razzius eiuſdem Ordinis Cœnobita: eamque inter colloquendum interrogauit, num fortè Philippum Nerium cognouiſſet vnquam? Reſpondit ex auditu quidem, ſed ex facie ſibi penitus ignotum: ſe tamen maximopere optare illum & videre, & alloqui. Anno inſequenti redijt Animuccius ad Catharinam, quæ etſi nec ipſa Prato, nec Philippus Roma aliquando diſceſſerant, aſſeueranter tamen affirmauit, ſe & Philippum vidiſſe, & eundem etiam allocutum. Quod Philippus quoque eidem Animuccio, Romam reuerſo, verum eſſe aſſeruit. Quin cum poſt Catharinæ obitum de ipſius laudibus ac virtutibus in ſancti Parentis cubiculo inter domeſticos ageretur, Philippus Monialis aſpectum ac lineamenta luculentur expreſſit: quamuis, vt diximus, nec Prati Philippus, nec Romæ Catharina vnquam fuiſſent.

Mortuum adoleſcentem ad vitam reuocat. Cap. XII.

NON ſolum Philippus omnibus virtutibus ornatus, doniſque varijs inſignitus, ſed etiam miraculorum gloria fuit illuſtris. Quod etſi ex ijs, quæ dicta ſunt, ſatis abundè patet, ex ijs tamen, quæ mox dicturi ſumus, clarius apparebit. Id vnum igitur hoc in loco retuliſſe ſuffecerit, quod mortuos quoque ad vitam reuocauit. Quandoquidem de miraculis duos ſeiunctim libros infra apponemus.

2 Fabritius de Maximis, cum quinque ex Lauinia de Ruſticis ſuſcepiſſet filias, atque iterum grauida iam partus cruciaretur doloribus, Beatum adit Virum, vt pro coniuge paritura preces Altiſſimo porrigat. Cui Philippus, aliquantiſper

ſecum ipſe recogitans: Vxor tua, reſpondet, marem procul-dubio paritura nunc eſt, cui ad placitum meum nomen imponas velim: placet ne? Annuit ille. Et Vir Sanctus, infantem, iterat, Paulum nomine nuncupabis. Redeunti Fabritio domum renuntiant Lauiniam peperiſſe maſculum, quem ipſe, vti Philippo ſpoponderat, Paulum ex fonte appellauit. Defuncta Lauinia, puer annos agens ferè quatuordecim, febri maligna corripitur: & ad ſexaginta quinque dies morbo laborans, ad extremũ vitæ diſcrimen adductus erat. Philippus filiolum maximè diligebat, tum quia a prima eius ætate ſuſceperat confeſſiones, tum quia candidis inter pares præfulgebat moribus, & patientiæ virtute in primis: etenim morbi languores tanta cum tolerantia ſuſtinebat, vt interrogatus, num vellet ſanitate donari: Nequaquam, reſponderit. Rebus ſic ſe habentibus eo vſque inualuit morbus, vt adoleſcens iam animam ageret; ideoque parens Philippum accerſeret: qui cum apud Sanctum Hieronymum Sacrum faceret, accedere minimè potuit. Interim Paulus moritur: eiuſque oculos mœſtus genitor clauſit, & Parochus, qui eum ſacro inunxerat Oleo, eiuſque Deo commendauerat animam, officio ſuo perfunctus, diſceſſerat: domeſtici verò aquam, vt cadauer de more abluerent, ac veſtes ad illud induendum, iam parauerant. Peracto Sacro accedit Philippus, cui Fabritius fit obuiam dicens: Paulus noſter mortuus eſt. Tum Philippus rectà, vbi iacebat defunctus, ingreditur: lectique lateribus innixus, ad dimidium horæ quadrantem orationem producit. Poſt hæc aqua luſtrali adoleſcentis faciem aſpergit, modicumque ex ea labijs inſtillans in ora inſufflat: quo peracto, impoſita fronti dextera, bis alta voce inclamat, Paule? Qui repentè non ſecus ac ſi a ſomno excitaretur, oculos aperit, reſpondetque: Quid Pater? & poſtea ſubdit: Peccatum memoria exciderat, illudque confiteri deſidero. Philippus monet adſtantes, vt parumper ſecedant: & Crucifixi imagine adoleſcenti porrecta, confeſſionem excipit. Reuerſis domeſticis Vir Sanctus familiariter puerum alloquitur: & is perinde, ac ſi ſanus eſſet, ſolida ſemper claraque voce reſpondet:

imò

imò & facies, ac genæ eo fuerant rubore perfuſæ, vt ſpectantibus nihil penitus ægrotaſſe videretur. Sermo inter eos fuit tum de matre, tum de ſorore præmortuis. Colloquio ad ſemihoram producto, Philippus Paulum interrogat, num libenter e vita diſcederet? vtique libenter reſpondet. Tum ſecundò interrogat, an verè libenter? Libentiſſimè, iterat, eò maximè, vt matrem, ac ſororem inuiſam. Ad hæc Philippus benedictionem adoleſcenti impertiens, ait: Abi igitur fili, Deumque pro me ora. Atque his dictis Paulus inter vlnas Beati Parentis ſpiritum efflat.

3 Atqui non minus fortaſsè mirandum videbitur, vt quis vocis imperio viuenti vitam eripiat, quam iam extinctũ vitæ reſtituat: quod vtrumq; fecit Philippus, quemadmodum Apoſtolorũ Principem in Actis Apoſtolorum feciſſe legimus Ananiæ, & Saphiræ. Aegrotabat nobilis Matrona Romana, cumque integrũ menſem, & amplius morbo implicita ad extrema vitæ confinia perueniſſet, Philippus, qui eam inuiſerat, corpore, & animo valdè anxiam verbis & oratione fœminam leuare ſatagit. Denique ad Vallicellam ſe vnà cum ſuis recepturus diſceſſit. Proceſſerat aliquantiſper a loco, cum enſiſtit gradum, ſecumque recogitans: Cogor, inquit, ad ægrotam redire. Reuerſus igitur: cubili propior factus, quæ aderant, Matronas dimittit. Mox præſentibus ſuis, ægrotantis capiti impoſita manu: Tibi, inquit, ò Anima præcipio in Dei nomine, vt confeſtim ex hoc corpore diſcedas. Vix dixerat, cum mulier protinus ſpiritum reddidit. Matronis poſtmodum reuocatis dixit Philippus: Niſi mulier citius expiraſſet, futurum planè erat, vt Satanæ ſuggeſtionibus conſentire; idcirco mortem accelerari neceſſe fuit.

Sanctitatis opinio. Cap. XIII.

TOT, tantiſque muneribus a Deo inſignitus Philippus tantam ſui admirationem apud homines concitarat, vt ferè omnes, qui illum noſſent, Sanctum exiſtimarent: quod non ſolum inferioris condtiionis homi-

nes, ſed etiam Principes viri, & ipſi quoque Summi Pontifices aſſeruerunt.

2 Primum namque Paulus Quartus tanti eum fecit, vt non ſolum ſæpiſſimè illius ſe precibus commendaret, verum etiam ægrè ſe ferre teſtatus fuerit, quod Pontificali detentus dignitate, Oratorij functionibus intereſſe non poſſet.

3 Pius Quartus eò vſque Philippum eſt veneratus, vt ægrotans ad mortem, quippè qui eius merita probè nouerat, ipſum ſibi agenti ſpiritum adſtare, animamque commendare Deo omninò voluerit: præterquàm quod plurima ſemper obſeruantiæ ſigna erga eum apertè demonſtrauerat.

4 Beatæ & glorioſæ memoriæ Pius Quintus, quo certior factus eſt, vt alibi diximus, de vtilitate ac fructu, quem ex Inſtituto Oratorij fideles percipiebant, gauiſus eſt plurimum, quod ſuis nempè temporibus, vt ipſe aiebat, adeſſent in Vrbe viri, qui ſic pietatem ac ſanctimoniam in animis fidelium excitarent. Quemadmodum Philippus e conuerſo Pontifici optimo vicem reddens, adeo firmam, ſolidamque de eius ſanctitate opinionem tenuit, vt Pontificium eius calceum cum ceteris Sanctorũ Reliquijs aſſeruari voluerit: quem cum Vir Dei ſemel impoſuiſſet cuidam ægroto, melius habere cœpit, & planè conualuit.

5 Gregorius Decimuſtertius ipſius conſilio in rebus arduis ſæpiſſimè vſus eſt: quem tanta præditum ſanctitate exiſtimauit, vt nunquam coram ſe ſtare permitteret: quinimmo & operire caput, & ſe præſente ſedere familiariter iuberet.

6 Sixtus Quintus tanti eum fecit, vt ſemper liberaliſſimè erga illum ſe geſſerit. Ipſi namque Sanctorum Martyrum corpora Papiæ & Mauri vltrò eſt elargitus: opulentum ſacerdotium in Samnitibus Congregationi adiunxit: priuilegia permulta conceſſit, alijſque gratijs, ac beneficijs eandem Congregationem exornauit.

7 Gregorius Decimuſquartus non ſolum in rebus grauioribus illum conſulebat, eumque operto capite ſe coram ſedere iubebat, verum eo vſque hominem coluit, vt ipſo Pontificatus initio, cum Vir Sanctus pedes eius vſitato more oſculaturus

rus

rus adiſſet, is nullatenus id agere permiſerit: ſed ei occurrens, illumque peramanter amplexans, in hæc verba proruperit: Quamuis ego, mi Pater, te maior ſim dignitate, tu tamen ſanctitate es longè præſtantior.

8 Clemens Octauus in magni ponderis negotijs ferè ſemper illius ſe precibus commendabat: imò quoties chiragræ doloribus angebatur, ſolitus erat dicere: Sanè Pater Philippus pro nobis preces Deo non offert: ratus quod ſi pro ſe illo oraſſet, nequaquam doloribus afflictaretur. Quoties itidem a Philippo inuiſebatur, is verè clemens, vere benignus, illum amplexibus excipiebat, eumque Prædeceſſorum inſtar & ſedere & operire caput iubebat. Subticeo quod illum in Confeſſarium elegerat, etſi eidem ſenio confecto Baronium ſubſtituit. Rurſus dum ſacræ Rotæ Auditor eſſet, quaſi vaticinans, dixit: Philippus Vir Sanctus vtique eſt: ac ſuo tempore Sanctorum numero adſcribendus.

9 Quod verò attinet ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, quanta eum veneratione fuerint proſecuti, tum ex ijs, quæ de illo ſcripſere, tum ex publicis eorundem teſtimonijs facilè intelligitur. Auguſtinus Valerius Cardinalis de Verona, libellum compoſuit, cui Philippus, ſiue, de Lætitia Chriſtiana nomen inſcripſit: & id adhuc viuente Philippo.

10 Gabriel Cardinalis Paleottus, primus Bononiæ Archiepiſcopus, qui & ipſe Philippo a confeſſionibus vtebatur; in eo, quem de bono ſenectutis conſcripſit libello, eundem adhuc viuentem in exemplum optimi, ſanctique Senis his verbis mundo propoſuit:

Et quidem ex veteri hiſtoriarum memoria, & præſentim ex Eccleſiaſtica antiquitate facilè potuiſſent ſenes, multi produci, admirabili ſanctitate, & bonis illis cumulati, quæ nos loco ſuo cōmemoramus. Nihilominus cū ea, quæ aſpectui ſubijciuntur, manibuſque cōtrectantur, ea arripiant efficacius mentem, ac veritas ipſa tunc clara magis, inexpugnabiliſq; reddatur: exiſtimaui hominem viuentem, atque ante omnium oculos verſantem, qui Romę, hoc eſt in Orbis terræ theatro, annos quinquaginta & amplius ſumma cū laude vixit, & alios ad bene,

&

& religioſè viuendum mirificè excitauit, adiuuit, tanquam expreſſum, & viuum exemplar ſenectutis illuſtrandæ in medio ſtatuere. Is eſt Pater Philippus Nerius Florentinus, qui annos agens ætatis ſuæ octoginta, veluti procera arbos iam pridem multiplices virtutū ſuarum fructus populo diſpergit. Qui Congregationis ampliſſimæ, quæ Oratorij dicitur, primus in Vrbe Inſtitutor fuit; vnde aliæ multæ varijs in locis, & regionibus, in hunc vſque diem fuerunt feliciter propagatæ. Quem olim multi Summi Pontifices, & præſertim piæ memoriæ Gregorius Decimuſtertius, Gregorius Decimuſquartus, & hodie Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens Octauus, ſæpe ad ſe religionis, & colloquiorum piorum cauſa accerſere conſueuerunt. Ad quem frequentes ampliſſimi Cardinales, Epiſcopi, Præſules, atque alij cuiuſcunque ordinis viri, tum pœnitentiæ, tum negotiorum grauiorum, tum etiam ſalubriorum ſermonum gratia accedunt. Qui terrenorum omnium bonorum contemptor, nullos niſi æternos honores, & dignitates quærit; licet apud Summos Pontifices & ampliſſimos Cardinales in magna ſemper auctoritate, & exiſtimatione fuerit. In quo denique ſapientiæ, religionis, ac pietatis exempla cum ſumma manſuetudine, hilaritate, ac Chriſtiana ſimplicitate coniuncta tam copioſe effulgent: vt qui in eum ſenem, atque inueteratam morum diſciplinam oculos conuerterit, nihil amplius, in quo hæreat, & de ſenectutis bono vacillet, ei reliquum eſſe debeat. Hæc Paleottus.

11 Auguſtinus Cardinalis Cuſanus ipſum tantoperè obſeruabat, vt ferè ſemper in eius cubiculo commorari delectaretur. Hic de eius ſanctitate ſermonem faciens, ait: Neminem ſanè vnquam noui, ſiue regularis, ſiue ſecularis vitæ virum, qui tum a popularibus, tum a nobilioribus impenſius, quam Philippus coleretur; & id non ſolum propter ſolidam ſanctitatis opinionem, quam de eo conceperant homines, ſed etiam propter vberem, quem ferebat, fructum in reuocandis præcipuè errantibus ad bonam frugem: itemque plurimi ſemper feci firmiſſimas illius virtutes, quæ in ipſo, eo altius eminebant, quo eas profundius occultare conabatur.

Fede-

12 Federicus Cardinalis Borromæus, qui vnà cum prænominato Cardinali Cuſano, Patris Philippi anima dicebantur, de ſanctitatis eius excellentia ſic loquitur: Toto tempore, quo cum Sancto Viro familiariter egi, mihi ſemper viſus eſt tot virtutibus ornatus, totque donis a Domino inſignitus, vt minimè dubitem, quin poſſit cum pluribus ex ijs, quos antiqui ſcriptores admirati ſunt, conferri. Etenim ſic ſpiritualium rerum cognitionem callebat, vt re vera affirmari poſſit, quod ea cuncta adimpleuerit, quæ & Caſſianus, & Climacus, & Richardus de S. Victore in huiuſmodi argumentum ſcripſere. Tandem nemo ex ijs, quos norim, plus vnquam ſatis mihi fecit, quàm is: atque adeò, inquam, fecit ſatis, vt reputans interdum, quid perfectius in eo deſiderare poſſem, nil planè cognouerim. Huc vſque Borromæus.

13 Octauius Cardinalis Parauicinius hæc de illo habet: Dei munere ab anno ætatis meæ ferè ſexto, atque exinde ad annum vigeſimumoctauum, quo in Hiſpaniam proficiſci neceſſe habui, Philippum agnoui, mihique licuit aſſiduis eius ſermonibus, & familiari conſuetudine frui: quo toto temporis interuallo, nec non poſt reditum meum ex Hiſpania, quandiu ſuperſtes extitit, ſingulas eius actiones, motus, atque verba diligenter perpendens, illum re vera ſummo Dei amore flagrare expertus ſum, &c. Et infra: Immortales equidem gratias Deo ago, quod magiſtrum nactus ſim, cuius virtutes toto iam orbe diffuſæ innotuerint, & cuius laudes nulla vnquam ætas deletura ſit. Hactenus Parauicinus: qui ſe tanto pietatis affectu Philippo addixerat, vt vix ſine illo viuere poſſe videretur: ſiquidem ſolidos paſſim cum eo dies, ſolidaſque tranſigebat noctes; & quoties Vir Dei morbo decumbebat, is, etſi Purpuratus, non aliter ac ſi famulus illi inſeruiebat. Quocirca Philippus aliquando ægrotans, ſuis nempè extremis vitæ morbis, dimiſſis quot aderant; Cardinale aduocato, ait: Octaui, ſermonem tecum protrahere vehementer expeto: ſed quotieſcunque inualeſcente tuſſi expuere neceſſe erit, vaſculum, quemadmodum iam conſueueras, mihi ſupponas velim (non Purpuram aſpernabatur Vir humilis, ſed in-

ten-

tenſum hominis deſiderium explebat) ad hæc Octauius: Id habeas pro certo Pater, me tibi ſeruitutem exhibere, ſummi honoris ac beneficij loco ducere. Et infra: Tam libenti animo Philippo inſeruiebam, vt quamuis interdum in eius famulatu magnis afficerer incommodis, maiori ſemper oblectatione perfruerer. Quinimo dum recolo obſequiorum, quæ ipſi quondam exhibui, lætitia ſic afficior, vt id vnum ægre feram, quod ei vlterius inſeruire non potuerim.

14 Octauius Cardinalis Bandinus gloriæ ſibi maximæ tribuit, quod ei adhuc puellus ſacrum facienti inſeruierit: ac de illius exiſtimatione verba faciens, ſic ait: Opinio de Philippi ſanctitate ea fuit, vt non ſolum coleretur a plurimis, ſed eorum multi neutiquam in Dei ſeruitio ſe progreſſuros putarent, niſi Philippo duce vterentur. Ideoque ad ipſum, vti ad Oraculum homines cuiuſcunque ſtatus conueniebant, vt ſpiritualis vitæ præcepta perciperent, &c. Et paulo infrà: Quicunque Beati Philippi conſuetudine vſus eſt, eiuſque agendi modum in via Dei diligenter perponderit, quamque vitam tot per annos in ſumma morum ſanctitate tranſegerit, non vtique dubitabit, quin mira beneficia, quæ complures eius precibus exinde obtinuere, vera quidem miracula, ac planè inſignia extiterint. Et quoniam certè hæc multa ſunt, & maxima, illum vt verum Dei Seruum ſemper colui: atque in præſenti vti Sanctum omni veneratione dignum exiſtimo.

15 Franciſcus Maria Cardinalis Tauruſius, Archiepiſcopus tunc Auenionenſis, per Epiſtolam ſic loquitur: Eſſe vellem ex ijs vnus, qui prima loca obtinent in Sacello, in quo Pater Sanctus ſacrum facit, quamuis peranguſto (idem eſt, quod hodiè tranſlatum cernitur ad alteram templi partem. vt ſupra notauimus) equidem, etſi tanto locorum interuallo diſtare videor, ibi tamen, Dei beneficio, ſemper adſum, tum per fidem & amorem erga patrem meum dulciſſimum, tum quia reputo me in eius animo peculiarem occupare ſedem: nam dum ipſe mentem aperit ad cæleſtium rerum contemplationem, non in vltimo me collocatum eſſe loco arbitror. Catharina Senenſis in corde ſibi cellulam conſtruxerat; atque

illic,

illic, in media hominum turba, vnà cum Ieſu ſedebat ſolitaria: ego verò vellem in cordis Philippi medio cubiculum mihi conſtruere; nil veritus, quin ibi Ieſum inuenirem, omneſque ſimul gradus admirabilis vitæ eius aſpicerem, quam ipſe per triginta tres annos nobiſcum in terris traduxit: nam quoties Pater iubilat, & cor eius præ amoris magnitudine in Chriſto exultat, ipſe quoque & iubilarem, & exultarem, &c. Et paulo infra: Fruimini igitur iſta, dum licet, felicitate; qua quidem olim ego etiam potitus ſum, & ſanè diutius: ſed quoniam cōmodam nactus occaſionem, vt decebat, temerè neglexi, iuſto Dei iudicio nunc ipſa inuitus carere compellor.

16 Hieronymus Cardinalis Pamphilius, qui Sancto Viro familiaritate coniunctiſſimus extitit, de ipſo hæc habet: Philippus, tam mira vnumquemque charitate amplexabatur, ſolabatur, iuuabat; vt nullus ab eo vnquam diſceſſerit, niſi planè alacer, & ſanctitatis eius opinione deuinctus: ipſeque præſertim vtique Sanctum ſemper exiſtimaui, ac firmiter tenui, omnibuſque ijs virtutibus præditum cenſui, quæ in vero Dei Famulo deſiderari queunt: quin in cunctis eius actibus vſque ad obitum præſtantiorem indies experientia cōperi.

17. 18 Ludouicus Cardinalis Madrutius, adeò ſe Philippo deuouerat, vt non ſolum ipſius cubiculum frequenter inuiſeret, atque ibidem vnà cum ipſo diutius colloqueretur, ſed Inſtitutum pertractandi verbi Dei ſic ſtudioſè coluerit, vt creberrimè ad Oratorium Sancti Hieronymi ſermones auditurus accederet. Michael Bonellus Cardinalis Alexandrinus, Pij Quinti Nepos, optimè noſcens quanti ab auunculo fieret Philippus, ipſum vnicè dilexit, & vti ſummæ pietatis virum perpetuò reueritus eſt, eundem ſæpiſſimè vel aduocans, vel conueniens. Alexander Medices, Cardinalis, & Archiepiſcopus Florentinus, qui poſtmodum ad Pontificatum euectus, Leo Vndecimus eſt appellatus, ſingulis hebdomadis ſemel ſaltèm, vt alibi dictum eſt, Philippum inuiſebat, totumque comiter ac peramanter cum illo tranſigebat diem. Petrus Donatus Cardinalis Cæſius, Philippum mirum in modum obſeruauit, multiſque itidem beneficijs Congregationem

nem auxit. Guillelmus Cardinalis Sirletus, tanto illum amore proſecutus eſt, tantique eum fecit, vt in eius laudibus penè totus occuparetur. Id ipſum ei præſtiterunt Antonius Cardinalis Caraffa, & Iulius Antonius Sanctorius, Cardinalis a Sancta Seuerina, & alij quamplurimi, quos omittere cenſuimus, ne tædio lectorem afficeremus.

19.20 Habitus eſt præterea Sanctus a Regularibus viris, ac præſertim a Dominicanæ familiæ Patribus: ex quo fiebat, vt ſi quando ad diuerſa pergeret Cœnobia, turmatim ei occurrerent Religioſi: cui vel manus oſculabantur, vel benedictionem ab ipſo enixius poſtulabant flexis genibus, quaſi Angelum Dei illum excipientes. Verum non ſolum infimæ conditionis Cœnobitæ, ſed ex ijs primarij, tum literis, tum probitate conſpicui, inſigneſque Dei verbi præcones hiſce honoribus hominem proſequebantur: inter quos extitit Pater Franciſchinus, ex minoribus Conuentualibus, vir doctiſſimus ac probus. Is enim Beatum Parentem crebrò ſuis de rebus conſulebat, maximaque cum ſui voluptate ad ſermones audiendos aſſidebat: qui haud rarò in Oratorio concionatus eſt. Eum quoque valdè coluit vir pijſſimus, Frater Euangeliſta, cognomento Marcellinus, celeberimus concionator, qui in Cœnobio Sanctæ Mariæ de Ara cœli defunctus, in eadem Eccleſia non ſine ſanctitatis fama ſepultus iacet. Franciſcus Panigarola eiuſdem Ordinis Cœnobita, concionator præclarus, & Epiſcopus Aſtenſis, ſic Dei Seruum eſt veneratus, vt Philippum Reliquiam animatam nuncupauerit. Alphonſus ex familia Capucinorum, cognomento Lupus, tantam de Philippo exiſtimationē ſuſcepit, vt ab eius ore totus penderet: & quotieſcunque ſibi Philippus occurreret, ante illius pedes ſe proſterneret. Magiſter Paulinus, Dominicanus, eximiæ pietatis & doctrinæ vir, ſic in eius hærebat conſilio, illumque ſic diuini luminis veritate illuſtratum cenſuit, vt olim cū præcipuum Religionis munus ſubire neutiquam vellet, vbi tamen Philippi conſilium acceſſit, illicò ſine mora obtemperauerit.

21.22 Quanti demum eius Alumni facerent Dei Seruum, præter ea, quæ alibi dicta ſunt, ex ſequentibus etiam atque

etiam

etiam apparebit. In primis namque res eius cunctas non aliter ac reliquias venerabantur: imò barbæ pilos, capilloſque, dum barbam, vel caput tondebat, occulte pariter ac piè furabantur, vt illos pro reliquijs aſſeruarent: & quoniam id ſemel animaduertit Vir humilis, eos ſtatim e feneſtra proijci imperauit, quos tamen ipſi clam colligentes, maxma cum reuerentia cuſtodiebant. Non defuerunt, qui e ſanguine, quem poſtremis vitæ diebus ex ore abundè profudit, ampullis incluſum accuratiſſimè tenerent: & nonnulli, deuotionis modum forſitan prætergreſſi, eo adhuc viuente, ſexagies Sancte Philippe ora pro me, quotidiè priuatim dicere ſibi præſcripſerant. Alij eius imaginem etiam tum viuentis in cubiculis appenſam habentes, ſingulis diebus, priuſquam domo prodirent, flexis genibus venerabantur: & alij ipſum adire quotidiè ſtatuerant, vel vt benedictionem ab eo peterent, ſeu pedes oſcularentur, vel ſaltem vt cum ipſo in cella commorari liceret. Inſuper ſic eius confidebant precibus, vt eorum quidam aliquando dixerint, fore ſpero, vt quicquid interceſſore Philippo a Domino flagitauero, haud dubiè obtineam. Et alij: Si peractæ vitæ conſcientiam intueor, in diſperationem adducor: ſi vero Philippi preces attendo, ſalutis portum iam teneo. Et quidam: Si vel mortuos ab eo excitatos audirem, vel ipſe præſens eoſdem excitari conſpicerem, eius apud me ſanctitatis opinio nihil prorſus augeretur. Imò ego ipſe teſtari poſſum, me a compluribus audiuiſſe, ex Philippi Beatitudinis declaratione, vel ex eius relatione inter Sanctos, apud illos haudquaquã auctam eſſe ſanctitatis eius exiſtimationem: quandoquidem dicebant: Quicquid a Pontifice de Philippo definitum eſt, iam olim manus ipſæ noſtræ contrectauerunt.

23 Quod verò attinet ad encomia, quibus Philippus euehebatur ad ſuperos, incredibilia fortaſsè legentibus videbuntur: etenim & Angelus, & Moyſes, & Propheta, & Apoſtolus eſt appellatus. Dixerat olim amicus alteri, qui ad Philippum viſendum Romam petebat: Videbis Apoſtolum, videbis Petrum, videbis Paulum. Sed cum illi plus debito exaggeratus videretur ſermo, in Vrbe tamen cum Philippo diù

ver-

verſatus, ait : Amicus profectò non temerè loquebatur.

24 Franciſcus Cardonius ex Dominicana familia, qui Philippi conſuetudine annos circiter quadraginta familiariter vſus fuerat; huiuſmodi de illo protulit encomiũ: Philippus in humilitate magnus, in caſtitate Angelus, & in paupertate diues.

25 Præterea talis, ac tanta extitit de eius ſanctitate opinio, vt multi aſſerere non dubitarint, eum ad ſupremum cuiuſque virtutis gradum conſcendiſſe: imò in primos, quos dicunt, animi motus abſolutum ferè habuiſſe imperium aſſeuerarunt. Ex quo viri nobilitate primarij ipſi deſeruire, ſternere lectulum, cubiculum verrere, tergere calceos, & id genus alia ei præſtare, ſummo ſibi beneficio ducebant & honori. Eius inſuper verba vti Oracula a cõpluribus æſtimabantur In publicis pro eius inter Sanctos relatione confectis tabulis nullus fere reperitur teſtis, qui Philippum pleno calamo Sanctum non appellet. Inter cælites ſuo tempore adſcribendum fore communis erat eorumdem ſententia: ac multi demum affirmarunt, ſolum eius aſpectum ſanctimoniam redolere.

26 Abbas Marcus Antonius Maffa hæc habet: Ego ſanè, etſi inter peccatores viliſſimus, ex quo tamen tempore cum Philippo familiariter egi, ipſum veluti ſanctum ſemper colui. Et quoties apud illum confeſſionis Sacramentum obibam, ſanctitudinis eius percipiebam afflatum, eo præcipuè momento, quo is abſolutionem mihi impertiebat. Quæ profectò non contingebant, cum apud alios conſcientiam exonerabam. Hucuſque Maffa.

27 Denique & a Sanctis Sanctus habitus eſt Philippus. Quandoquidem Carolus Borromæus, Mediolano Romam veniens, Beatum Virum primò conuenire conſueuerat; & cum illo quatuor vel quinque circiter horas ſæpiſſimè commorari: abſens per literas eum frequenter conſulere: ad eius pedes ſæpius genuflectere: manus oſculari: & Canonicas horas cum ipſo recitare haud ſemel viſus eſt. Illum verò vti Sanctum ſuis omnibus prædicaſſe, notiſſimum eſt: ita vt ipſemet aliquando dixerit: Philippus vir eſt, & admirabilis ſinceritatis, & ſanctimoniæ ſingularis. Quod autem eius ſe precibus paſ-

ſim

ſim commendaret, apud eos eſt in confeſſo, qui vtriuſque conſuetudine vtebantur. Eiuſdem porrò Inſtituto quàm qui maxime delectatus eſt: quamobrem olim in feſtiuitate Sancti Franciſci integrum diem in Vallicella traduxit: vbi peracto Sacro, ab aurora vſque ad meridiem ferè innumeris Christi fidelibus Euchariſtiam miniſtrauit: inter quos Martinus Nauarrus a Sacro faciendo abſtinuit, vt ab ipſo laicali more vnà cum ceteris Chriſti Corpus ſumeret. Voluit prætereà nouam templi fabricam accuratius intueri; Inſtituta ac regulas conſiderare: a prandio ſermonibus publicis intereſſe: in Oratorium ſub veſperum conuenire: cœnare cum noſtris: noctu quietem capere: ac demum ſingula diligentiſſimè perpendere. Qui manè diſcedens: Vos beati, inquit, virum nacti, quos tam laudibili Inſtituto communiuit.

28 Felix Capucinus a Cantalicio quem inter beatos retulit Vrbanus Octauus, præter ea, quæ alibi diximus, tanto Dei Seruum proſequebatur honore ac reuerentia, vt eũ ſæpiſſimè conueniens flexis genibus benedictionẽ expeteret. Qui Philippũ ſemel in Quirinali ambulantẽ eminus cõſpiciens, correpto curſu hominem aſſecutus, ipſius dexterã genuflexo eſt oſculatus: mutuoque inter ſe complexu amantiſſimè obſtricti longo temporis interuallo ſic taciti perſtiterunt: qui demum, non ſecus atque olim Sanctus Ludouicus Francorum Rex, & Beatus Aegidius, ſilentes ab inuicem diſceſſerunt. Aliàs cũ idem Felix more ſuo, nixus genibus benedictionem expectaret, Philippus pariter genibus & ipſe flexis benedictionem poſtulabat: at dudum hoc pio producto certamine abierunt. Immò ferè ſemper, tũ Felix, tum ſocius, Raynerius nomine, ſummæ probitatis vir, Philippo occurrente, in genua procumbebant.

29 Dei famula, Catharina Riccia, vulgo de Prato, alibi commemorata, ad Philippum, veluti ad ſanctum frequentes mittebat epiſtolas, eiuſque ſe precibus commendabat.

30 Vrſula Benincaſa Neapolitana, optimæ exiſtimationis virgo, de qua ſupra abundè diximus, vſque adeo illum venerabatur, vt hæc de eo verba protulerit: Iuſſu, inquit, Gregorij Decimitertij, Philippi diſciplinæ commiſſa ſum: &

Q quam-

quamuis ea, quæ ad ſpiritum attinent, haud multum nouerim, Viri tamen huius charitatem, eiuſque pectus celeſtis amore ſaucium optimè noui. Cernebatur enim, dum loqueretur, non ſolum optare, ſed etiam reuocandarum a peccato animarum deſiderio ardere: neque parum elaborauit, vt quo duceret ſpiritu, experimento probaret: primò namque poſtquam acrioribus verbis me plurimum perſtrinxiſſet, genuflectenti mihi confeſtim imperat, vt eadem pariter verba in ipſum retorquerem: quod cum iterum atque iterum efflagitaſſet, quam alta eius eſſet humilitas, apertè dignoui. Quinetiam cum ſolitas coram ipſo ecſtaſes ſuſtinerem, quas cruces meas eſſe profiteor, etſi in eo mentis exceſſu nullius vnquam antea vocem vel clamantis percipere conſueueram, vbi tamen primum ille me ex nomine compellaret, ſic illa beata vox penetrabat pectus, vt ſtatim ab ecſtaſi ſuſcitarer: ex quibus omnibus digitum Dei cum illo eſſe perſpexi.

Rurſus cum olim apud Sanctum Hieronymum a Charitate ſanctiſſimum Chriſti Corpus de manibus eius ſumerem, ac more ſolito raperer in ecſtaſim, is peracto Sacro, præcepit, vt ſecum per Eccleſiam deambulando progrederer: & quamquam viribus deſtituta, & ſenſibus abſtracta, id agere difficillimè poſſem, eius tamen iuſſu huc, illuc quam facillimè perambulaui. Hactenus pia virgo.

31 Franciſca, cognomento a Serrone, apud Septempedanos in Piceno, cuius vitam e noſtris vnus accuratè conſcripſit; anno Iubilei, ſub Gregorio Decimotertio, accedens ad Vrbem diutius cum Sancto Viro ſermone protracto, Chriſtum Ieſum in Philippi corde èxortum, eumque Catharinæ Senenſis hauſiſſe ſpiritum affirmauit. Illius verò monita veluti pretioſas margaritas memoria retinebat: & calanticam, quæ, dum ab eo Sacramentalem percipiebat abſolutionē, illius manu contacta fuerat, amplius vti noluit reuerentiæ cauſa.

Denique ſic vbique Philippi ſanctitas peruulgata erat; vt perpetuò ad illum, non ex Vrbe ſolùm, non ex Italia, ſed ex orbe ferè toto conuenirent. Quin & ipſi infideles, quotieſcunque ſecum agerent, illum ſummoperè venerabantur.

VI-

VITAE S. PHILIPPI NERII LIBER QVARTVS.

Poſtremi Philippi morbi, eidemque Virginis apparitio. Cap. I.

CETERVM Pater optimus, & annis cumulatus, & meritis, ad vitæ extremam periodum deuolutus anno circiter antequam e viuis decederet, menſe videlicet Aprili, in febrem incidit: qua vix menſe Maio leuatus, tam vehementibus cœpit renum angi doloribus, vt arteriarū motu fere penitus deſtitueretur; in quibus perferendis admodum patienter ſemper ſe geſſit. Nullæ aderant querimoniæ, agitationes nullæ, ſuſpiria nulla: ſola hæc inter labra reſonabat vox: Adauge dolorem, ſed adauge patientiam. Accedentes deinde medici exploratoque pulſu, de Philippi vita actum pronuntiant. Ergo, qui aderant, conopæum lectulo circumducentes, vehementer dolebant; quòd proximè chari Parentis obitus immineret.

2 Rem tamen altius corde prementes, ſilentium ſeruant: cum protinus Philippus exclamat: Ah Mater pulcherrima, Mater benedicta, ecquis ego, vt me famulum tuum, vtique indignum, tua digneris præſentia? tantaq; ſpiritus vehementia hæc promebat verba, vt lectulus ipſe totus concuteretur. Ad hæc ſubducunt illicò velum, propiuſque accedunt, & Virum

Sanctum protenſis manibus, atque in aëra plus cubito elatum conſpiciunt: qui modò brachia expandens, modò contrahens magna cum ſuauitate neſcio quem vlnis complecti videbatur: ſæpius eadem quæ ſupra verba repetens, Eia Mater dulciſſima, quo meo factum eſt merito, vt ad inuiſendum me, ſanandumque deſcenderes? haud ego dignus tanto humanitatis officio, pia Mater, non vtique dignus. Hæc inter admirantibus cunctis, alij ſpiritu deuotionis afflati ingemiſcere, quidam præ dolore intimè cruciari, alij verò tantæ rei exitum præſtolari. Quamobrem appropiantes medici interrogant quid noui? Quibus ipſe lectulo quam ſuauiter accumbens: Nonne, ait, Virginem Sanctiſſimam vidiſtis, quæ ad propulſandos dolores meos e cœlis aduenit? Verum complures illic adſtare animaduertens, linteaminibus faciem obuoluit, atque in lacrymas ſolutus ſic diù permanſit. Veriti tamen medici, ne præ lacrymarum copia, valetudo ingraueſceret, ſatis (aiunt) eſt Pater, ſatis. Quibus ille: Abite, inquit, veſtra enim opera haud amplius indigeo: etenim Beata Virgo me priſtinæ reſtituit ſanitati. Explorant illi arterias atque eum non ſolum a febri immunem, ſed prorſus etiam conualuiſſe reperiunt. Quapropter die poſtero ad conſueta redit munia, non aliter ac ſi nullo vnquam morbo laboraſſet. Totam exinde veſperam filiolos admonet pius Pater, vt Deiparæ deuotioni omninò ſe dedant: Credite, inquiens, ad impetranda cælitus beneficia, nihil efficacius, quam intimum erga Virginem pietatis affectum. Poſtea medici domo egreſſi admirandam hanc Virginis apparitionem diuulgant; ita vt ad Cardinales Cuſanum, & Borromæum atque ad ipſum tandem Clementem Octauum fama peruenerit. Interea ne quid mente excideret, Angelus Victorius rem omnem accuratè conſcripſit.

3 Anno ſubſequente, Chriſti videlicet milleſſimo quingenteſimo, nonageſimo quinto, pridie Kalend. Aprilis iterum ægrotare cœpit: adeoque morbus inualuit, vt cum Cardinalis de Verona illum inuiſiſſet, ipſi nec verbum quidem reſpon-

dere

dere potuerit. Decubuit Philippus ex infirmitate hac toto prorſus menſe Aprili. Kalend. verò Mai, Deum enixè deprecatur, vt in honorem Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, quos ſibi Patronos delegerat, Miſſam celebrare poſſit, atque optatis eius reſpondente Deo, repentè, more ſuo, conualeſcit, & non ſolum Sacrum fecit, ſed Chriſti Corporis communione e ſuis aliquot refecit. Ne tamen medicorum detrectare placita videretur, tres ab inde dies a faciendo Sacro abſtinuit; quibus elapſis ad quartum Idus Maias quotidiè celebrare perrexit.

4 Recurrente poſtea die ſolemnitatis Sanctorum Martyrum Nerei, Achillei, & Flauiæ Domitillæ, quos Congregatio noſtra peculiari veneratur cultu, tantam Philippus ſanguinis copiam ex ore profudit, vt de eius vita actum ab omnibus diceretur. Ex quo Baronius, tunc Congregationis Præpoſitus, de ſubito Sancti Parentis obitu vehementi ſuſpicione concepta, eum extremæ vnctionis Oleo ritè inunxit. Viſus eſt hoc ſacro munitus remedio continuò melius habere. Ideoque Federicus Cardinalis Borromæus, qui aderat, ſacratiſſimum ei præbere Viaticum decreuit. Dum igitur ille Panem cæleſtem in cubiculum defert, Senex optimus, etſi antea conſternatus iacebat, mox apertis oculis, elataque voce, fuſiùs illacrymans: En, inquit, amor meus: En vtique omne bonum. Ad hæc cuncti qui aderant in lacrymas dant ſeſe. Proferente inde Borromæo conſuetam formulam, Domine non ſum dignus, eadem Philippus iterans verba, nec dignus, ſubdidit, vnquam fui; neque hactenus quidquam boni egi, ſed cùm iam Cardinalis ſacrum Viaticum ori eius ingereret: Veni Domine, ait Philippus, veni: atque his dictis ſummo cum pietatis ſenſu Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcepit, dixitq; Nunc verè verum animæ medicum excepi: vanitas vanitatum & omnia vanitas: qui præter Chriſtum aliud quærit, quid quærat, ignorat; atque ita diei reliquum hilaris tranſegit. Sub veſperum, ſolito ſanguinis ſymptomate rurſus corripitur: ſummiſque actus doloribus, ter vel quater cruorem abundè euomuit: qui tamen intrepidus, oculis in cœlum elatis gra-

cias tibi Chriſte, ait, quod hac ſaltem ratione, pro ſanguine ſanguinem rependere valeo. Hanc ſanguinis effuſionem, tuſſis, reſpirandique difficultas tam magna conſecuta eſt, vt ſæpius repeteret, ſerena ſemper fronte: Emorior, deficio. Et quamuis multa adhibita fuerint remedia, nihil tamen penitus profuere. Ceterum cũ manè acceſſiſſent medici, ſic eos Philippus alloquitur: Veſtra iam opera non indigeo: quandoquidem mea fuerunt veſtris potiora remedia: ex quo enim prima luce ad pia religioſorum hominum Cœnobia, vt Sacrum pro me offerrent, ſtipem miſi, exinde nihil prorſus ſanguinis effudi, leuatum me ſentio, conquieuit aſthma, adeoque iam valeo, vt ad priſtinam ſalutem planè reſtitutus mihi videar. Medici arteria explorata, ipſum reuera benè valere comperiunt: factumque admirati, Omnipotentis Dei miraculo id obueniſſe pronuntiant. Ab hoc porrò die vſque ad ſeptimum Kalend. Iunias Philippus optimè ſemper valuit, officium diuinum quotidiè recitauit, Sacrum fecit, ſuorum excepit confeſſiones, eoſque Altaris communione muniuit; & ſolita liberè peregit munia: ita vt omnes aliquot annos ſuperſtitem futurum proculdubio exiſtimarent.

Mortem ſibi prænuntiat. Cap. II.

MVlto ante prædixerat Philippus ſui obitus non ſolum tempus & diem, ſed horam mortiſque genus, & quo etiam loco corpus ſuum humandum foret. Primò igitur in cunctis præteritis morbis ſe haud moriturum aſſeuerabat: quandoquidem Chriſti anno ſexageſimo ſecundo ſupra milleſimum quingenteſimum, vehementi correptus dolore, ac febri, vt ideo decreuerint ſui illum ſacro præmunire Viatico, extremaque vnctione fulcire, Tauruſium compellans ait: Me vtique ad ſacra ſumenda myſteria promptum eſſe, paratumque ſcias, morbo tamen ex hoc neutiquam deceſſurum: piiſſimus namque Deus, qui hactenus tot mihi contulit beneficia, me nunc pietatis ſenſu deſtitutum e vita migrare non ſineret. Diuinis ergo remedijs hominem firmant,

mant, & confeſtim remittitur dolor, abſcedit febris, ac priſtinis viribus redditus, ad munia redit.

2.3 Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, duodecimo Kal. Decembris rurſus in febrim incidit, eamque diutinam, tamque grauem, vt Hieronymus Cordelius medicus ex primarijs, illum e vita proculdubio deceſſurum aſſereret. Verum cum illuceſcente die Beatum Virum inuiſurus aduentaſſet, Philippus, ait: Hoc ex morbo, vt exiſtimas, mi Cordeli, minimè decedam. Poſtridiè integrè ac planè valens ad ſolitas redire functiones conſpicitur. Et quoniam Alumni imminente Natalis Domini feſto apud alios confeſſarios ſe a culpis expiandi facultatem expetebant; Veſtras, reſpondit, confeſſiones ipſemet excipiam. Id quod valetudini, vt dictum eſt, reſtitutus vtique præſtitit.

4 Tribus exinde tranſactis annis pridiè Kalend. Aprilis Flaminium Riccium Firmanum, qui tunc Neapoli morabatur, Romam iuſſit per literas reuocari: cupiebat enim, antequam decederet, hominem videre. Erat vir iſte Philippo apprimè charus, qui tertius ab ipſo extitit Congregationis Præpoſitus, ſuimet deſpicientiſſimus, & qui oblatam Epiſcopatus dignitatem declinauerat. Is ergo reſcripſit, ſe quam libentiſſimè reuerſurum: at certis de cauſis prorogandum eſſe reditum ad proximas Kalend. Septembris. Philippus per epiſtolam inſtat, vt miſſis omnibus continuo redeat. Reſpondet ille, principes viros, & Archiepiſcopum præſertim, impedire regreſſum. Iubet & tertio literas dari, vt omninò redeat; ſed ſerus, ſubijcit, erit aduentus. Atque ita accidit: etenim cum Flaminius Romam peruenit, Philippus iam obierat.

5 Duodecim ante ipſius obitum dies, cum Nerus de Nigris recuperatam valetudinem Philippo gratularetur: Equidem, ille, nunc planè valeo, reſpondet: neque vllo corporis dolore detineor: paucis tamen poſt diebus me moriturum ſcias. Quinimo cum ſe etiam ex improuiſo deceſſurum non ignoraret, per ſingulos quoſque dies dictitabat ſuis: Moriendum eſt filioli, moriendum eſt. Quod cum ſæpè ſæpius iteraret, illi tædio affecti dixerunt: Scimus equidem Pater morien-

dum eſſe, ſed quid hoc? Subdit, more ſuo: Sat eſt, moriendum aſſero, & vos verbis fidem non adhibetis.

6 Inter eoſdem ferè dies, quibus nempè memoratam ſanguinis effuſionem patiebatur, Marcus Antonius Maffa illum hortabatur, vt bono eſſet animo, aſtruens multos adhuc annos ſuperſtitem futurum, vt ſaltem multorum ſaluti proſpiceret. Tum Philippus quaſi iocans reſpondit: Si vt hoc anno ſuperuiuam, præſtiteris, rem quidem tibi bellam polliceor.

7 Spoponderat Franciſco Zazzaræ, tum temporis adoleſcenti, ſe priuſquam decederet, dicturum, quid ab eo cuperet poſt obitum. Iuuenis Parentem optimum ſæpe rogauerat, vt promiſſum exolueret: cui Dei Famulus reſpondebat: Ne angaris animo: quotidiè namque Sacrum faciens, pro te ad Dominum effundo preces: & quid cælitus accipiam, tibi procul dubio, antequam moriar, aperiam. Interea etſi Philippus ſæpiſſimè ægrotauerat, nunquam tamen, quid a Franciſco exoptaret, edixerat: ſed nonum ante mortis diem, ex inopinato illum compellans, quidquid ei ſe dicturum ſpoponderat, in medium profert. Quamobrem iuuenis ratus Sanctum Virum breui, vt accidit, moriturum, confeſtim in lacrymas ſe dedit.

8 Decem ſimiliter dies priuſquam Philippus ſpiritum reddat, Ioannem Baptiſtam Guerrium, Congregationis confratrem, aduocat, eumque interrogat, quis excurreret dies menſis? decimuſquintus reſpondet ille. Decem & quindecim, ſubdit Philippus, vigintiquinque conſtituunt, & hinc migrabimus. Nec verba incaſſum cecidere.

9 Paulo ante Germanico dixerat: Mea cauſa hactenus plurimum elaboraſti, verum poſthac haud quicquam tibi laboris, vel moleſtiæ erit ſubeundum. Poſthæc eius dexteram intimo viſcerum affectu premens, ait: Quid ò Germanice, quid paucis poſt diebus viſurus es? Tum ille haud parum timere cœpit: ne ſcilicet quid triſte Chriſtianæ Reipublicæ immineret. Atqui ſubſecuto Parentis obitu, quid verbis indicare voluerit, planè percepit.

10 Idem Germanicus decimoquarto Kalend. Iunias Carbonia-

bonianum, oppidum Vrbi proximum, profecturus, quò loco Congregatio noſtra villam poſſidet, Philippo dixit: Haud libens diſcedo Pater, niſi prius ſpondeas, quod ipſe rediens te viuum reperiam. Quandiu aberis, interrogat Philippus. Ad ſummum, reſpondet ille, vſque ad iperuigilium Corporis Chriſti; ſubſtitit tum paulisper Vir Dei, & ait: Abi. Abijt ergo Germanicus: verum nocte, quæ dicti ſolemnis diei peruigilium præcedit, viſus eſt ſibi per ſomnium Romam veniſſe, inueniſſeque Patrem Sanctum lecto decumbentem, qui diceret: En morior. Experrectus itaque veritus, ne reuera Senex optimus diem obijſſet, Romam aduolat, Philippumq; beneualentem comperit. Qui ad eum: Equidem rectè feciſti ſtato tempore Romam redire, erraturus profectò, ſi diutius remoratus eſſes. Et nocte inſequenti diem clauſit.

11 Eodem pariter die Petro Conſolino Congregationis presbytero accito præcipit, vt ſuo pectori manum admoueat, prominenteſque coſtulas attrectet, ſimulque rogat, vt rem diuinam pro ſe faciat. Cui, ſe iam Miſſam celebraſſe teſtatur. Miſſam, ſubdit Philippus, quam abs te cuperem, non ex ijs eſt, quas ipſe reputas, ſed pro defunctis.

12 Hoc ipſo die mulier annum agens ferè octogeſimum animam agebat, Sacerdos, qui fœminæ in extremo vitæ diſcrimine laboranti adſtiterat, Philippum rogat, vt pro ipſa fundat preces. Cui ille: Moribunda, inquit, conualeſcet: ego verò e viuis diſcedam. Atque ipſo momento cœpit fœmina melius habere, & ſubſequenti nocte Philippus animam reddit.

13 Sepulturæ verò locum hoc planè pacto prænuntiauit: Dixerat Franciſco Bozzio, ſe aliquando ſtationem apud eum facturum. Cui Franciſcus: Cubiculum meum, Pater, perſonam tuam non decet. Addit ille: Quid amplius? apud te commorari omninò volo. Poſt Sancti Viri obitum accidit, vt corpus eo loco depoſitum fuerit, qui Franciſci cubiculo, vt dicemus infra, proximè adiacebat. Is ex presbyteris, qui olim Philippo adhæſerunt, poſtremus deceſſit.

14 Ioannes Baptiſta Guerrius ſupra commemoratus Philippo retulerat, ſepulturam, tum pro presbyteris, tum pro con-

confratribus, iam eſſe completam? præerat enim is fabricæ, vt alibi ſæpe) quem Pater interrogat, num & ſibi locum paraſſet? Reſpondet: Etiam. Rurſus Philippus: Illic me manere haud ſines. Vtique ſinam, ſubdit ille. Philippus, me quidem, ſubiungit, illuc inferes, ſed mox; crede; exinde quantocyus efferes. Conticuit tunc Guerrius: ſed quorſum verba tenderent, res ipſa demonſtrauit. Etenim Beato Viro defuncto Guerrius in præſtituto communis ſepulturæ loco corpus humauit: verum ſubſequenti die Cardinalium, Alexandri Medicei, & Federici Borromæi iuſſu in ædiculam, de qua infra dicturi ſumus, ipſemet Guerrius aſportauit, quod, vt modò diximus, Franciſci Bozzij cubiculo adiacebat.

Placidiſſimè moritur. Cap. III.

CVM feſtus illuceſceret dies Sacratiſſimi Corporis Chriſti, qui in octauum Kalend. Iunias eo anno inciderat, iuſſit Vir Sanctus ſummo manè quotquot ex filiolis accederent, in cubiculum admitti: quorum omnium confeſſiones optimè valens excepit; rogatque ex iis complures, vt pro ſe poſt obitum, Beatiſſimæ Virginis, quam dicunt, coronam recitent. Eos inſuper admonet, vt Sacramenta frequentent, ſermonibus interſint, ac Sanctorū geſta frequentius perlegant, ſingulis magis quàm vnquam obſecutus. Ab audiendis confeſſionibus expeditus horas Canonicas piè admodum, atque attentè perſoluit: poſtea verò, duas fermè horas antequam ſoleret, Miſſam in Sacello celebrauit, ſub cuius exordio, eam Ianiculi partem, in qua ſitum eſt Cœnobiū Sancti Honuphrij (ad quem locum erat inde obuius aſpectus) non ſecus ac ſi mirum quid cerneret, fixis cœpit oculis intueri. Cumque ad Hymnum peruenisſet, Gloria in excelſis, illum (quod nunquam antea fecerat) alta voce ad finem vſque decantauit. Peracto Sacro nonnullis Euchariſtiam miniſtrauit. Actis inde gratijs, nonnihil medicæ potionis, quam attulerant, hauſit, dixitque: Hi me conualuiſſe arbitrantur, ſed longè aberrant. Exinde ſe iterum audiendis confeſſionibus exponit.

Verum

Verum aduenientibus Cardinalibus Cuſano, & Borromæo, qui a Pontificia Chriſti Corporis ſolemni ſupplicatione redierant, vſque ad prandium in ſermonibus ſalutaribus inſumpſit.

2 Ientaculum pranſus, per morulam, vt ei mos erat, conquieuit: & paulo poſt Veſperis & Completorio feruentiori ſpiritu recitatis, diem reliquum partim in excipiendis ſe inuiſentibus, partim in Sanctorum geſtis auſcultandis diſtribuit: ſed præcipuè Sancti Bernardini Senenſis vitam ſibi legi iuſſit, cuius tranſitum ſemel atque iterum repeti voluit. Hora diei vigeſima ſecunda aduenientе, accedunt Cuſanus, Hieronymus Pamphilius, alijque nonnulli: quibuſcum matutinas horas recitauit, Officij reliquum vnà cum Sanctis Angelis completurus in cœlis. Interea ecce medicus, qui explorata arteria, ait: Reuera Pater decem abhinc annis te melius habentem non comperi. Deinde Cuſani confeſſione excepta, illum diſcedentem comitatus, quod antea haud vnquam fecerat, quaſi vltimum diceret Vale, abeuntis dexteram validè preſſit, eumque dimiſit. Reſiduum verò temporis in excipiendis confeſſionibus ad cœnam vſque tranſegit.

3 Poſt hæc ſolus, more ſuo, cœnauit: a cœna domeſticorum confeſſiones rurſus audiuit. Tertia noctis hora, impertita adſtantibus, vt ſolitus erat, benedictione; ferè omnibus exinde dimiſſis, conſuetiſque abſolutis ſpiritualibus exercitationibus, corpore valens, nullumque præſeferens ægritudinis ſignum, lecto decubuit, hæc rurſus repetens: *Moriendum vtique eſt.* Cumque iam ſibi noſſet ſupremum vitæ terminum imminere, interrogat, quotanam ſit hora? Tertiam, qui aderant, reſpondent. At is horas quaſi apud ſe computans, ſubdit: tres bis ductæ ſex conficiunt: & hinc migrabimus. Tum ad eos, qui remanſerant, conuerſus: Abite vos, inquit, dormitum. Vir etenim Sanctus, quod vitæ ſupererat, cum Deo, cui toto inhiabat pectore, ſolus inſumere cupiebat. Cum ecce, hora noctis quinta, lectulo ſurgens per cubiculum deambulat. Ambulantem perſentit Gallonius, qui ſtatim aduolat; reperitque Dei Famulum ſe in lectulo collocaſſe, cuius in os nonnihil ſanguinis & pituitæ defluxerat.

Quid

Quid ei acciderit, interrogat; cui Philippus ait: Emorior. Tum Gallonius aliorum patrum ope conclamata, medicos accerſit. Putantes interim ſui conſuetam eſſe ſanguinis effluxionem, vſitata adhibent medicamenta: atque ad quartam circiter horæ partem, ſanguinis fluxione penitus intermiſſa, expeditè loquitur, & ad priſtinum rediſſe incolumitatis vigorem viſus eſt. Verum, quippe qui ſe morti proximum nouerat, rogat, vt a remedijs abſtineant, tandiù expectans, donec conueniſſent ferè omnes: qui cũ ſinguli circa lectulum, flexis genibus coronam feciſſent, chariſſimi Patris obitũ grauiſſimè lugebant. Decedentis animam Cæſar Baronius Cogregationis Præpoſitus, Domino ex ritu commendauit: qui videns Parentem optimum ſpiritum iamiam agentem, elata parumper voce: Pater, inquit, ſic abſcedis a tuis, neque ijs vno ſaltem verbo bonum quid precaris? Supremam quæſo benedictionem tuis in Chriſto filiolis impertire. Tum ille ſublata nonnihil manu, defixis in cœlum oculis hæſit. At cum diutius ſic permanſiſſet, oculos dimittens, ac ſi, quam petebat benedictionem, a Domino impetraſſet, nullo alio edito geſtu, placidiſſimè expirauit.

Statim à morte pluribus apparet.
Cap. IV.

VBI primum Deo reddidit ſpiritum, alumnis compluribus ſe videndum obiecit. Senis in Tuſcia Tæius Guerrius inter ſomnum & vigiliam ſibi viſus eſt videre Philippum, radijs vndequaque fulgentem, qui diceret: Pax tibi Frater: iam enim ad vberiora coeli paſcua pertranſire datum eſt. Experrectus eadem ſibi verba iterari perſentit: & in his viſum euanuit. Paucis poſt diebus ex amicorum literis accepit, iiſdem ferè horis, Philippum animam exhalaſſe.

2 In Vrbe apud Sanctam Cæciliam virgo quædam Philippum albis indutum veſtibus, atque in ſella pellucida inſidentem, inter duos Angelos, in cœlum efferri inter ſomnum con-

conſpexit: quem ſic dicentem inaudit: Ad gaudia cœlitum pergo; verum, vt quò tendo, tibi quoque venire contingat, Regularum tuarum præſcripta fac mordicus teneas: nec dubites, quin pro te multo magis, quàm antea fecerim, preces ad Dominum porrigam. Monialis interim euigilat, læta ſimul & admirabunda, animo obuoluens, quid viſum portendat. Albeſcente die nuntius accedit, qui ipſa nocte Philippum obijſſe denunciat.

3 Eodem ferè temporis momento, alia ex virginibus, quæ in Sanctæ Mariæ Magdalenæ Monaſterio in Quirinali profitebatur, eum pariter in ſomnis obuium habuit: quem maximopere ſuis de rebus conſulere deſiderans, rogat, vt ſiſtat gradum. At ille, ſine vadam, inquit: quandoquidem plus nimio a ceteris detentus ſum: atque inde in ſublime erectus euanuit. Manè Senem ſanctum occubuiſſe Virgo intelligit.

4 In Monaſterio Sanctæ Marthæ, itidem in Vrbe, alteri Moniali ſe conſpiciendum obtulit, dicens: Vt ſupremum tibi vale dicam, ad te accedo. Tu quidem ad Paradiſum properas ait illa. Tum Philippus agrum dumis vndique conſitum virgunculæ oſtendit, dicitque: Hac vtique via tibi tranſeundum eſt, ſi quò tendo, venire properas. Illa ſomno euigilans, ſubdit, Pater mi, Pater mi, quem nunquam amplius conſpectura ſum. Interea vberrimis oppleta lacrymis illius ſe precibus commendabat, haud omninò dubia, quin manè eius obitum auditura eſſet, prout accidit.

5 In oppido Morlupo, quod itinere vnius ferè diei ab Vrbe diſtat, virgo Tertiaria, Ordinis Sancti Dominici, antequam Philippi corpus ſepulturæ daretur, accepta de more Chriſti Corporis communione, ſibi viſa eſt videre Senem quendam candida, & ſacerdotali veſte amictum inter ſuperos conſidere; ſedemque ornamentis quamplurimis compoſitam, ac virtutum eius inſignibus, aureis notis exaratam. Aſpiciebat præterea ingentem numerum animarum: & vocem ſibi dicentem audiebat: Sunt hæ eorum animæ, quæ meritis & opera Beati huius Viri ſalutem adeptę ſunt. Hiſque dictis obiecta ſpecies euanuit. Viſionem hanc cum Monialis

refer-

referret Confeſſario, fœminam is interrogat, cuiuſnam ætatis videretur ille Senex, quæue eſſent vultus lineamenta? Cui illa effigiem perfectiſſimè expreſſit. Cumque Confeſſarius pictam Philippi imaginem ei oſtenderet, huiùs prorſus figuræ, ait mulier, erat Senex, quem vidi. Acceperunt deinde per literas pridie illius diei Philippum eſſe defunctum.

6 Haudquaquam prætermittendum cenſui, quod paulo poſt obitum Serui Dei, quædam adoleſcentula a matre audiens Philippum laudibus extolli, ſic fata eſt: Equidem Philippum probatum Dei famulū extitiſſe teneo; verum ſi illum mortuis vitam, cæcis viſum, claudis greſſum reddidiſſe intuita eſſem, ipſum planè Sanctum libera voce renunciaſſem: multa enim de ipſo feruntur, quæ ipſa oculis non vidi. Subſequenti nocte inter ſomnum & vigiliam ſibi cernere viſa eſt in Baſilica Sancti Petri tabulatum quoddam ſublime, ad tholi faſtigium fermè pertingens, ſuperq; ſedere Philippum, atque altius tholum verſus conſpicere circularem tabulam nitidiſſimam, eumque ſibi dicentem inaudire: Inſpice nunc incredula, quid ſim facturus: & mox a tabulato ad circularem illam menſam elatus ab eius oculis euanuit. Euigilat tum virgo, narratque matri, quid inter ſomnum ſibi contigerat: veniamque humiliter a Deo expoſcit. Innuit fortaſsè viſio, Beatum virum apud Sanctum Petrum inter ſuperos aliquando connumerandum: prout comprobauit euentus.

Populi concurſus. Cap. V.

CETERVM de more corpus ablutum, necnon ſacerdotalibus amictum veſtibus, comitantibus Congregationis Presbyteris, & confratribus, ſeptima noctis hora, in Eccleſiam aſportatur. Manè reſeratis templi foribus, obituſque eius fama vulgata, populi concurſus factus eſt maximus. Sacri corporis aſpectus neſcio quid maieſtatis ac ſanctimoniæ præſeferebat: ita vt omniū oculos ad intuendum alliceret: nec tot feretrum reſpergebatur floribus, quot confluentes pietatis, ac religionis ſtudio rapere conabantur.

Hora

Hora opportuna, completo ex ritu defunctorum Officio, Miſſam pariter decantarunt, multis adſtantibus præſulibus, & optimatibus.

2 Interim dum iſthæc perſoluuntur, Antonius Carratus, qui ſuperpelliceum indutus vnà cum ceteris chorum ingreſſus fuerat, mentis moleſtijs diù vehementer actus, vbi ſe ex animo Philippo commendat, continuò liber euadit.

3 Accedunt poſthæc ex Purpuratis nonnulli: quos inter Auguſtinus Cuſanus, & Federicus Borromæus, Serui Dei manus, ac pedes multis cum lacrymis deoſculantur. Gabriel Paleottus extinctum intuens ſenem illum, quem probatæ ſenectutis exemplar ſuo in libello ſenibus imitandum propoſuerat, toto cordis affectu illum deplorat, ac veneratur. Octauius Parauicinus ob oculos vita functum habens Parentem optimum, quem vnicè diligebat, lacrymis perfuſus dolore ſentit viſcera penetrari. Concurrunt præterea Principes, tum viri, tum fœminæ, manus eius, ac veſtes exoſculantes, eumque Beatum vndique conclamant. Siquidem Oratoris Hiſpaniarum vxor, quæ ad venerandum corpus aduenerat, ſæpius Philippum verè Sanctum publica voce renunciauit.

4 Hic reticendum non eſt, quod Cæſar Baronius, ipſe ſecum reputans, quaſnam ad Philippum, quem inter ſuperos regnare non ambigebat, ſacras dirigeret preces, in cœlum corde ſublato, Pſalterij librum aperit, atque in ea incidit verba: Reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam, quam plantauit dextera tua. Quamobrem occaſione accepta Congregationis Patres adhortatus eſt, vt exinde quotieſcunque res domeſticas commendatas Deo vellent, hac ad ipſum antiphona vterentur: quod diutius quàm libentiſſimè præſtiterunt.

5 Idem ferè contigit Marcello Vitelleſchio, qui Philippi obitum perſentiens, pro Pſalmo, De profundis, Pſalmium centeſimum decimum ſextum, Alleluia decantauit; videlicet Laudate Dominum omnes gentes, &c. in puerorum exequijs decantari ſolitum.

6 Hieronymus Begerius, Dominicani Ordinis concionator

tor inſignis, eo ipſo die, quo Vir Sanctus e vita migrauit, concionem habens, illum inter Cælites regnantem publicè prædicauit, aſſerens: Miſſas pro animæ eius ſuffragijs celebratas, non ipſi, ſed animabus in Purgatorio exiſtentibus profuturas: multis interim, dum ille diceret Philippum Sanctorum albo vtique adſcribendum, acclamantibus.

7 Per biduum, quo corpus in Eccleſia inhumatum permanſit, confertiſſimo aduentante populo, complures ſacris Roſarijs illud contingere: manibus ac pedibus oſcula figere: feretrum reuerenter attrectare: furtim veſtimentorum fruſtula præcidere; capillos barbæque pilos ex abdito amputare: & id genus alia in eum ſigna pietatis oſtendere. Nec defuere ex nobilioribus fœminis, quæ extractos ſibi annulos Philippi digito inſeruerint quos poſtmodum, piæ religionis ergô deoſculatos, in ſuis ipſæ manibus reponebant.

8 Alios audiuiſſes, miras, ſolidaſque eius virtutes recenſere; quoſdam affirmare viuidum ſanctitatis exemplar ſublatum eſſe; alios, fructum perpendentes, quem tum Romæ, tum in ceteris Chriſtiani Orbis partibus attuliſſet, dictitare, Eccleſiam Dei ſtrenuiſſimo operario eſſe orbatam; nonnullos in cœlum illum efferre, quod tot inter aulæ proceres, tot cum Summis Pontificibus intimè verſatus, ab omni prorſus honorum ac dignitatum ambitu abſtinuiſſet; multos altiſſimum humilitatis eius elogium recitare, quod vitæ ſcilicet ſanctimoniam adeo probatam, & miraculorum numerum ferè ſine numero, tanta cum prudentia celare non ignoraſſet: plures eum laudare, quod Congregationis Oratorij Inſtitutum tam ſalubre, tamque iucundum excogitaſſet; pauperes etiam vndique lamentari, quod Pater pauperum ereptus eſſet e viuis: multos denique intuentes corpus exanime, repetenteſque memoria, quam ſuauiter ab ipſo, dum viueret, excipi conſueuiſſent, vberrimis lacrymis ora proluere aſpexiſſes.

Mira

Mira, quæ accidunt, antequam corpus ſepulturæ tradatur. Cap. VI.

VERVM enimuero, & ſub ipſummet Beati Viri obitum; dum ſcilicet corpus adhuc inhumatum iaceret, dignatus eſt munerum dator Famulum ſuum præclaris illuſtrare miraculis. Auguſtinus de Magiſtris adoleſcentulus, annorum ferè duodecim, cum ſtrumis iam ſeptennio laboraſſet, peſſimumque in ore haberet vlcus, a condiſcipulis perſentiens, Sanctum quendam Presbyterum in Vallicellanis ædibus defunctum eſſe, & complura per eum patrari miracula; continuò ad ſacrum eius corpus accedens, atque ante feretrum parumper oratione producta, Viri Dei manum reuerenter ſuũ ad guttur admouit: atque illico ſanitate donatur: etenim priuſquam egrederetur e templo, ceratum, quod hærebat gutturi, ſponte excidit, coaleſcit vlcus, & nullæ ſtrumarum notæ amplius apparent. Quo accepto Cardinalis Paleottus, ſuiſmet oculis morbi locum intueri, & quò certior fieret, manibus ſuis contrectare non dubitauit.

2 Domum puer ſe exinde recipiens rem omnem matri enarrat: quæ mox Margaritam filiam, natu minorem, etiam ſtrumis circa collum ſex annos affectam ad Vallicellam deducit. At cum puella Sancto corpori propior fieri non poſſet, mater illam ſuſcipit, ac manu Serui Dei puellæ collum ex altera tantum parte leuiter linit, ex qua ſtatim conualuit: ex altera tangere non licuit, eo quod Oratoris Hiſpaniarum vxor magno cum comitatu ad feretrum appropinquaſſet. Porrò cum filiola cruribus etiam debilis eſſet, pia mater, domum reuerſa, ex floribus, quos e feretro tulerat, decoctione peracta, illius tibias iterum atque iterum fideliter lauat: & puerula ſtatim cœpit expeditè incedere, ac ſi nullam crurium debilitatem vnquam perpeſſa eſſet.

3 Alexander, pueri, puellæque genitor, vir annos natus ſeptuaginta, & eo amplius accuratè perpendens, quæ liberis

R mira-

mirabiliter obtigerant; cum duos fermè menſes oculorum lippitudine adeò angeretur, vt aſſiduè diffluerent lacrymæ; timeretque valdè, ne propterea viſum amitteret; ad Philippi corpus accedens, eius manu ſibi oculis perfricatis, ſtatim ſe morbo recreatum ſentit, ac breui ab illa affectione ex toto liberatus eſt.

4 Eodem planè tempore ex pleuritide quidam alius iacet adoleſcentulus, cumque medici iam deſperatum renunciant. Aegrotantis frater germanus, quibuſdam e feretro ſublatis floribus, quibus ſacrum erat corpus reſperſum, eos iacentis capiti reuerenter imponit. Accedit interim mater; quæ nati faciem liuidam intuita, illum iam mortuum reputans, exuberantibus lacrymis aliò fugit. Matrem proſequitur frater, eamque de appoſitis floribus admonet: quæ protinus reuerſa, filium omnem nigrum illum poſuiſſe colorem conſpicit: & qui linguæ vſum penitus amiſerat, ac neminem dignoſcebat, repentè loquitur, ridet, lecto exilit, ludit. Aduenit poſtea Parochus, vt ſacro eum perungat Oleo, & quem morti proximum credit, omninò iam conualuiſſe comperit.

5.6 Mulier Recinetenſis ſeptimum iam menſem aſthmate adeo vexabatur, vt ægrè quidem ſpiritum ducere poſſet, ſcalæ gradus nullo modo conſcendere, nullatenus quieſcere. Hæc, Philippi corpore adhuc inhumato, ad Vallicellam ſe confert, vbi magna cum fide nonnullos ex floribus, quibus, vt diximus, feretrum reſperſum erat, ad pectus admouet, & extemplo omni prorſus aſthmatis anguſtia liberatur. Iiſdem pariter diebus ipſamet mulier ſcabie affecta, tam horribili, tamque acri, vt caro atramenti colorem præſeferret, vbi primùm eoſdem flores ſibi fidenter adhibet, toto confeſtim corpore emundatur.

7 Maria Iuſtiniana peſſimis caput aſperſa papulis, nullis medicaminibus curari potuerat. Mater renunciato ſibi Philippi obitu, illam quantocyus ad Vallicellam deducit: vbi piè admodum corpus venerata, ex capillis aliquot clam forcipe reſecatis, domum reuerſa, haud dubitans, quin certum filiæ remedium ſortita eſſet, cum iiſdem capillis caput eius perfri-

cuiſſet,

cuiſſet, ſic ait: Te vtique Pater optime deprecor, ob cæleſtes illas cogitationes, quæ menti tuæ, dum viueres, inhærebant, vt filiam meam incolumem reddas. His dictis nata melius ſe habet, ac breui omnino ab illa capitis affectione reſtat immunis.

8 Dorothea Brumana filium ferè trimum habebat: cui erant obtorta crura, genua verò ſic inuerſa, vt opus eſſet vel ſedere, vel recumbere, vel hac, illac brachijs exportari. Et quamquam omnem operam adhibuiſſent ſui, vt ad vnum ſaltem paſſum loco pedem moueret, haud tamen vnquam id obtinere potuerunt. Diu mater optauerat, vt Philippus dum viueret, puello manum imponeret: non tamen potuit. Vbi autem ſibi mortis eius fama innotuit, filium iubet ad Vallicellam a nutrice deferri. Mox ipſa quoque eò ſe confert, & puerulum ex nutricis vlnis aſſumens, nudata illius crura ſacro admouet corpori: & confeſtim a nutrice domum referri mandat. Oratione aliquantiſper in Eccleſia peracta, ad lares reuertitur, cui nutrix obuiam facta, filiolum pedibus gradientem oſtendit: qui deinceps cruribus valens expeditè ſemper inceſſit.

Exenteratur corpus, ac ſepulturæ mandatur. Cap. VII.

NOCTE adueniente ad ſacrum Philippi cadauer aperiendum accedunt medici, & chirurgi: adſunt quoque ex domeſticis quamplurimi. Dum ergo ſectioni incumbunt, ſanè mira res accidit: etenim dum hac illac reuoluunt cadauer, ſuamet ipſe manu, ac ſi ſenſus ineſſet, verenda operiebat. Quod animaduertens Angelus Victorius exclamat: O egregiam hominis puritatem! animum attendite quæſo, quâti Vir hic caſtimoniam fecerit: qui etiam mortuus virginalem adhuc ſeruat pudorem! Idem prorſus feciſſe adnotarunt domeſtici, dum corpus ablueretur. Sectione peracta, aduerterunt tumorem illum, qui ſiniſtro ſuberat late-

lateri, ex duabus mendoſis prouenisſe coſtulis, quas ferè fractas inuenerunt, eaſque ad pugni magnitudinem & amplius in ſublime elatas. De reliquo exta vndequaque integra, & ſine vllo præcordiorum vitio reperta ſunt. Vena tamen arterioſa duplo maior erat, quam ſui natura eſſe ſoleat: cor in pericardio repertum eſt ſine aqua. Inteſtina ergo omnia fictili quodam catino incluſa, ſeorſim in communi ſepulchro condita ſunt.

2 Sed antequam de ſacri pignoris humatione agamus, abs re forſitan non erit, Parentis optimi effigiem ſcripto delineare. Fuit ergo ſtatura corporis ferè media, colore ſubcandido, facie hilaris, exporrecta lataque fronte, non tamen caluitium paſſus: naſus erat ei ſubcuruus, oculi paruuli quidem, & nonnihil introrſum conditi, ſed omninò viuaces, ac cærulei: barba non admodum promiſſa, ſed nigra: etſi poſtremis annis penitus cana.

3 Corpus igitur exenteratum in feretro iterum reponitur, vbi integro ſubſequente die ſpectandum proſtat. Mox, ſexto videlicet Kalend. Iunias, nocte ineunte, vnanimi Congregationis conſenſu, in communi Presbyterorum ſepulchro ſepelitur. Quo audito Cardinales, Federicus Borromæus, & Alexander Medices, cum perpenderent tanti viri dignitati, ac Sanctitati cōmune ſepulchrum non reſpondere, ſeorſim reponendum curant, donec quid de famulo ſuo diſponeret Deus, manifeſtius fieret. Sculpta itaque ærea in lamina nominis, ætatis, & virtutum eius memoria, capſa e nuce arbore confecta, corpus includunt: illudque ea in ædicula, quæ a cornu Epiſtolæ Organum ſpectat, decenter deponunt. Inter exhumandum nulla putredo, tabes nulla, nullus grauis ſpirat odor. Facies decorem ſeruat, vndique membra tractabilia, manus præſertim, vt demum dormientem magis dixeris, quam defunctum.

4 Huc tranſlato corpore, repentè fit populi concurſus; afferuntur donaria, appenduntur tabellæ: nec non a multis ex tumulo ſuauiſſimus odor percipitur: quem inter alios Iulia Vrſina Rangonia, dum orat, ſe frequenter percepiſſe teſtatur;

cumque

eumque odorem hauſiſſe florum, ac roſarum odori perſimilem aſſerebat; quo tum ipſa, tum alij mirificè recreabantur. Hanc nobiliſſimam fœminam, nouam Paulam, appellat Gallonius: & propter charitatis opera in pauperes, & propter magnos, quos fecerat in via Dei progreſſus. Innumeri prætèrea fuere, qui ex ſolo ad tumulum huius Sancti Viri acceſſu, cor ſibi exhilarari, atque ad ſtudium ſe pietatis incendi ſenſere.

5 Verum ſubticendum non eſt, quod octo poſt menſes Auguſtinus Cardinalis Cuſanus, ex inteſtinis Serui Dei modicum quid habere deſiderans, ea exhumari præcepit: quæ adeò recentia, & candida reperta ſunt, ac ſi eo prorſus die humata fuiſſent. Ex ijs igitur bene lotis, & exſiccatis ſumpſit ille quantum libuit: Patribus ex ijſmet portionem non exiguam in theca argentea ingentis valoris honorificè aſſeruantibus.

Poſt ſeptennium corpus in Sacellum transfertur. Cap. VIII.

INTERIM Nerus de Nigris, qui piè ſemper, atque impensè Philippum obſeruauerat, eoque familiariter quam qui maximè vſus fuerat, cum amplas poſſideret opes, maribuſque careret liberis, arcam argenteam ad corpus aſſeruandum conſtruere cogitauit. Presbyteris igitur aperto conſilio; illi primum explorandum eſſe exiſtimarunt, quonam pacto ſacræ ſe haberent exuuiæ. Nonis igitur Martij, quadriennio ab eius obitu, diruto pariete, ac tumulo reſerato, cadauer ruderum fruſtulis vndequaq; coopertum offendunt: veſtes autem vſque adeò tabe confectas, vt luti maſſam potius, quàm veſtium ſpecimen referre viderentur: imò ærea lamina, in qua Beati Viri memoria literis obſignata erat, æruginem contraxerat: & quid tandem manu contrectabatur, in fruſta diſſiliebat. Quamobrem Patres arbitrati ſunt omnia in lutum diſſoluta.

2 Verum cunctis, quæ putruerant, diligenter extractis,

corpus non modò ex toto integrum, ſed pectus præcipuè, ſic nitens, vegetumque, cutem ſic lenem, ac mollem reperiunt, vt admiratione affecti, maxima inſimul perfunderentur lætitia. Accedit, quod medici miraculo id aſſeueranter adſcripſerunt.

3.4 His peractis, Abbas Creſcentius, ſupra ſæpiſſimè commemoratus, capſam cypreſſinam conficiendam curat: in qua, decenter ornata, ſuper purpureum ſtragulum ſericum tertio idus Martij, corpus e veteri capſa extractum, ineunte nocte, nudatum deponunt. Conueniunt ſinguli, tum presbyteri, tum ceteri ex Congregatione, Sancti Parentis corpus veneraturi. Accedunt etiam Alexander Medices, & Federicus Borromæus, gratias innumeras Deo agentes, quod Magiſtri corpus tam viuidum, tamque recens intuerentur. At poſtea tertio videlicet Idus Maij, illud Alexander iubet ſacerdotalibus indui veſtibus, eique caſulam illam ſuperinduci, qua ad ſacrum faciendum poſtremo die, quo migrauit in cœlum, vſus fuerat. Poſthæc idemmet Cardinalis ſertum, floribus ſericis contextum, eius capiti imponit: annulumque ſapphyro nitentem, ſibi detractum, illius digito immittit: quam plurimis itidem floribus ſericis reliquo corpore aſperſo. Pectori argenteam Crucifixi imaginem admouent: faciem verò, quæ ſepulchri humiditatem nonnihil ſenſerat, argento pariter tegunt. Atque ita caſus tulit, vt id quod Vir Sanctus viuens dixerat, re ipſa comprobaretur: argento nempè caput ſuum celatum iri, & corpus non aliter ac ceteras Sanctorum reliquias veneratione colendum. Arcam itaque hoc pacto compoſitam, in eandem ædiculam, quæ a cornu Epiſtolæ organum ſpectat, honorificè reponunt: vbi ad nonum vſque Kalend. Iunias anni ſexcenteſimi ſecundi ſupra milleſimum permanſit.

5.6 Interea Nerus de Nigris, cum ſibi, poſteriſque ſuis, Chriſti Seruum in Patronum delegiſſet, ſe, ſuoſque pariter in Viri Dei familiam publicis tabulis cooptauit: agnatorum videlicet ſuorum inſignia, quæ albo fulgent cane, & Philippi, quæ tribus micant ſtellis, in vnum coniungens. Verum cum,

vt

vt diximus, Nero maſcula non eſſet proles, is ad Philippi opem confugiens, breui a Domino filiolum impetrauit: quem recepti beneficij gratia Philippum nominauit. Eapropter de argentea conſtruenda capſa mutato conſilio, Sacellum in eius honorem ædificare decreuit, eo ornamentorum genere, ac gemmarum pondere onuſtum, quibus hodiè intuentibus patet. Primarium lapidem fundamentis iniecit Franciſcus Maria Cardinalis Tauruſius, vnà cum duodecim numiſmatibus æneis, & vno argenteo: ſingulis Beati Viri effigie, ac ſequenti inſcriptione conſignatis: Beatus Philippus Nerius Florentinus, Congregationis Oratorij Fundator, obijt Romæ anno milleſſimo, quingenteſimo, nonageſimo quinto. Item in ampliori plumbi lamina hæc verba ſculpſerunt: Sacellum hoc in honorem Beati Philippi Nerij Florentini, Congregationis Oratorij Fundatoris, Nerus de Nigris, nobilis Florentinus ob ſingularem in Beatum Virum pietatem a fundamentis, ſuis ſumptibus magnificentiſſime extruendum curauit, anno Iubilei milleſimo ſexcenteſimo, menſe Iulio, die octaua feſti Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Clemente Octauo Pontifice, Pontificatus anno nono.

7 Dum ergo Sacellum conſtruitur Neri filius in eum incidit morbum, pueros infeſtantem, quem Itali variolas appellant: adeoque inualuit, vt puellus neque vocem formare neque ſpiritum vllatenus ducere poſſet. Genitor morientis filioli aſpectum haud ſuſtinens, in adiacentis loci cubiculum ſecedit, lecto recubans: atque hiſce cum Philippo verbis conqueritur: Fieri ne poteſt Beate Pater, vt in Sacello, quod in tui honorem nuper extruendum curaui, filium meum, illumque vnicum ſim depoſiturus? Vix Nerus ita fatus, cum puer Patrem ter quater, pueruli more, compellat: Ad hæc Pitiliani comitiſſa, pueruli ſoror, nuntiat patri, ipſum aduocari a filio. Aduolat Pater; cui puellus: Babba, inquit, conualui: etenim auus me ſanum reddidit (hoc namque nomine appellabat ille Philippum noſtrum, quoniam domeſtici pictam eiuſdem imaginem, Auum eſſe dictitabant) Interrogant, num auia? Et puellus altius inclamat: Non vtique auia,

ſed auus. Cumque præd:ctam effigiem illi conſpiciendam obtuliſſent, ait: Hic, hic me ſanum fecit. Ijs adhuc interrogantibus, quonam pacto; puerulus dexteram capiti admouens, ſe a Philippo manus contactu ſanatum eſſe deſignat. Poſtmodum lac ſugens, quieto corripitur ſomno: inter quem tanta ea cœpit ex auribus fluere ſanies, vt facilè innotuerit, apoſtema, quod latebat in capite, diſruptum eſſe. Pus igitur cum multos iam dies defluxiſſet, puerulus tandem præter ſpem omnem ſanitati redditus eſt.

8 Hoc tanto Nerus cumulatus beneficio ſummam manum Sacello imponit; in quod, omni ex parte abſolutum, nono Kalend. Iunias, anno ſcilicet Domini ſexcenteſimo ſecundo ſupra milleſimum, ideſt, integro poſt Philippi obitum completo ſeptennio, venerabile corpus, clauſis Templi foribus, ex memorata ædicula, piè admodum, ac religioſè depoſitum eſt. Sacræ tranſlationi interfuere (priuatim tamen) Cardinales nonnulli, aliquot Præſules, omneſque Oratorij presbyteri, & confratres. Mane inſequenti Cardinalis Tauruſius primum inibi Miſſæ ſacrificium obtulit: atque exinde maximo ſemper fidelium concurſu cæleſtis hoſtia Deo quotidie immolatur.

Honores ac laudum præconia poſt obitum exhibita. Cap. IX.

QVÆ de Philippi ſanctitatis fama, ob eius, dum vixerat, inſigne virtutis meritum, ac miraculorũ gloriam, percrebuerat; adeo vſque poſt obitum confirmata eſt, vt illicò ad ſepulchrum votiuæ aſportatæ ſint tabellæ. Primam appendit Abbas Marcus Antonius Maffa, Viſitator Apoſtolicus, & Epiſcoporum examini præfectus.

2 Is namque, cum paulo poſt a Philippi obitu putrida corriperetur febri, grauiuſque in dies ægrotaret, neque vllo medicorum leuaretur ſubſidio, huiuſmodi per ſomnium vidit. Cernebat nempè domum, vbi iacebat, vndique ſuccenſam,

ſam,& parietes a fabris aliquot funditus euerti: duoſque viros, qui ſecum erant, ruentis muri mole oppreſſos, animam agere. His perterritus Abbas, Philippi vocem ex improuiſo inaudit, demolitores ita redarguentis: Seruate Abbatem, Abbatem omninò ſeruate: atque illicò omni prorſus periculo ſe liberum agnoſcit. Neque vanum extitiſſe inſomnium euentus edocuit. Quandoquidem experrectus melius ſe habet, & die inſequenti ita conualuit, ac ſi nullo vnquam morbo laboraſſet. Vt igitur Seruo Dei debitam referret gratiam, prædictam tabellam quantocyus ſepulchro appendit.

3 Idem præterea Abbas primam lampadem ante ſepulchrū appendit: quam cum Presbyteri moderationis gratia amouendam curaſſent; ille de re conqueſtus, ad Pontificem adit, atque, vt reponeretur, obtinuit. Quo accepto, illuſtriſſima quædam fœmina, confeſtim argenteam alteram magni ponderis elargita eſt.

4 Hoc ipſo anno Superiorum permiſſu, eius imago Romæ impreſſa fuit, Beati nomine inſcripta, radijs micante coma, & circumquaque miraculorum iconibus exornata. Multæ quoque ex gypſo formatæ ſunt effigies, quas nobiles Viri, ac fœminæ priuatim in cubiculis venerabantur: & Clemens Octauus ex ijs vnam ſuper ſcannulo, atque alteram parieti appenſam inter Sanctorum imagines retinebat.

5 Statim item poſt eius obitum cubiculū in magno apud omnes honore haberi, & ſacri propemodum loci cultu celebrari cœpit, quod in poſterum, tum Purpurati, tum ceteri Præſules, nobiles, ac plebeij, & cuiuſuis conditionis homines inuiſere conſueuerunt. Aediculæ verò vbi corpus aſſeruabatur, non modo qui accedebant, oſculabantur parietes, ſed ruderum quoque fruſtula e muro extrahentes, domum deuotionis ergò deferebant: ac multi e pauimento etiā puluerem aſportabant. Vidiſſes itidem flores, quibus exornari ſolebat ſepulchrum, certatim decerpi; nonnullos quotidiè Sacellum inuiſere; & alios nudis pedibus accedere: qui fere omnes multis ſe diuinitus beneficijs cumulatos eſſe teſtati ſunt.

6 Anno poſtmodum elapſo, anniuerſario recurrente die, mul-

multis adſtantibus Præſulibus, etiam Purpuratis, Miſſa (diei tamen currentis) ſolemni ritu, ſplendidoque apparatu decantari cœpit: nec non Veſperis ſolemniter decantatis, in eius honorem Panegyricus ſermo haberi.

7 A viris tum doctrina, tum virtute conſpicuis in Philippi laudem, quamplurima edita ſunt encomia. Primo Gabriel Cardinalis Paleottus, in ſuo, quem retulimus, libello de Bono ſenectutis his verbis ipſius præconia proſequitur: Hæc ò pie, & beneuole Lector, fuerant iam a nobis non ſolum conſcripta, atque in hanc ferè formulam redacta, ſed etiam vnà cum toto opere abſoluta, ita vt nihil aliud, quam eadem typis imprimi ſuperesset. Sed ecce æternum ſummi rerum moderatoris conſilium, Vir Dei, nonnihil quidem paulo ante affectus, ita tamen vt in cubili nõ detineretur, nec a conſuetis actionibus impediretur, momento nobis ereptus fuit, atq; ab hoc exilio, ad cæleſtem patriam euocatus, ſeptimo Kalend. Iunij. Quo exitu tam improuiſo, & præter opinionem noſtram ſecuto; nos tamen priſtinum conſilium, quo Senem præſtantiſſimum tanquam viuum exemplar ad bona ſenectutis comprobanda proponere ſtatueramus, minime immutandum duximus. Quanquam enim quarto circiter abhinc menſe viſus ille fuerit oculis noſtris mori; viuit tamen in regione viuorum veram vitam, vt ob pias & præclaras illius actiones ſperandum eſt. Viuit etiam in terris in hominum bonorum, & piorum memoria. Viuit præſertim in Vrbe ROMA, vbi permultos omnium ordinum ſpirituales filios reliquit, quos genuit in Chriſto. Viuit inter alumnos Congregationis ſuæ varijs in locis diſperſos; quorum etiam aliqui ad Chriſti oues gubernandas a Summo in terris Paſtore, & Chriſti Vicario, in regiones longinquas miſſi ſunt. Et paulò inferius: Quæ tam præclara eius opera, cum in dies magis augenda, atque omnibus eſſe vtique patefacienda ſit ſperandum: nos eiuſdem etiam effigiem exprimendam hoc loco curauimus, vt eos conſoletur, qui eum vt parentem in Chriſto dilexerunt; alios, vt eius nominis fama permoti, ad illius imitationem excitentur: denique vt poſteri perpetuum habere

re

re in conſpectu monumentum poſſint, vnde bona ſenectutis agnoſcere, atque iam (vt par eſt) reuereri aſſueſcant. Nam de eius morte, & migratione in Dominum, cum fuerit illius peregrinationis exitus reliquo ſanctiſſimæ vitæ curſui antea-cto conſentaneus, & ille ita plane, ſicuti vitam egit, eandem etiam concluſerit, non ſine magnis illius ſanctitatis argumentis, nos hæc alijs plenius enarranda relinquimus, &c. Huc vſque Paleottus.

8 Cardinalis Federicus Borromæus in Epiſtola ad Antonium Gallonium ita fatur: Optimè quidem noſti, quanto ſemper honore Virum hunc ſim proſecutus: neque etiam te ignorare crediderim amorem meum erga illum, qui ab eius obitu, non ſolum non eſt imminutus, ſed ſanguinem, ſi res poſceret, pro eius memoria quam libentiſſimè effunderem.

9 Cardinalis Auguſtinus Cuſanus: Placitum, inquit, eſt Deo, beatam hanc animam, tot Chriſtianis virtutibus exornatam, poſt octoginta ferè annos in Chriſti ſeruitute conſumptos, ad cælites euocare, de quo illud meritò ſacræ paginæ dictum afferre poſſumus: Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Et illud: Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum. Ita Cuſanus. Porro tanta extitit Purpurati huius in Philippum pietas, vt non longè poſt eius obitum, teſtamenti tabulas confecturus, poſt Deum ipſum, ipſamque Virginem, poſt Apoſtolorum Principes, & Diuū Auguſtinum animam ſuam Beato Philippo commendatam voluerit.

10 OctauiusCardinalis Bandinus: In vno, inquit, Philippo virtutum omnium mihi videtur coactum compendium: omniaque ornamenta in eo concurrere, quæ ſparſim in ceteris Sanctis admirari ſolemus.

11 Cæſar Cardinalis Barronius in notis ad Martyrologium Romanum duodecimo Kalend. Septembris, opportunam nactus occaſionem Beati Philippi Benitij Florentini, huiuſcemodi Encomio Philippum noſtrum extollit. Non hoc vno tantum Beato Philippo nobiliſſima ciuitas Florentia exornatur, ſed & altero eiuſdem nominis, Inſtitutore, ac Patre noſtro

no-

noſtræque Congregationis Oratorij de Vrbe Fundatore, Beato Philippo, cognomento Nerio, ſanctitate, & puritate vitæ, atque eximia in Deum & proximum charitate clariſſimo, quem Sanctorum conſortio in cœlis perfrui miracula crebra teſtantur.

12 Hieronymus verò Cardinalis Pamphilius: Longè latèque, inquit, huius Beati Patris, ob inſignia, quæ Dominus in eos, qui ad eius opem confugiunt, operatur miracula, fama indies circumfertur. Equidem ipſe quotidianis ab eo affectus beneficijs, fore vtique ſpero, vt omnibus meis in rebus ſim ab ipſo auxilium conſecuturus: meque illi totum trado, eius tutelæ me totum committo, eumque aſſiduè precor, ne ſuum mihi vnquam patrocinium deneget.

13 Ceterum de Philippi virtutibus, & ornamentis quamplurimi ſcripſere: ſed præcipui, Rutilius Benzonius Epiſcopus Lauretanus in libro, quem de Sancto Iubilei anno conſcripſit; Ioannes Baptiſta Tuphus, Cerræ Epiſcopus, in Annalibus Clericorum Regularium; Siluanus Razzius de Geſtis Sanctorum Hetruriæ; Alphonſus Villegas in Flore Sanctorum; Archangelus Gianus in Hiſtoria memorati Philippi Benitij Florentini; Thomas Bozzius de Signis Eccleſiæ Dei & de Ruinis gentium; & Franciſcus Bocchius de Elogijs ciuium Florentinorum: alijque permulti, quos omittendos conſultò iudicauimus.

14 In eius itidem memoriam hac, illac plura expoſita ſunt monimenta: ſed Romæ præcipuè Iulius Sanſedonius, priuſquam Groſſeti Epiſcopus eligeretur, in xyſto domus Sancti Hieronymi a charitate, Philippi imaginem, alumnorum corona circundati, pingendam curauit, hac, vt ibi cernitur, inſcriptione ornatam: Beato Philippo Nerio Florentino. Vt vbi triginta tres annos eximia Sanctitatis, & miraculorum laude claruerat, innumeriſque ad Chriſti obſequium traductis, prima Congregationis fundamenta iecerat; ibi aliquod eius rei monimentum extaret; Templi huius domus, ac Sacerdotum Deputatus, annuente pijſſima Congregatione Charitatis, Parenti in ſpiritu optimo benemerenti poſuit.

Ka-

Kalend. Septembris. M. D. C. V. Subdam, quod cum annis præteritis domus illa incendio conflagrauit, vt ideo opus fuerit alteram a fundamentis conſtrui, porticus, vbi prædicta conſpicitur imago, illæſa omninò permanſit.

15 Complura inſuper ſtatim ab obitu Beati Senis ad eius ſepulchrum allata ſunt donaria. Auguſtinus Cardinalis Cuſanus culcitram acu mirè elaboratam detulit. Alphonſus Cardinalis Vicecomes ex Congregatione noſtra ad eundem ornatum & is pretioſum ſericum dono dedit. Porrò deinceps populus Romanus calicem argenteum & cereos aliquot, in eius feſto quotannis deferri ex decreto ſanciuit. Bauariæ Dux lampadem argenteam pretio aureorum mille, quæ ante eius altare perpetuò arderet, elargitus eſt. Et Carolus Cardinalis a Lotharingia lampadem alteram pariter argenteam appendi voluit: ac deinceps a viris, fœminiſque primarijs, quàmplurima in dies pretioſa afferuntur munera.

16 Anno poſt eius obitum quinto eius vita ab Antonio Gallonio, Viro Dei intimè charo, conſcripta, & Apoſtolico diplomate Beati nomine inſignita, in lucem prodijt: quam ipſemet Clemens Octauus paſſim ſibi perlegi voluit: præterquam quod illam ex numero Purpuratorum quinque Proceres, ſequentibus atteſtationibus approbarunt: Omnia, quæ de Beato Philippo Nerio conſcripta ſunt, partim proprijs me oculis vidiſſe, partim certo grauiſſimorum virorum ſermone atteſtor ego. N. &c.

17 Clemente verò Octauo e viuis ſublato, qui illi ſucceſſit Leo Vndecimus, a Principibus viris rogatus, vt Carolum Borromæum inter cælites declararet: Næ ego, reſpondit, Beatum Carolum inter Sanctos adſcribam, verumetiam & Philippum Nerium haudquaquam prætermittam: etſi morte præuentus neutrum efficere potuit.

18 Paulus Quintus ad Summi Pontificatus apicem euectus, Dei Famulum quanti fecerit, illud ſatis oſtendit, quod cum inter Beatos, dato diplomate, enuntiauit: ac diuinum recitari officium; Miſſamque de eo celebrari permiſit: nec non Chriſti fidelibus indulgentiam, quam dicunt plenariam,

in

in eius die feſto, viuæ vocis oraculo, Vallicellæ Templum inuiſent bus eſt impertitus.

19 Quanta demum fuerit in Philippum obſeruantia, cultus, & amor Gregorij Decimiquinti, exploratum ex hoc habeto, quod adhuc Cardinalis, non ſolum verbo, ſed etiam per literas ſignificauit, ſe vtique, ſi cælitus aliquando daretur, vt Petri ſedem conſcenderet, Philippum Sanctorum catalogo ſine vlla cunctatione adſcripturum. Quod vbi poſtmodum contigit, quam citiſſimè præſtitit. Enim verò ipſum anno a Christo nato milleſimo ſexcenteſimo ſupra vigeſimum ſecundum, Beati Gregorij Magni feſto die, in Baſilica Sancti Petri, vnà cum Beatis, Iſidoro, Ignatio, Xauerio, nec non Tereſia, maximo omnium plauſu Philippum noſtrum Sanctorum cœtui adſcripſit.

20 Eius porrò inter Diuos relatione peracta, altius cœpit, ac latius in ipſum augeri populorum pietas, ac religio: ita vt non modò per Italiam, verum etiam per Gallias, Hiſpanias, & Germanias, celebres habitæ ſint in eius honorem ſupplicationes, & preces: nec ſilentio inuoluendum arbitror, quod Eliſabetha Hiſpaniarum Regina, quo die Matriti aliorum quatuor ſupplicatio ſolemnis agebatur, Philippi noſtri ſimulacrum, pretioſiſſimis gemmis onuſtum, vnà cum ceteris circumferri voluit.

Constructa ſunt itidem templa, altaria erecta, imagines expoſitæ, atque a multis ciuitatibus, & oppidis, quæ ſibi Philippum in patronum adſciuere, ritè promulgata ſunt decreta, vt eius feſtus dies non aliter, ac ſi celebrandus ex præcepto foret, a ciuibus coleretur. Dominicana verò familia in generali Capitulo, ſtatuto firmauit, vt eiuſdem feſto recurrente die, officium quotannis a ſuis de ipſo recitaretur.

Ad quantam demum ſanctitatis dignitatem Philippi gloria, ac decus hodie effloruerit, innumera ſupplicum vota, quæ ad eius ſepulchrum appenſa conſpiciuntur, & crebra quæ vndique perferuntur miraculorum teſtimonia, ſatis ſuperque demonſtrant.

VITAE
S. PHILIPPI NERII
LIBER QVINTVS.
De Miraculis dum vixit.

Miracula edita ſigno Crucis. Cap. I.

QVONIAM ſuperioribus libris a Philippi natalibus exorſi ad eius vſque obitum orationem produximus; virtuteſque illius rebus admirandis illuſtratas hucuſque proſecuti ſumus; iam ſupereſt, vt cetera illius beneficio patrata miracula, ſupra conſultò prætermiſſa, hîc apponamus: fore ſperantes, vt qui legerint, non minorem inde fructum, quam ex vitæ lectione ſint percepturi. Quandoquidem legentes, inſpicienteſque Philippi ſanctitatem tot ac tantis miraculis comprobatam, ad virtutum eius imitationem auidius alliciuntur.

1 Primùm igitur (vt incipiamus a noſtris) Prometheus Peregrinus, Congregationis Presbyter, atrociſſimis actus doloribus cholicis, eò deuenerat, vt inteſtina ſibi euelli viderentur. Dum ergo dolor magis ac magis intenditur, laborantem Philippus inuiſit, eique dexteram imponens, morbi locum ſignat ſigno Crucis; & quaſi per iocum, nihil eſſe proferens, ipſum ab omni prorſus doloris cruciatu liberum reddidit.

2 Antonia Caractia, febri putrida, laterumque cruciatibus vehementer affligebatur: quibus quindecim integros dies affecta decumbebat, & iam nihil prorſus ſe loco mouere poterat; quamobrem vir eius, vxoris valetudinis cupidus, rem omnem Philippo ſignificat, qui, Abi, inquit, orabimus. Verum inualeſcente morbo, mulier neque ſomnum capere, neque cibum vllo pacto ſumere valebat. Vir ergo ad Philippum reuertitur, dicens: Antonia iam agit animam. Et is: Dixi modò, ne dubites, nihil erit, vade, ipſe veniam: ſtatimq; ad infirmam accedit. Et vbi dolor? interrogat. Illa dexterum oſtendit latus. Tum Philippus affecto loco manu impoſita, ſignoque Crucis edito, ſubijcit: Nihil eſt, & abijt. Vix ille terga verterat, cum omnis continuò morbus ab ægrota receſſit. Volebant domeſtici conclamare miraculum: at infirma: Silete, inquit, ne id Pater iniquius ferat: iuſſa enim ſum ab illo biduum vel triduum iacere, ne extemplo conualuiſſe videar.

3 Angela Lippia multos iam annos humerorum dolore vexabatur, ex quo, præterquam quod ſpiritum ducere vix poterat, ſic erat dextero brachio debilitata, vt illo vti nullatenus poſſet. Iulia filia his verbis matrem alloquitur: Perge quæſo ad Philippum, eumque precare, vt vel ſemel orationem Dominicam, aut ſalutationem Angelicam te ſuper recitet: ac ſanitatem omninò recipies. Natæ conſilio paruit Angela. Cui Philippus: Cur ipſa, quæ te miſit, quod dicis non exequitur? Ad hæc mulier triſtis abibat, dum fœminam commiſeratus: Eia, inquit, oremus ſimul, preſſaque manu, vbi vehementior erat dolor; locum ſigno Crucis obſignat: & confeſtim mulier ſanitatem conſequitur.

4 Virginia Martellia oculorum lippitudine premebatur. Ad Philippum ergo accedens demiſſius rogat, vt ſibi remedium ab Omnipotente obtineat. Tum Chriſti Famulus ex vaſculo, qui aderat, aquam digito ſumens, eadem laborantis oculos deliniens, cruce ſignat: & mulier ab oculorum morbo protinus liberatur.

5 Maria Paganella teſtatur, ſe a capitis dolore ſæpiſſimè ſana-

ſanatam hoc vno, quod Philippus ſuper eius fronte crucis ſignum digito delineaſſet: quapropter quotieſcunque per Eccleſiam tranſiret, ipſi propior facta eo ſigno ſignari efflagitabat: & nihil de morbo ſignificans, ſanabatur. Id quod ſibi etiam contigiſſe affirmat, quandocunque ſtomacho laboraſſet,

6 In Turri Speculorum Iſabellæ Mareriæ erat cellula iuxta foueam calcis nuper aquis aſperſæ ſita. Accidit ergo, vt ſumma nocte exhalans ex calce vapor, cubiculum penetraſſet, ac locum vndique omnem oppleuerit: ita vt fœmina ad matutinas horas more ſolito conſurgens, vertigine preſſa, retrorſum ceciderit: cumque iterum, atque iterum ſtare contenderet, iterum pariter, ac tertio corrueret. In lectulum itaque delata, ad menſem iacet: & quoties ſurgere conatur, toties vertiginem patitur. Medicus veritus ne ex improuiſo ægrota decederet, per noctes eam cuſtodiri iubet. Interim Vir Dei illuc ad alia ſe contulit: quod cum ipſa reſciſſet, ſurgens ad eum adit, morbumque narrat. Cui Philippus: Confide, inquit, conualeſces; eiuſque caput manibus conſtringens multis illud ſuperſignat crucibus. Atque illico Iſabellæ putidus è naribus defluxit humor, pauloque recreata, breui redditur ſanitati.

Manuum contactu. Cap. II.

NOBILIS Romanus graui affectus vlcere, vſque adeò angebatur doloribus, vt vix vnquam requieſcere liceret: valdè inſuper ſuſpicans, ne forte morbo illo affectus eſſet, qui ſacer ignis vulgò nuncupatur. Ex hoc ergo perterritus, conſilij inops, Philippum adit: qui accedentem reſpiciens, antequam is proferat verbum: Claude, inquit, fores: affectumque locum oſtende. Paret, & mox Vir ſanctus, oculis in Cælum ſublatis, ſolito cum tremore fundit preces, atque vlcus iterum, ac ſæpius manu pertractans, confeſtim ægrotum ab omni penitus morbo liberum reddidit. Quod cum æger animaduertit, exclamat: Sanctus profecto

es, o Pater: Vrbem vniuerſam percurram, teque vbique ſanctum procla mabo. Cui is, ori impoſita manu, ſilentium indicit: nec prius eum abire ſinit, quam ille, ne verbum quidem de re facturum polliceatur. Spondet vir nobilis: ſed Philippo defuncto, rem totam, vt acciderat, etiam iuriſiurandi interpoſita religione recenſet.

2 Petrus Victricius Parmenſis, dum Cardinali Boncompagno inſeruiebat (fuit is Gregorius Decimus tertius) tam graui detentus eſt morbo, vt medici de eius vita omninò diffidentes, ægroti curam intermiſiſſent. Ad hunc ergo venit Philippus, cubiculumque ingreſſus, & oratione peracta, manum ægrotanti imponit. Mirum! æger illicò ſanitatem conſequitur: qui poſtea domo egreſſus, ſingulis, quotquot occurrebant, ſe Philippi orationibus ſanitatem conſecutum prædicabat. Qua de cauſa vſque adeo ſe Beato Viro deuouit, vt eum in Confeſſarium delegerit, ac ter in hebdomada culpas confiteri, ac cęleſti cibo refici conſueuerit: qui annum agens nonageſimum ſeptimum, bonis operibus cumulatus diem obijt.

3 Mauritius Anerius, graui quoque decumbebat morbo: adeoque ſtomachi doloribus affligabatur, vt linguæ vſu, pulſuque deſtitutus, ferè mortuus cenſeretur a medicis. Ad eum ſe confert Philippus, qui propior lecto factus, flexo genu aliquantiſper, vt ſolitus erat, precibus inſiſtit. Mox ad eos, qui aderant: Semel quæſo orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitetis; equidem hoc ex morbo hominem obire nolim. His dictis laborantis capiti, ac pectori admota manu, tacitus abit. Vix diſceſſerat, cum Mauritius ſe doloris expertem ſenſit; arteriarum motum, vſumque fandi recuperat, ac die inſequenti planè vegetus è lecto exſurgit.

4 Erat vir iſte, antequam Philippi conſuetudine vteretur, ſecularibus negotijs valde addictus: & quippe qui raro per ſacram confeſſionem expiabat ſeſe; vxori quoque interdixerat, ne ad pœnitentiæ ſacramentum tam frequens accederet: immò nominatim vetuit, ne Beatum virum vllo modo adiret. Retulit illa ſingula ad Philippum: qui ne ab incœpto deſiſtat,

fœmi-

fœminam hortatur: aſſerens quamprimum maritum quoque rerum diuinarum ſtudioſiſſimum futurum. Nec verbum a facto abfuit: etenim non multo poſt Mauritius Philippum eligit in Confeſſarium, & exinde dum vixit, plurima pietatis opera ſedulus exercuit.

5 Erat Mauritio filius, Ioannes Franciſcus nomine, annum agens fere decimum quartum. Is cum in febrim putridam incidiſſet, eò deuenerat, vt medici haud amplius ægrotantem inuiſerent. Dum ergo adoleſcens decem ac ſeptem dies ſine cibo, ſine motu decumbit, nullo reliquo vitæ ſigno, quam quod leuiſſimum ſpiritum ducere deprehenderetur, Iulia Vrſina Marchioniſſa Rangonia id intelligens, moribundum inuiſit, grande hoc, vt aiebat, prodigium intueri deſiderans. Præſentit hæc omnia Philippus: qui mox accedens, cubiculum ingreſſus, & conſueto more effuſis precibus, rogat adſtantes, vt ſemel orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitent. Deinde puero imponens manum, frontemque validè premens, matrem aduocat: eamque ferè per iocum ſic alloquitur: Belle factum, ſinere filiolum alimenti inopia deperire, afferte vinum. Afferunt, & ipſemet Philippus adoleſcentis ori vini parum inſtillat, quod is paulatim deguſtans, poculum integrum hauſit. Et confeſtim reuocatur ad ſenſum, melius habet, & paucis poſt diebus lecto exiliens, ſanus euadit.

6 Carolus Vrſinus, annos natus ferè tredecim, pleuritide laborabat: & iam medici de eius ſalute actum dicebant. Quapropter ægrotantis mater eo conſilio Philippum acceſſit, vt morientis filij confeſſionem exciperet. Accedit, lectoq; propior factus, quot aderant dimiſſis, puerum interrogat, quo loco vrgeat dolor? ſub pectoris ſiniſtra parte reſpondet. Tum Dei ſeruus flexis genibus, locum affectum manu comprimit, quæ iacenti viſa eſt ſibi vſque ad viſcera penetraſſe. Confeſſione exinde excepta, Philippus animaduertens inualuiſſe morbum; quod ipſi pœnæ loco pro peccatis agendum iniunxerat, ſe pro eo acturum ſpopondit: ſubditque: Ne dubites: ex hoc enim morbo haudquaquam morieris, &

 abijt.

abijt. Vix receſſerat, cum filius matrem compellans ait: Euge mater, conualui. Dicto fidem mater non præſtat. Iterat ille: Reuera conualui, cibum afferunt, guſtat, & placide obdormit. Accedens poſtea medicus, ipſum planè valentem reperit.

7 Fabius, itidem Vrſinus in febrim peſtilentem inciderat, adeoque inualuerat morbus, vt iam linguæ vſum amiſiſſet, oleoque ſancto inunctus animam ageret. Sed quoniam is antea Marchioniſſæ Rangoniæ amitæ ſignificauerat, ſe Philippi precibus valde fidere, cupiens illa nepotis deſiderio facere ſatis, Dei famulum aduocari iubet. Venit, ac febrientis caput manu prehendens, pectus ægrotantis pectori ſuo admouet. Æger interrogat, quiſnam? Se Philippum eſſe, reſpondet: petitque, cuinam loco inſit dolor? Cordi inquit ille. Tum ſanctus in ea corporis parte collocata dextera eam valide premit, quam Fabius glacie frigidiorem ſentit. Vix Philippus id egerat, cum Fabius dicit amitæ: Conualui: lectoq; inſidens, ſumma cum medicorum, & propinquorum admiratione ſanus exſurgit.

8 Ioannes Baptiſta Bonipertus, de quo alibi mentionem fecimus, acerbiſſimo capitis dolore torquebatur. Accedit ad hominem Philippus, eiuſque capiti impoſita dextera, bis ab imo pectoris ſuſpirium ducit, nec alio adhibito remedio repente æger ſe ab omni dolore liberum ſentit.

9 Anno a Chriſto nato quingenteſimo nonageſimo ſupra milleſimum, Abbas Marcus Antonius Maſſa, ſupra ſæpè commemoratus, quoniam propter Tyberis inundationem vndique morbi per Vrbem graſſabantur, maligna febri, capitiſque dolore iactatus, in vitæ diſcrimen deuenerat. Eum inuiſit Dei famulus, ac more ſolito, pectus pectori admouens, vtraque manu caput eius obſtringit; exultanſque corde, nonnihil orat, & diſcedit. Hoc vno Abbas confeſtim ab omni prorſus morbo conualuit.

10. 11. Ardentiſſima febris, vehemenſque capitis dolor Ioannem Baptiſtam Creſcium inuaſerat: quo tantopere affligabatur, vt ſibi malleis contundi tempora viderentur, eaq;

prop-

propter impatiens, iam e feneſtra in puteum ſe abijcere cogitarat. Accurrit accerſitus Homo Dei, quem æger aſpiciens, ſupplex orat, vt ſibi, quod non poſſet diutius ſuſtinere, vel doloris mitigationem impetret, vel mortem. Tum Philippus dexteram capiti imponit, eique ſuadet, vt ſtudio pietatis Virginis clientelæ ſe committat, culpaſque deuitet. His dictis ceſſat dolor, remittitur febris, & paucis poſt diebus integræ redditur ſanitati. Hunc adhuc infantulum æque pariter manuum contactu ab oculorum lippitudine Philippus liberauerat.

12 Liuia Veſtria, Valerij Vrſini vxor, de qua ſupra pluribus egimus, cum vertigini valde obnoxia, per menſem, & amplius capitis dolore contorta iacuiſſet, quodam die nonnihil leuata, vim ſibi inferens, Vallicellam adit. Vbi dum per ſacram confeſſionem peccata expiare conatur, repente ſibi caput circumuerti ſenſit: quapropter is qui confeſſionem eius excipiebat, Philippum aduocandum curat. Accedit, & ægrotantis capiti impoſita dextera ait: Nihil mali. His dictis, ſubito tum vertigo, tum dolor abſceſſit, neq; deinceps fœmina huiuſmodi morbo amplius laborauit.

13 Alexandri Vitelleſchij vxor, cui nomen Sigiſmunda de Ruſticis, cephalea quaſi perpetua vexabatur. Solebat eo tempore vir ſanctus, abſolutis Oratorij exercitationibus, ad familiæ huius hortos vnà cum ſuis, relaxandi animi gratia, ſe conferre. Quo in loco contigit, vt, dum ipſe accedit, etiam Sigiſmunda adeſſet, quæ cum grauius quam vnquam capitis morbo angeretur, Philippo aduentanti obuiam properat, ſanitatemque enixius expetit. Qui caput eius vtraque comprimens manu mulierem protinus liberam mittit, quæ nunquam vlterius capitis dolore torquetur.

14 Catharinæ, Hieronymi Ruiſſij filię, quintum circiter annum agenti, cruſtulæ quædam peſſimæ circa nares obortæ fuerant, quæ multis vſa medicamentis, etſi vis morbi videbatur initio remitti, ab ijs tamen poſtea acerbius angebatur. Quare mater filiam Philippo curandam offert, qui infantulam ſic male affectam cernens, commiſeratione percitus, tabidas ei

nares contrectat dicens: Ne dubites, nil erit. His dictis confeſtim morbi vis ſe fregit, ac breui in priſtinam valetudinem reſtituitur.

15 Petrus Ruiſſius, Catharinæ germanus frater capitis dolore grauiter vexabatur. Genitor enixius Philippum rogat, vt filio ſanitatem obtineat. Cui: Expediret, inquit, filio mori, ſed quoniam miſeret me tui, omnem dabo operam, vt præpotens Deus illum ſanitati reſtituat, & protinus adoleſcentis frōti manum imponens, ipſum omnino liberum reddit. Ex hoc Hieronymus tantam Philippo fidem adhibere cœpit, vt alterum filium, ipſum quoque capitis dolore grauiter affectum, varijſque ſymptomatibus obnoxium ad eum miſerit, vtique ſanitate donandum. Nec ſpes irrita: etenim ſtatim ac Philippus puerum manu tangit, eidem continuo ſanitatem impertit.

16 Victoria Vareſia in ſiniſtro humero dolore correpta, tantoperè cruciabatur, vt neque ſomnum capere, neque lecto cubare iam poſſet. Quamobrem non oblita ſe aliàs à ſancto Viro valetudinem conſecutam, ipſum adit, quamque grauiter ægrotet, exponit. Is quaſi per iocum: Vah, inquit, mihi ſemper negotium faceſſis, & mox: Vbinam dolor? Et illa humerum ſibi tangens, indicat inibi ſubeſſe morbum. Tum Philippus brachio erecto partem affectam pugno impetit, dicens: Ne dubites, conualuiſti. Et illicò mulier recreata eſt, quæ necdum domum peruenerat, cum ab omni ſe penitus affectione liberam cognoſcit.

17 Erſilia Bucca grauiſſimo affecta morbo iacebat, & iam a medicis morti proſcripta veluti vita functa deplorabatur a ſuis. Maritus Philippum rogat, ne laborantem vxorem dedignetur inuiſere. Annuit ille, atque accedens: Ex hoc, inquit, morbo Erſilia neutiquam morietur, propiorque factus, ægrotæ capiti manum impoſuit, dicens: Pone metum, haudquaquam morieris. His illa verbis ingenti perfuſa gaudio, illicò remiſſo morbo, poſt triduum plane conualuit.

18 Lucretia Garzia, e mammis altera tam diro vexabatur vlcere, vt medici iam decernerent candenti ferro partem affectam

ctam adurere. Fœmina, tametſi iuſſa fuerat lecto iacere, ignis tamen cruciatum expaueſcens, Philippum adit, remque totam enarrat. Is illam commiſeratus interrogat, in qua corporis parte ſit vlcus. Locum indicat mulier, & ipſe partem ægrotantem manu tangens, more ſuo: Ne dubites, inquit, etenim poſthac optimè te habebis. Vix domum reuerſa, dum ad menſam diſcumbit, ex improuiſo exclamat: Quid hoc? nullus me amplius diſcruciat dolor, videorque, ni fallor, ſanitati penitus reſtituta. Inſpicit, explorat, ac ſe ex integro ſanatam reperit. Chirurgi poſtea accedentes, vt ferrum candens morbo adhibeant, fœminam planè liberam inueniunt.

19 Laura, Hieronymi Moroni filia, annos ferè tredecim nata, morbo tam graui vexabatur, vt velut defuncta a parentibus deploraretur. Sacro igitur inuncta oleo, necnon veſtibus, cæteriſque paratis ad exequias peragendas, genitori in mentem venit, Philippum accerſere, vt nempe natæ iam ſpiritum exhalanti precibus auxilietur. Accedit ergo Philippus, cumque illa, clauſis iam oculis, nec verbum proferret, en Dei Famulus, ſpiritu exultans, ſolitoque tremore obæſtuans, in Lauræ faciem inſufflat, & quaſi iocans colaphum impingit, capilliſque apprehenſam hac illac eam agitat, iubetque venerandum Ieſu nomen edicere. Mirum! ad hæc, quæ iam iam moritura erat, oculos aperit, Ieſu nomen enunciat, continuò melius habet, breuique in priſtinam valetudinem vindicatur.

20 Iulia Lippia duobus fere annis capitis doloribus, qui quoties ingruebant, biduum, vel triduum tenere conſueuerãt, præter modum affligtabatur. Cum igitur ad Vallicellam quodam ſe die contuliſſet, vt Miſſæ ſacrificio intereſſet, extemplo doloribus huiuſcemodi tanta vi corripitur, vt ſe loco mouere neutiquam poſſet. Sedet ergo, ac tranſeunte Philippo: Pater, tam grandi, inquit, capitis dolore teneor, vt ad repetendam domum vires non ſuppetant. Ipſe tunc mulieris caput vtraq; manu comprimens, ſolito actus tremore, interrogat, quomodo ſe habeat? Melius quidem, reſpondet, ſed non reuera planè valeo. Tum ſanctus validius premit, ac ſecundo interrogat,

quomodo valeat? Cui iam ſe prorſus valere teſtatur, atq; ita dolorum omninò expers domum reuertitur.

21 Catharina Corradiana, tam diro oppreſſa morbo decumbebat, vt iam oleo ſancto inuncta animam ageret. Acceſſit Philippus, eique impoſita manu, quoniam cantores aliquot ſecum duxerat, iubet pia quædam carmina, quibus frequenter Ieſu nomen repetitur, eos concinere. Parent, & ad concentum mulier ſe confeſtim leuari ſentit, ac breui conualeſcit. Dum vires recuperat, dęmon ſæpius fœminam perturbare non ceſſat, ita vt illi videndum ſe obijciens aliquando dixerit, curnam malus ille Philippulus ad te venit? Verum ſagax mulier nihil reſpondens, ſolis precibus callidum profligauit hoſtem.

22 Intellexit aliquando Pater optimus, Clementem Octauum Pontificem Maximum ob chiragræ dolores lecto defixũ iacere. Ad ipſum ergo pergit, quem Pontifex introeuntem aſpiciẽs, vtpote qui nec etiam linteamina præ cruciatus acerbitate attrectari permittebat, iubet, ne propior fiat. Is tamen conclaue penetrat. Exclamat Pontifex: Caue, ne tangas. Ne dubites Beatiſſime Pater, ſubdit Philippus, & continuò illius dexteram, cui dolor inerat, ſolito actus tremore, apprehendit, & validè premit. Ad contactum: Perge, ait Pontifex, perge tangere: ſummo enim afficior ſolatio; abſceſſerat repente dolor. Teſtatus eſt id ſæpiſſimè ipſe Clemens, & vel maximè in Congregatione examinis Epiſcoporum.

23 Placuit diuino Numini hoc idem repetere miraculum per famulum ſuum Iuuenalem Ancinam, Epiſcopum Salutiarum, de quo alibi locuti ſumus, cuiuſque vitam præteritis annis Italice conſcripſimus. Etenim Chriſti anno ſexcenteſimo ſecundo ſupra milleſimum contigit, vt in vrbe Foſſani Thomas Baua, inibi tunc Præfectus, ac poſtea Senator Taurinorũ, chiragra laboraret, quem Iuuenalis inuiſens, vbi primum illum eſt intuitus, nullis præmiſſis alloquijs: Morbus, inquit iſte tuus, o Baua, hunc in modum a Patre meo Philippo depellebatur: & interim chiragricam manum prehendere nititur, quam æger, veritus ne ſibi dolor augeretur, illico retrahit.

At

At Iuuenalis iubet bono animo eſſe, manumque infirmam arripiens iterat: Hunc in modum Pater meus Philippus Clementem Octauum a chiragræ cruciatibus liberum reddidit. Vix verba protulerat, cum Thomas doloris omnis fit expers, digitos pro libito flectit, pluries manum in pugnum cogit, neq; vnquam deinceps eiuſmodi morbo vexatur.

24 Conſimile quoddam accidit Attilio Tinozzio. Hic nempe cum podagræ doloribus eatenus cruciaretur, vt neque ſe tangi permitteret, a Philippo inuiſitur, & quomodo ſe habeat interrogatur: Male, reſpondet ille, ſed caueas ne pedem omnino tangas. Cui vir ſanctus: Ne dubites, ſubdit, & pedem continuo prehendens, ſigno Crucis obſignat, & confeſtim æger a doloribus liberatur, & qui antea ſæpe podagræ morbo laborabat nunquam in poſterum vexatus eſt.

25 Ioannes Manzolius, de quo alibi mentionem fecimus aſſerit, ſe quandocũq; vel chiragra, vel podagra laboraſſet, nullũ aliud adhibuiſſe remediũ, quam ſanctum adire Parentem, eumq; rogare, vt partem affectam manu tangeret, atque vno eius cõtactu repente ſanatum, quod pariter complures ſibi contigiſſe teſtati ſunt.

26 Denique id Philippo tam ſolemne erat, vt ęgros nempe ſola impoſita manu a morbis liberaret, vt Cardinalis Taruſius dicere ſolitus eſſet: Sancta, ac ſalubris illa manus ſolo ipſo contactu & ſolabatur afflictos, & ſanabat ægrotos. Et Angelus Victorius Philippi medicus, frequentiſſimè cephalea liberatus, aiebat, ſe potius a Philippo reportaſſe remedia, quam dediſſe.

Precibus, & Oratione, Cap. III.

LAVRENTIVS Chriſtianus, in Baſilica Vaticana Clericus Beneficiatus, cuius Philippus confeſſiones excipiebat, febri grauiſſimè torquebatur, eoque redactus erat; vt ſumpto Viatico, ſacroque linitus oleo, iam animam efflaret. Huic igitur cum aſſiſteret vir Dei, ſolitis actus tremoribus, ſpirituſque exultatione percitus; penes ægrotantem

genu nixus in preces ſe effundit. Quibus abſolutis, Laurentius, inquit, nunc vtique non morietur, propiorque factus, dexteram capiti eius imponit, & ex nomine compellat. Æger repente oculos aperit, vocem Philippi agnoſcit, atque a febri continuo liberatur.

2 Bartholomæus Fuginius Romanus, morbo tam valido conſternatus iacebat, vt extrema vnctione munitus, iam penè mortuus a medicis haberetur. Angelus Vellius, qui erat ei a cõfeſſionibus, ſub veſperum, adſtantibus multis, a Philippo interrogatur, quomodo ſe habeat ægrotus? Moritur, reſpondet Vellius: etenim medici vix in craſtinum ſuperſtitem aſſerunt. Tum Philippus ad ſuos: Vultisne iuuenem mori vel viuere? Reſpondent omnes: Si fieri poteſt, viuat. Subdit Philippus: Quinquies quiſque recitet Pater, & Aue. Parent illi, & mane Fuginium penitus conualuiſſe comperiunt.

3 Barſum, Alexandrinæ Eccleſiæ Archidiaconus, alibi commemoratus, tabida febri affligtari cœpit, & quoniam ſanguinem expuebat, de illius ſalute medici ſpem omnem abiecerant. Hieronymus Vecchiettus, quippe qui Barsũ ex Ægypto Romam deduxerat, ad Philippum ſe confert, ipſumque rogat, vt Archidiaconum grauiter ægrotantem Deo commendet. Dum igitur Philippus Sacrum facit, ægrotantem, qui nuper tres dies, noctéſque inſomnes tranſegerat, placidiſſimè quieuiſſe comperiunt. Iubente poſtea viro Dei Barſum ad ſe adduci, Hieronymus nuntiat, vt lecto ſurgat, currumq; conſcendat: ſic enim, inquit, imperat Philippus. Reſpondet ille, id ſe facere neutiquam poſſe. Inſtat Hieronymus, vt omninò ſurgat, vel ex hoc vno quod Philippus ita præcipit. Barſum igitur ſumptis animis ſurgit, & curru vectus ad Philippum properat. Pater optimus venienti occurrit, eumque oſculatus amplectitur, magnoque animi ſenſu in mutuis amplexibus aliquantiſper inhærent. Barſum verò, quod vires interim ſibi toto corpore augeri ſentiat, Philippum rogat, vt protrahat preces, ſperans a Deo excelſo (ſic namque Dominũ Deum appellabat) vel ex hoc ſanitatem conſecuturum. Spondet Vir Dei, eoſque ad Federicum Cardinalem Borromeum

meum, certi cuiuſdam negotij cauſa pergere iubet, a quo dum recedunt: En, inquit Barſum, omnino conualui. Nec a dicto veritas ab fuit. Etenim paucis poſt diebus ſic vegetus efficitur, vt qui eum prius ægrotantem viderant, hominem ex facie non dignoſcentes, per iocum dictitarent: Hic non eſt Barſum, ſed alius ei perſimilis.

4 Is non multo poſt Alexandriam reuerſus, & Philippo iam defuncto, Romam iterum rediens, cum apud Clementem Octauum orationem haberet, ſingula, quæ in Vrbe beneficia perceperat, ſingillatim recenſuit, inter quæ & de valetudine, quam Philippi precibus conſecutus fuerat, longam, & honorificam mentionem fecit.

5. 6 Ioannes Manzolius, paulo ante commemoratus, cũ ferè ſeptuageſimum ageret annum, dyſenteria ſimul, ac febri correptus, tanquam morti proximus oleo ſancto inungitur, qui nepotem aduocans: Abi, inquit, ad Philippum, eumque meo nomine deprecare, vt ſacerdotem mittat, qui morientis animam Deo commendet, mihique vita functo ſepulchrum pro arbitrio decernat. Paret nepos, & Philippus mittit Matthiam Maffæum, Sacerdotem ſibi charum. Ceterum cum edixiſſent medici ægrotantem poſt duas horas haud dubiè moriturum, iamque agnati lugubres appara ſſent veſtes, necnon Sodalitij Miſericordiæ confratres ad funus aduocati fuiſſent, Mõtes Zazzara ex ijs vnus, mane Philippo nunciat, Manzolium ex hac vita migraſſe. Reſpondet vir Dei, Manzolium haudquaquam obijſſe, quinimmo ex hoc morbo neutiquam deceſſurum, & ſub his Maffæum aduocat, interrogatque quomodo ſe habeat ægrotus? Summo mane, inquit, iam animam egiſſe accepi. Subdit Philippus. Longè abeſt a verbo res: reuertere; eumque tuiſmet oculis fac ipſe videas. Pergit, rem miram! hominem reperit viuum, ac bene valentem. Quandoquidem ſanctus eadem nocte multas, ardenteſq; pro ægroto preces effuderat, vt quid cęlitus impetraſſet, optimè nouerat. Rogauerat olim Manzolius Philippum, vt ſibi morienti aſſiſteret, qui reſpondit: Prius ego moriar, quam tu. Nec verbum cecidit: Mãzolius namque duos annos Philippo ſuperſtes fuit.

Alexan-

7 Alexander Coruinus, vir nobilis, & in Romana Curia diu verſatus, grauiſſimo affectus morbo iacebat: cum ex improuiſo Philippus ad ſuos ait: Alexandro conſulendum eſt. Ægrotum igitur repente adit, atque apud illum (erat enim ibi ſacellum) Miſſæ ſacrum facit, ac dum rem diuinam proſequitur, tanto amoris æſtu agi cœpit, totque abundare lacrymis, ſingultuſque emittere, vt planè diceres certam a Domino ſalutem ægroto impetraſſe. Miſſa peracta ægrum bene ſperare iubet, ac valetudinem pollicitus diſcedit. Poſt biduum Coruinus lecto exiliens in aulam ſe confert, ac vegetum ſe oſtendit.

8 Pompeius Paterius Congregationis Presbyter, febri laborabat valde graui, quem Philippus inuiſens, hominis confeſſionem excipit, conſuetiſque actus tremoribus, cum pauliſper oraſſet, eius capiti manum admouet, inquiens more ſolito: Ne dubites. Ad hæc tantummodo verba Pompeius repente leuatur, appetentia reſtituta cibum ſumit, ac penitus conualeſcit.

9 Aliàs Vir ſanctus Noſocomium S. Iacobi, quod vocant Incurabilium, ingreſſus, ibi ægrotum reperit ſenſuum munere deſtitutum, qui linguæ vſu amiſſo, & Crucifixo ex more appoſito, accenſaque face animam exhalabat. Tum Philippus, ſpiritu exultabundus, atque in genua prouolutus orat, nec non ad orandum, quotquot aderant, cohortatur, & ſtatim ad ſenſus is reſtituitur. Inde ægrotum ſubleuari, lectoque inſidere, ac cibos apponi iubet. Poſtera die è ſuis vnus redit, vt infirmum reuiſat, quem omnino valentem reperit.

10 Victoria Vareſia, quod ei dextera manus ex maligna fluxione intumuerat, acerbis affligabatur doloribus, quæ multis licet fuiſſet vſa remedijs, quotidie tamen deterius ſe habebat, iamque partis affectæ nerui obriguerant. Quamobrem ad Philippum ſe conferens, ſic fatur: Fluxio hæc, quam patior, corpus ferè totum inuadit, iamque vereor, ne dextera obſtupeſcat. Cui ille, ſublatis in cælum oculis, ſolitoque tremore concuſſus, ſua ipſe manu partem dolore affectam premit, ac bene ſperare iuſſam dimittit. Illa domum rediens cogitat,

gitat, num præſtet manum ſolitis fouere vnctionibus, vel potius ceratum abijcere, dum hæret: Nonne, inquit, Philippi ſanctitati confido? Nonne conſequendæ ſanitatis in eo ſpē omnem poſui? Quid adhuc hæſito? & confeſtim auulſum ceratum in ignem proijcit. Quo peracto manum expedite flectit, munia, vt prius, exercet, ac breui ad valetudinem priſtinam reſtituitur.

11 Ioannes Baptiſta Guerrius, ex Congregatione Confrater, ſacellum in Eccleſia ſub veſperum texto holoſerico adornabat, cum ſubito è ſcala prolapſus, quæ ad palmos quinque & viginti ſurgebat, caput marmori allidit, fitque mortuo haud abſimilis. Accurrunt, hominem tollunt, lecto collocant, medicoſque aduocant. Ex his alij iam actum pronunciant, alij verò aperiendum vulnus craniumque terebrandum cenſent. Res interim ad Philippum defertur, qui ſtatim ad orationem confugit, imperatque, vt & ceteri orationi inſiſtant. Poſt hęc Angelus Victorius medicus Patrem accerſit, teſtaturque lapſi vulnus lethale. Subriſit tum Philippus, dixitque: Nunc hominem vita priuari nolo, & orationis vi illum a Domino impetrabo. Nec irrita verba, quandoquidem eademmet nocte ęgrotus placide dormit, ac mane ſolita experrectus hora, è lecto exiliens ad munia properat, lecto tamen decumbere iubent, quem ſuperuenientes medici, cum febri, ſpaſmoque laborare putarent, valentem omninò reperiunt.

12 Bertinus Riccardus Vercellenſis, Congregationis etiā frater, acuta corripitur febri, ſtatimque in phreneſim lapſus ad mortis confinia vergebat. At quoniam nec ſacramenta ſuſceperat, neque ſuis vllo modo rebus proſpexerat, illum Philippus commiſeratus, apud Deum precibus inſtat, vt æger & ſacramenta percipere, & rebus ſuis conſulere valeat. Poſt preces is continuò ad ſanam mentem reuertitur, peccata confitetur, Euchariſtiam ſumit, teſtamentum condit, atque omnibus abſolutis, iterum in phreneſim incidit, & ritè oleo ſancto inunctus diem claudit.

13. 14 Res non abſimilis accidit in Noſocomio S. Spiritus cuidam ægroto. Philippus etenim vnà cum ſuis illuc ingreſſus:

greſſus, Eamus: inquit, quo me Deus aduocat, rectaque tendens, hominem reperit, qui iam linguæ vſu amiſſo ſpiritum exhalabat. Quapropter orationi totum dat ſeſe, nec longo temporis interuallo ægrotus linguæ vſum recuperat, conſcientiam exonerat, viaticum accipit, Deoque gratias agens, pacatiſſimè moritur. Acceſſerat enim is ad Noſocomium, ſed vi morbi oppreſſus, ſacramentalem confeſſionem præmittere non valuerat.

15 Demum quod alijs vir ſanctus precibus, & oratione frequenter obtinuit, ſibi quoque, & non raro, in periculis conſtituto a Deo obtinuiſſe conſtat. Hæc duo tantummodo ex pluribus apponemus exempla. Ibat aliquando vnà cum ſuis curru vectus ad ſeptem Vrbis Eccleſias, cum repente magnus adeò è cælo cœpit imber depluere, vt regredi oporteret. Dum itaque ad Tyberis ripam, quæ ſubeſt Auentino, perueniunt, pluuia adeo vias inundarat, vt currus in foueam inciderit. Sed iuuante Deo, antequam profundius demergatur, è poſteriori currus parte cuncti exiliunt: Philippus autem ad viciniorem Eccleſiam oraturus proficiſcitur, ceteris ad quærendos bubalos, vt molem extrahant, pergentibus. Vix Pater ſanctus genua flexerat, cum equi ſponte vnà cum curru, ſaluis omnibus emerſerunt.

16 Aliàs itidem vnà cum ſuis in biga vectus, ſeptem obibat Eccleſias: cumque inter eundum ceteri è curru deſilijſſent, ipſe ſolus in eo permanſit. Interim pons anguſtus occurrit, cum ecce binæ currus rotæ viſæ ſunt ex pontis latere per aërẽ ferri, quod videntes, qui pedibus gradiebantur, exclamant, Ieſu: currus tamen ſecurus tranſijt, rem ſingulis miraculo tribuentibus. Poſt hæc arenaria fodina pariter ſe offert, quam etiam inoffenſus prẹter opinionem euaſit, quamquam nobiles quædam matronæ paulo poſt in eandem fodinam prolapſę peſſimè ſe haberent, etenim diſrupto curru ex equis alter perijt, & vni ex matronis brachium, & alteri crus diſruptum eſt.

Imperio

Imperio morbos pellit. Cap. IV.

MALE affecta iacebat Anna Morona,& paulatim adeo ſæuiebat morbus, vt quaſi mortua cenſeretur a ſuis. Eam inuiſit Philippus, ſolitoque correptus tremore, dextera ſuper eam impoſita, illam nomine compellat: Anna dic mecum: Domine, iubet Philippus adhuc me viuere. Mulier dum verba repetit, ſubito recreata eſt, & conualeſcit.

2 In Turri Speculorum Maria Felix a Caſtro centum ferè dies febri laborauerat, cumque ad extremum vitæ diſcrimen propemodum deueniſſet, Dei Famulum accerſit, qui accurrens interrogat, quonam morbo laboret? Febri,reſpondet. Confide, ſubdit, ne dubites, ſimulque impoſita dextera ait: Impero tibi, o febris, vt ab hac Dei creatura diſcedas. Vix dixerat, cum febris abſceſſit, neque amplius mulierem affecit.

3 In eadem prorſus domo Sigiſmunda Capozucchia, ad quintum fere menſem quartana ægrotauerat, cumque Philippus eo ſe forte contuliſſet, mulier rogat, vt ſibi a Domino valetudinem impetret. Cui is, manum attollens: Nolo te, inquit, deinceps febri torqueri. Diſceſſit Philippus, diſceſſit pariter & febris.

4 Moram trahebat quondam cum ſuis, ad quem ex improuiſo acceſſit homo, quendam ei ægrotantem maximopere commendans. Subriſit Vir Dei, conuerſuſque ad eos, qui aderant, ait: Vultisne ægrotum hunc benè valere? Reſpondent omnes: Etiam. Tum ad nuncium: Vade, inquit, dicaſque laboranti: Philippus inhibet te mori. Paret, verba refert, confidit ægrotus,& conualeſcit. Hoc idem ſibi accidiſſe fatentur plurimi.

5 Ægrotabat Congregationis coquus, vir tam probus, tamq; Deo charus, vt quoties piſces exenteraret, mundaretque, atque aliò interim properandum eſſet, felibus cuſtodiendos committeret, qui diligentiſſimè dictis obtemperabant. Quoniam igitur Philippus hominem magnopere diligebat, ei

Cæſa-

Cæſarem Baronium aſſiſtere iuuet, qui propter aſſiduos, quos ideo tolerabat labores, in febrim incidit. Mandat illi Pater, vt ſuo nomine febrim recedere iubeat, qui Beato Parenti fidens ait: In nomine Philippi impero tibi, o febris, vt a me diſcedas. His dictis induit ſe veſtes, lectoque proſiliens, ſanus effectus inſeruire coquo proſequitur.

6 Antoninæ Raidæ, optimæ fœminæ aliquando dixerat: Caue, ne vnquam ægrotes, quin prius ægrotandi facultatem petieris. Idcirco mulier quotieſcunque præſentiebat ſibi morbum ingruere, Philippum adibat, dicens: Placetne Pater, vt ægrotem? ſi reſpondebat: Placet, morbus inualeſcebat, ſin autem negabat, confeſtim abibat. Id quod ſæpenumero ſibi contigiſſe teſtatur.

7 Alteram non minoris probitatis fœminam, multos iam dies lectulo recumbentem Philippus inuiſit, imperatque, vt die inſequenti ad audiendum Sacrum Eccleſiam adeat. Mirum! ipſa nocte recedit febris, conualeſcit, & mane in templo ſancti Hieronymi Miſſæ ſacrificio intereſt, neque amplius eo morbo laborat.

8 Alexander Illuminatus è Confratribus Congregationis, ac ſancti Parentis ſeruituti deſtinatus, aperta pectoris vena, ſanguinem expuebat. Quapropter Philippus die quodam illum ad ſe aduocans, ait: Nolo te amplius hoc morbo vexari. His ſolummodo prolatis verbis nunquam amplius Alexander ſanguinem expuit.

9 Idem ferè contigit Petro Focilio, quem morti proximũ Philippus inuiſens, matri ſibi obuiam occurrenti, dicentique: Pater adiuua me. reſpondit: Ne dubites, ſiquidem filius tuus non morietur: ipſum enim nunc mori nolo. Et illicò ægrotus melius habet, & conualuit.

10 Quidam vſu membrorum penitus deſtitutus, Ambroſius nomine, nec etiam lectulo, niſi plurimorum ope ſuffultus inſidere poterat. Ad ipſum acceſſit Philippus, dicens: Ambroſi ſurge. Et continuo ægrotus erigens ſeſe, lectulo inſidet, & paulò poſt perfectæ redditur ſanitati.

Ægro-

Alijs ægrotantibus variè opitulatur. Cap. V.

TORQVATVS de Comitibus graui affli&tabatur morbo,quamobrem Taurusius hominem rogat,vt Philippo peccata confiteatur, ex hoc fore ſperans, vt corporis ſanitatem conſequatur. Annuit is, & illico Vir Dei accerſitur. Vix Torquatus dimidiam peccatorum confeſſionem peregerat, cum ſe protinus ſanitati reſtitutum percipit.

2 Ex oppido Palumbarię, quod non admodum ab Vrbe diſtat, ruſticus quidam grauiſſimo affectus morbo, Romam ſe confert, Philippumque rogat, vt ſibi a Deo vel ſanitatem impetret,vel ſaltem leuamen.Cui Vir ſanctus hoc vnum adhibet remedium, ſacramentalem videlicet confeſſionem, qua peracta ruſticus planè conualuit. In Patriam reuerſus, cum quod ſibi contigerat, diuulgaſſet, videntes conterranei eum bene valere, complures ſimili morbo obnoxij Romam veniſit: Philippumque adeuntes: Et nos, inquiunt, ſanari volumus abs te, vt nuper ſanaſti conterraneum noſtrum, eorumque ſimplicitatem Homo Dei demiratus,eorum confeſſiones inaudit, & Palumbariam exhilaratos dimiſit.

3 Eugenia Manſueta menſes ferè octodecim maximo cōficiebatur mœrore, quod nempe naribus peſſimum inhæreret vlcus, naſuſq; adeo intumuerat, vt non ſolum in publicū prodire, ſed etiam coram domeſticis ambulare puderet. Multis ergo adhibitis medicinæ ſubſidijs, nullum prorſus leuamen recipiebat. Solebat mulier lineos panniculos, quibus cauterio curando vtebatur Philippus, abluere. Quamobrem ex ijs vnum,quem ſanguine magis conſperſum viderat,magna cum fide ſuis ipſa naribus admouit. Mirum! vlcus continuo euanuit, neque amplius huiuſmodi morbo fuit obnoxia.

4 Lucretia Citara, Romana, quarto iam menſe vterum geſtans, ita ſanguinis profluuio contabuerat, vt plurimis vſa remedijs, nullam opem ſentiret. Reſcit rem Caſſandra Raida, quæ ſancti Viri linea vtenſilia abluenda apud ſe tunc habebat: quapropter fœminam commiſerata, Philippo inconſulto, li-

neum eius pileolum ad eam defert: Iſtud, inquit, eſt pileolum Patris noſtri Philippi Nerij, quod ſi cum fide morbo adhibueris, fore ſpero, vt haud dubiè conualeſcas. Paret Lucretia, ac repente omni prorſus morbo fit libera. Cognouit diuinitus rem totam Philippus, qui ab hominum plauſibus abhorrens, durius Caſſandram increpat, atque vtenſilia ſibi quantocyus reddi iubet.

5 Stephanus Calcinardus, ferè menſem continenti febri laborauerat, qui tandem ſtomacho diſſoluto, alimentum retinere non valens, ſancto perunctus oleo, in extremis verſabatur. Franciſcus Zazzara hominem inuiſit, ac de capillis B. Patris adhuc viuentis, ſecum deferens, dixit: Si fore confidis, vt tibi per merita Patris noſtri Philippi valetudo reſtituatur, hos tuo pectori capillos imponam: Confido, reſpondet. Capillis igitur ſtomacho appoſitis, illico obdormiſcit, cumque ad horam quieuiſſet, euigilans recepta appetentia cibum ſumit, retinetque, mox recedit febris, & quarto poſt die planè conualeſcit.

6. 7 Hercules Corteſinius Carpenſis, cum Romæ apud Montem Zazzaram hoſpitatus eſſet, tot, ac tanta de Philippo a domeſticis narrari audiuit, vt magno exarſerit deſiderio, ſanctum Virum videndi, & alloquendi. Hoſpitem Franciſcus Zazzara ad beatum Virum perducit, qui vbi Senem videt, totus ſacro metu inhorruit, flexiſque genibus benedictionem efflagitat, ac ſe ex animo orationibus commendat. Inde diuertens, Philippo viſo, erga eum adeo affectus remanſit, vt dixerit: Virum reuera ſanctum hodierna die intuitus ſum. In patriam poſtea reuerſurus, cum modicum quid, deuotionis ergò, de Philippi veſtibus poſtulaſſet, ſoleas ex lana binas a familiaribus impetrauit, obtenta inſuper ab ipſomet Philippo B. Virginis, quam dicunt, corona. Carpium ergo redijt: at verò cum menſe Auguſto iter pedibus feciſſet, tanto capitis dolore correptus eſt, vt ob eius vehementiam certo loco ſtare non poſſet. Quare Philippi vtenſilia ab Vrbe delata recogitans, vxorem aduocat: Affer ad me, inquit, quidquid in ſacculo Roma detuli. Riſit mulier, ſoleas illas ex lana intuita,

dixit-

dixitque: Ecquid mi vir hiſce rebus opus? ſubdit Hercules: Os contine, tantummodo morem geras. Obtemperat illa, atque is, ſoleis illis ſibi fronti appoſitis, ſic orat: Quæſo te Domine pro mea erga Patrem Philippum pietate, vt me ab his doloribus immunem reddas. Vix verba protulit, cum capitis dolor euanuit. Non multo poſt prædicti viri nepos, pleuritide correptus, animam penè efflat. Quapropter domeſtici ex prædictis ſoleis alteram ægro ſuperimponunt; & mox pleuritis diſrumpitur, conquieuit febris, & ægrotus redditur valetudini.

8 Patritius Patritius, de quo alibi facta eſt mentio, ſtomacho doloribusq; colicis iactatus, lectulo decumbebat, quē Germanicus Fidelius, Philippi iuſſu, inuiſens amicè ſalutat. Is, continuo ſic illum affatur: Audi Germanice rem planè miram, ſed vtique veram, hac ſiquidem nocte, cum acerbiſſimè cruciarer, conſilio, & ope vndique deſtituto, venit in mentem Philippus noſter, cui me, ac ſi adeſſet, commendans, hæc habui: Pater Philippe adiuua me: ora pro me. Nondum ſermonem hunc enunciaueram, cum dolor omnis receſſit, & valeo.

9 Laborans ipſe Germanicus inteſtinorum dilapſu, multis vſus remedijs, deterius ſemper habebat, tandem ad Philippum confugiens, euangelicum illum imitatus, ait: Pater, ſi vis potes me ſanare. Reſpondet ille: Ne dubites, ſanaberis. His Philippi verbis fretus reijcit medicamina, ac ſanitatem conſequitur.

Ex partu periclitantes iuuat.
Cap. VI.

ILLVD etiam cælitus obtinuit Philippus, vt pro parturientibus orans, a periculis partus ſæpiſſimè liberaret. Nouariæ, Ioannis Baptiſtæ Boniperti fratria octo iam menſibus prægnans, magno cum vitæ diſcrimine abortum fecit: quo per litteras accepto Bonipertus Philippum adit, & rem enarrat. Ad quem is: Scribe, inquit, ad fratris tui vxo-

 rem,

rem, nolle me eam amplius partum edere immaturum, quæ litteris acceptis, non ſolum eo, quo detinebatur, periculo euaſit, ſed in reliquo vitæ curſu, cum duodecim exinde peperiſſet liberos, feliciſſimè ſemper partum edidit,

2. 3 Delia Buſcallia Vicentina: cum ſeptimo iam menſe vterum geſtaſſet, octauum ingreſſa, dimidium enixa fœtum, illumque mortuum, animi deliquio corripitur, cumque iam corpus obriguiſſet, & cor ſolummodo nonnihil palpitaret; medicos vocari obſtetrix audiens exclamat: Quidnam? remedia non ab homine, ſed cęlitus petenda ſunt, quinimmo atteſtor, quod ſi fœtum vi abſtraxeritis, in fruſta proculdubio conſcindetur, & repente parturiens ſpiritum efflabit. Duobus amplius diebus huiuſmodi angoribus torqnetur Delia, poſt quos maritus Philippum aduocat, qui cubiculum ingreſſus, mulieri imponit pileum, oculiſque in cęlum ſublatis flexis genibus illacrymans: Heus vos, intonat, orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam quinquies repetatis. Deinde ſurgens, ægrotantis auribus, ore admoto, altius inclamat: Delia. Cui mulier: Quid me Pater iubes? vt omnes ſanctitati ſtudeăt, reſpondit Philippus. Vtinam faxit Deus, ſubdit illa: male prorſus habeo Pater. Tum Philippus: Ne dubites, conualeſces, eaque ſigno Crucis communita diſceſſit. Scalas nondum euaſerat, cum comitanti marito dicit: Reuertere, vxore nimtua ſanitatis beneficium eſt conſecuta. Redijt, atque vxorem benè valentem reperit, quæ eadem prorſus nocte, ad res domeſticas peragendas, ac ſi nullo laboraſſet morbo, è cubili ſurrexit. Eandem Deliam pleuritide aliàs ægrotantem valetudini vir ſanctus reſtituit.

4 Fauſtina Capozucchia, Domitij Cecchini vxor, ſeptimo iam menſe grauida, tam vehementi oppreſſa eſt morbo, vt poſt dies duos & viginti iam ſpiritum exhalatura videretur. Inuiſit eam Dei Famulus, oculiſque in cęlum conuerſis, dexteraque manu ægrotantis fronti impoſita, ait: Domine huius fœtus animam volo, eam omnino volo Domine, ſtatimque receſſit. Poſt paululum redijt, eademque verba pronuncians iterum diſceſſit. Interea Fauſtina fœmellam parit,

quæ

quæ ſacro renata fonte, non multo poſt tum ipſa, tum mater è vita migrarunt.

5 Olympia Troiana, difficillimo vexata partu, mortuæ ſimillima decumbebat, eamque lugebant domeſtici. Cum ergo nullum ſupereſſet humanum ſubſidium, mulier, quæ Philippum veluti ſanctum venerabatur (audierat enim multa per ipſum patrata miracula) illum aduocari iubet. Vir pius fœminam commiſeratus, & ne fœtus præcipuè ſine baptiſmo interiret, ad mulierem properat, cubiculumque ingreſſus, oratione peracta, ei tantummodo manum imponit, & recedit. Vix abſceſſerat: cum mulier facillimè partum emittit, ſanitatem inde adipiſcitur, & fœtus ſacri fontis lauacro ablutus, cælitum choris adnumeratur.

6 Erſilia, de qua paulò ante diximus, quo tempore vterum geſtabat, eam opinionem menti defixerat, ſe nempe ex partu omninò morituram, adeoque in hac perſiſtebat ſententia, vt ipſam dimouere nullus poſſet. Hac igitur de re nimis anxia, quodam die, dum è templo diſcedit, in Philippum incidit, qui hæc ei dumtaxat verba ſuſurrat: Vide quid ineptula ſibi in animo fingit! eique manum imponens benè ſperare iubet. Mirum! repente compreſſo mœrore omnino exhilarata paucis poſt diebus facillimè fœtum emittit.

7 Aliæ præterea multæ, Philippi precibus adiutę, feliciter pepererunt, quas de induſtria prætermittimus. Ceterum non omittendum, quod tametſi Philippus beneficia temporaria a Deo ſub conditione expeteret, quod tamen ad parturientes attinet, abſolutè dicebat: Id mihi Domine omnino concedas volo, vt ſcilicet infantes naſcituri ſacro baptiſmatis fonte renaſcerentur. Solitus etiam fuit, ne videlicet mira, quæ quotidie in fœminarum puerperijs eius opera a Deo fiebant, eius attribuerentur meritis, quoddam inuolucrum ſecum deferre parturientibus valde proficuum, aſſerens quaſdam illic inesse Reliquias, neque ſe vnquam illud ex partu laborantibus impoſuiſſe, quin plurimum vel matri, vel ſoboli profuiſſet.

8 Cleria Bonarda, Claudij Nerij vxor, quotieſcunque eſſet paritura, grauiſſimè laborabat. Grauida cum ergo eſſet, ſibi

timebat valde: quapropter Philippus imminente partus tempore inuolucrum ad laborantem mittit, quod illa ſibi cum reuerenter applicuiſſet, tanta facilitate fœtum enixa eſt, vt vix ſe peperiſſe animaduerterit. Id quod multis alijs accidiſſe ferunt.

9 Sancto tum inde Parente defuncto, è ſuis nonnulli ſcire cupientes, quidnam inuolucrum iſtud contineret, multis explicatis globulis, nihil planè inuenerunt, præter lineum ſudariolum, cuius medio parua inerat crux, purpureo conſuta ſerico, necnon denarium S.Helenæ, ex his nempe, quæ infantium collo appendi ſolent. Ex quo perceperunt, Virum Dei illud ad parientes deferre, vt hunc in modum non ipſi, ſed pijs, ſacriſq; rebus, vt diximus, miracula adſcriberentur.

VITÆ

VITAE S. PHILIPPI NERII LIBER SEXTVS.

De Miraculis poſt obitum.

Miracula edita præcordijs S. Viri. *Cap. I.*

CETERVM non ſolum præpotens Deus dignatus eſt ſeruum ſuum Philippum miraculis illuſtrare, dum viueret, ſed etiam vita functum ijſdem illuſtriorem reddere ſibi placuit. Non tamen neceſſe duximus ſingula hic recenſere, quę poſſent, ſed ex ferè innumeris illa potiſſimum afferre, quæ ad ſolidam eius ſanctimoniam declarandam ſatis eſſent.

1 Prior igitur omnium occurrit Monialis, Theodoſia nomine, in Monaſterio ſanctæ Luciæ in ſilice profeſſa, quæ annos quindecim, & amplius lienis tumore affecta ægrotauerat, eoque inualuerat morbus, vt vix ſpirare iam poſſet. Cum ecce ad Monaſterium nonnullæ deferuntur reliquiæ ex inteſtinis ſancti Viri, quo audito eas ſibi exhiberi enixius rogat obtentaſque loco affecto fidenter apponit, ac repente conualuit, neque in poſterum huiuſmodi morbo laborauit.

2 Iacebat Neapoli ex laterum dolore Ioannes Antonius

Lemmarus, cumque adhibita remedia nihil prodeſſent, Beati Patris auxilium, cuius apud ſe imaginem detinebat, implorat. Interea Lucretia filia genitori ægrotanti in mentem reuocat præcordiorum particulam, quam is a Patribus Neapolitanæ Congregationis ſub Inſtituto ſancti Philippi, acceperat, hortaturque, vt oratione Dominica, & Angelica ſalutatione recitatis, ex iiſdem minimum quid ebibat, fidatque opē haud dubie impetraturum. Accipit Lemmarus natæ conſilium, dictiſque ſemel Pater, & Aue, quod vlterius proſequi non valeret, memoratam imaginem piè intuitus, Reliquiæ modicum in vinum infuſum haurit, ac protinus obdormit. Experrectus vbi primum ſe valētem ſentit, miraculo oppreſſus in lacrymas effluit, exinde ſurgit, ad imaginem properat, figit oſcula, ac familiam conuocat, atque oſculandam ſingulis imaginem porrigit, iterum atque iterum dicens: Conualui. Poſt hæc argenteam tabellam ad altare ſancti Philippi iuſſit appendi, & quot annis in peruigilio feſti ſancti Viri ieiunium familiæ indixit, ſibique præterea eius in honorem diebus ſingulis hymnum: Iſte confeſſor, recitandum præſcripſit.

3 Angina mox laborans eius filia, gutture tumefacto, voceque intercepta, in vitę diſcrimine verſabatur: quapropter Lemmarus pater, natæ vicem reddens, eaſdem Reliquias capiti eius apponit: Ecce, inquit, o filia, ſancti Philippi Nerij Reliquiæ. Recites ergo velim orationem Dominicam, ac ſalutationem Angelicam, nec dubites, quin ſanitatem conſequaris. Obtemperat, & ſequenti die ſic valens exſurgit, ac ſi nullo vnquam faucium morbo decubuiſſet.

4 Eiuſdem agnationis vir, podagræ doloribus grauiter afflictabatur, qui quoties ingruebant, ad quindecim ferè dies minimum perdurabant. Fruſtulum de inteſtinis Viri Dei in aquam infuſum ebibens, luceſcente die ſe penitus doloris expertem ſentit.

5 In prædicto ſanctæ Luciæ in ſilice Monaſterio, febri, capitis dolore, & maxima hepatis obſtructione dudum iacuerat Monialis, Geltruda nomine, quæ decem & octo menſes, tum mane, tum veſperè vehementibus correpta deliquijs in extremo

mo vitæ diſcrimine verſabatur: eoque redacta erat, vt nec amplius adſtantes ex facie dignoſceret, nec cibi quidquam ſumere iam valeret. In his conſtituta anguſtijs, nutibus, vt potuit, extremum ſacræ vnctionis iuuamen expetijt. Interea ex monialibus vna, fruſtulis quibuſdam de præcordijs S. Philippi allatis, ecce, ait, Reliquiæ, quas tu tantopere efflagitaſti (extra Monaſterium enim deportatæ fuerant) ſtatimque eas admouet ægrotanti. Rem miram! Vix quarta horæ pars interceſſerat, cum ægra ſe leuatam ſentit, viſum recuperat, loqui incipit, gratias agit, ac ſæpius exclamat: Iam valeo, ſiquidem B. Philippi reliquiæ me ſanitate donarunt. Moniales hæc audientes, Geltrudam delirare putabant, vel (vt dicitur) mortis leuamen eſſe dicebant. Illa tamen melius habere perrexit, ac breui viribus priſtinis reſtituitur.

Capillis. Cap. II.

QVONIAM verò, vt diximus, Viro ſancto adhuc in humanis agente non exiguam ex capillis eius quantitatem, pro re nata, ſui collegerant, viſum eſt Deo poſt Philippi obitum plurima per eos perpetrare miracula. Catharina Lotia, ad octauum circiter menſem vterum geſtans, cœpit pleuritide peſſimè laborare. Ingruunt interea partus anguſtiæ, atque infantem parit, faciem habentem tumidam, nigroque colore ſuffuſam. Obſtetrix, quæ artem probè callebat, inter vlnas infantem excipiens, omnem adhibet curam, vt cognoſcat, verène fœtus viuat, quem omninò vita functum intuita, ingemuit, eo maximè, quod ſine baptiſmo infantulus deceſſerat: attamen Deiparæ rem commendans, partem capillorum ſerui Dei apud ſe habere meminit, quos maxima cum fide, ac pietate ſupra exanime corpuſculum apponit, oculiſque in cęlum verſis, ſic orat: O ſancte Pater Philippe beatam deprecare Virginem, vt extinctus hic puellus ad vitam reuocetur, ne ſine baptiſmate vſquequaque pereat. His ferè dictis reuixit infantulus, ſacroque fonte ablutus vigeſimo ab ortu die migrat ad Dominum: poſt quintum

tum ab eo & mater decedit: quapropter valde conqueritur ſecum ipſe maritus, quod capillis ſancti Viri ad ſanitatem vxori promerendam vſus non fuerit, fretus vxorem non interijſſe, ſi tam efficax illi remedium adhibuiſſet.

2 Antonius Parma Ianuenſis ex diro viſcerum apoſtemate, medicis haud rectè remedia adhibentibus, ſæuiſſimis angebatur doloribus. Multis interim lapſis diebus vſque adeo inualuit affectio, vt ægroto omnem vitæ ſpem abſciſſam cuncti exiſtimarent. Illum ergo amicus inuiſit, qui nonnullos ex prædictis capillis ſecum deferens, ęgrotantis collo appendit: En reliquiæ, inquit, B. Philippi Nerij, fac ergo, vt in eo ſpem colloces, teque illi ex animo commenda. Paret, ac die poſtero è lecto ſurgens, admirantibus cunctis, in publicum omnino ſanus, firmuſque prodit, & qui mortuus ad ſepulchrum deferendus cenſebatur, viuus, ac vegetus ad Eccleſiam properat.

3 Neapoli, in ſancti Ioſephi Monaſterio, Agnes Minutula, multos iam annos, multiſq; pariter, ac validis laborabat morbis, præſertim verò tam acri, mordacique hyſterica fluxione, vt peſſimum ei vlcus in vtero ſubortum eſſet. Ægram inſuper valde torquebant crebra deliquia, inueterata hepatis obſtructio, febriſque continens, & valida. Tres præcipui ciuitatis medici omnem adhibuerunt operam, vt vel morbum tollerent, vel ſaltem dolorem mitigarent, verum potius febris augebatur, & exaſperabantur dolores. Vti ergo penitus inſanabilis derelinquitur. Tranſactis diebus aliquot, alter è medicis Monaſterium adiens, Agnetem omninò ſanam, ac valentem reperit. Rem miratus interrogat, quonam remedio conualuerit? Reſpondet: Antonius Talpa, ex Congregatione Oratorij presbyter, quoſdam Beati Philippi capillos ad me detulit, ex quibus cum paucos in aquam infuſos hauſiſſem, morbus confeſtim euanuit, atque in hanc, quam cernis, valetudinem ſum reſtituta, medicus ſtupore perfuſus hæſit, tacituſque diſceſſit.

4 Ioannes Alphonſus Deſtites, Iuris vtriuſque Doctor, ac Neapoli cauſarum defenſor, angina grauiter affectus iacebat,

eique

eique fauces ſic cohæſerant, vt ſaliuam vix deglutire valeret. Se igitur ex animo B.Philippo commendans, cum apud ſe de præcordijs, eiuſque capillis parum quid haberet, gutturi ab ea parte admouit, qua morbus vigebat magis, & protinus a dolore fit liber, quin multo ſudore manans etiam a febri fit immunis. Verum cum ipſi ex medicorum præcepto oleũ quoddam, ad morbum depellendum aptiſſimum, allatum eſſet, veritus, ne rediret morbus, perunxit ſeſe, & continuo angina recruduit, quare animaduertens ſe ſancto Viro, vt par erat, non crediſiſſe, facti pœnitens linteolo vnctionem omnem abſtergit, & reliquias iterum apponens, iterum pariter conualeſcit.

5 Vir iſte, cum aliàs amicum febri, ac phreneſi laborantem inuiſeret, qui medicorum ſententia incurabilis habebatur, eaſdem ſancti viri reliquias, thecula incluſas, ſecum detulit, quas iacentis ori apponens, atque orationem S.Philippo ſacram dici ſolitam, ſemel recitat, iubetque infirmum eas exoſculari, qui cum primum theculam labris attingit, protinus ad ſenſus redit, & non ſecus atque ab alto euigilaſſet ſomno, ſingulos recognoſcens, breui contra medicorum opinionem ad priſtinam reuocatus eſt ſanitatem.

6 Sacerdos quidam ex Capucinorum familia, tot, tantiſque ex frigida intemperie doloribus angebatur, vt nullo poſſet modo brachia protendere, atque ęgrè prorſus Sacrum faciens diuinam hoſtiam attollere. Dudum ſic affectus, plurimiſque incaſſum vſus remedijs, nactus eſt tandem quoſdam ſerui Dei capillos, quos in fruſta conciſos, atque in aquam infuſos, reuerenter hauſit, votum addens, ſingulis ſe annis in eius peruigilio ieiunium ſeruaturum. Voto emiſſo, brachia extendit, & dolores continuo abeunt. Sed vt adhuc apertius pateret miraculum, rigor aliquis in ſiniſtro brachio remanſit, cui, cum Romam veniſſet, ex panniculis, quibus Philippus ad cauterium vtebatur, applicito fruſtulo, omni ex parte liber euaſit.

7 Ex Corneti oppido mulier tres ferè annos quartana febri ægrotauerat, cum ſemel pauci ſunt ei allati ex capillis

Serui

Serui Dei, quos illico maxima cum fide ſibi collo appendens, quinquies ad Philippi honorem recitat Pater, & Aue. Vix finem precibus dederat, cum ſubito febris euanuit. Poſt multos vero dies iter neceſſario faciens, maximo madefacta imbri, rurſus in febrim incidit, ſed cum iterum capillos ſibi collo appendiſſet, iterum febrim depulit.

8 Neapoli, Marcus Antonius de Sanctis, peſtifera correptus febri, quintum & vigeſimum iam diem lecto defixus iacuerat, pulſuque carens, iam morti proximus cenſebatur. Verum vbi primum ſancti Patris capilli, ſerico incluſi, eius ſunt collo appenſi, illico ſe plane valentem, firmumque ſenſit. Quare, vt omnipotenti Deo, ſanctoque Philippo ſe gratum, memoremque profiteretur, ex voto imaginem ad Vrbē transmittit, eamque iubet B. Viri ſepulchro affigi.

9 Ioannes Franciſcus Lemmarus, Ioannis Antonij Lemmari nepos, ſuperiori capite commemorati, ardentiſſima iactatus febri ad mortem vergebat. Patruus, qui vnà cum ceteris nepoti adſiſtebat, cum nonnullos apud ſe è ſancti Parentis barba pilos haberet, ex his vnum in puluerem comminutum, atque in aquam infuſum ægrotanti bibendum porrexit, dicens: Te Deo, Beatoque Philippo commenda, & quem tibi aquæ poculum porrigo, fidenter ebibe. Paruit nepos, ac die inſequenti euigilans prorſus ſe febri liberum, vegetumque omnino animaduertit.

10 Panormi, in ædibus Congregationis Oratorij, Antonius Maria Martinellus, loci famulus, in maximam incidit febrim, cumque eadem ſingulis diebus, ſtatis horis, corriperetur, ſummo rigori ſummus ſuccedebat æſtus, quo tam vehementer flagrabat, vt ſibi propemodum in clibano ardere videretur. Sic igitur laborans, ſiti morior, exclamabat, cui Petrus Puteus, qui eam ibi Congregationem erexerat, quippe qui non ignorabat, quot Deus miracula per ſeruum ſuū quotidie perpetraret, ex ijs nonnulla ægroto enarrat, vt in S. Parentem piam venerationem excitaret. Poſtmodum nonnullos eiuſdem ſancti viri capillos, quos ſecum detulerat, ei magna cum fide admouit, qui continuo: Non amplius, inquit, ſiti cru-

crucior, immo bellè penitus me habeo, atque exinde cum a medicis expectaretur febris, non ſolum non acceſſit, ſed ęger firmæ ſe valetudini reſtitutum dignouit.

11. 12 Neapoli, Octauius Roſitanus Sacerdos tanto ſanguinis fluxu vnà cum febri correptus eſt, vt ſumpta iam ſacratiſſima Euchariſtia, ſpe ſanitatis deſtitutus haberetur. Hunc ex ea Congregatione Presbyter velut morti proximum inuiſens, aliquot ſancti viri capillis ſecum delatis, hortatur, vt ſe Philippo toto ex animo commendet, votumque in eius honorem emittat, affirmans haud dubiè fore, vt valetudinem pristinam conſequatur, Octauius Philippi auxilio inuocato, ad eius ſepulchrum argenteæ tranſmittendæ imaginis votum facit, atque ex capillis minutatim inciſis, & in aquam iniectis, parum quid ex ijs piè admodum hauſit. Eamet nocte febris deferbuit, ac poſt biduum ex omni prorſus morbo conualuit. Idem aliàs eryſipelate laborans vſus reſiduo ex Dei ſerui capillis ſanitatem conſequitur.

13 Fabius Apicellus artis medicæ in eadem ciuitate peritiſſimus, podagræ, calculorum, laterumque doloribus adeo torquebatur, vt plane ſe moriturum cenſeret: nullum inſuper a medicamentis capiebat leuamen. Quamobrem cuncta medicinæ ſubſidia miſſa faciens, maxima cum pietate, ac fide partem affectam S. Philippi capillis leuiter contrectat, ad quorum contactum protinus diſceſſit dolor, emiſit calculum, ac ſe penitus valentem ſentit.

14 Vnus è famulis Marci Antonij Vitelleſchij, equo præceps effuſus, tantum in ſupercilio accepit vulnus, vt oſſe diffracto, oculi pars interior appareret, ac febri ſuperaddita grauiter ægrotaret. Quoniam vero aliquot ſancti viri capillos apud ſe detinebat, ſtatim eos non ſine valetudinis impetrandæ fiducia vulneri applicuit, atque illico receſſit febris, & oculus breui integræ ſanitati eſt redditus.

15 Cuidam fœminæ paruulus erat nepos, Spatianus nomine, qui puſtulis, ſeu variolis, quas vocant, vſque adeo coopertus iacebat, vt neque lac exugere, nec cibi quicquam ſumere valeret, atque in extremis ageret. Pueri mater, quę ſan-

cto

ĉto Philippo valde fidebat, ex præmemoratis viri Dei capillis ægrotanti nonnihil appoſuit, & confeſtim puellus, ſingulis admirantibus, lac ſugere cœpit, & vt miraculum pateret magis, remouente matre ſacras reliquias natus illico ad morbum redibat, & iterum apponente, ſanitatem recuperabat, vſque dum tandem planè conualuit.

16 Puerulus alter, tertiana febri, quam duplicem appellant, conſternatus iacebat, iamque de eo actum pronuntiabant medici. Vir quidam pius nonnullos ſancti Philippi capillos puelli collo fidenter appoſuit, & confeſtim receſſit febris, & puellus die inſequenti planè valens proſiliuit è lecto.

17. 18 Hortenſia Lellia, ex præmemorato Corneti oppido febri continua validiſque ſtomachi doloribus vexabatur, cui cum nihil præſtarent medicamenta ſubſidij, ex prædictis capillis maxima cum animi pietate ſibi collo appendi expetijt. Vix id egerant, cum ceſſat febris, & dolor euanuit. Idem ferè accidit mulieri ex eadem patria, quæ prædictis ſibi reliquijs collo appenſis, ſtatim, & febris, & doloris expertem ſe comperit.

19 Demum innumera prope ſunt miracula, quæ per huiuſcemodi capillos diuina bonitas operata eſt. Quandoquidē eatenus hac de re fama percrebuit, vt Clemens Octauus ex ijs nonnullos maxima cum veneratione apud ſe detineret. Per quos etiam capillos complures ſe Dei beneficio a nocturnis illuſionibus ſeruatos eſſe fatentur.

20 Quamobrem Sextilius Mazzucca, Vaticanæ Eccleſiæ Canonicus, thecam argēteam ſtruendam curauit, in qua eiuſmodi capillorum partem non exiguam incluſit, eamque Vallicellanæ Eccleſiæ dono dedit. Sed quoniam ſuperioribus annis opus fuit, vt prædicti capilli alio efferrentur, Dei prouidentia factum eſt, vt hoc anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quinto Petrus Paulus Creſcentius Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalis, non minorem eorundem portionem, quos adoleſcens, dum Philippus caput tonderet, auido ſtudio collegerat, ac piè ſeruauerat, Eccleſiæ noſtræ poſt obitum ab herede

rede tradi iuſſerit, atque ita theca, quæ tali theſauro ſpoliata remanſerat, priſtino decori fuerit reſtituta.

Roſarijs. Cap. III.

IAM fermè annus proceſſerat ab obitu ſancti Viri, cum Barbara, Petri Contini filia, continenti correpta febri, medicis de ſalute valde ambigentibus, vitæ diſcrimen ſubierat. Mater, quæ natæ vitam quam maximè cupiebat, Roſarium, quo Philippus viuens vſus fuerat, filiæ recitandum porrexit. Paruit illa, ac die poſtero penitus ſe bene valentem ſentit.

2 Cum inde Barbaræ mater octo iam menſes vtraque tibia laboraret, in quas peſſimus quidam defluxerat humor, qui pellem vndecim in locis exulcerauerat, atque in vno præcipuè ſic aperuerat vlcus, vt os prorſus nudatum appareret: chirurgus, re bene perpenſa, ei palam edixit, vix ipſam a tali morbo vnquam euaſuram. Qua de re mulier abiens in lacrymas, cœpit Dei famulum humiliter exorare, vt ſicut Barbaram filiam ſanitati reddiderat, ita ſibi eandem a Deo impetrare gratiam dignaretur, votumque nuncupat, dum conualeſcat, duas tibias argenteas ad eius ſepulchrum delaturam. Eodem itaque Roſario, quo Barbaram tetigerat, locum male affectum tetigit, ac præſertim vbi magis ſæuiebat morbus. Hoc præſtito, dormitum ſe confert, placide quieſcit, atque orto iam ſole vlcerum loca ſingillatim recognoſcens, carnem coaluiſſe reperit, pellemque nouam ſupernatam videt, ac demum valetudini reſtituta, quantocyus votum exſoluit.

3. Puella, Virginia nomine, Petri Ruiſſij, & Victoriæ Frangipaniæ filia, vehementi æſtuabat febri. Interim auia Roſarium, quo Philippus, dum viueret, recitando vſus fuerat, ad febrientis collum appendit, & vbi primum laborantis faciem tetigit, illico febris abſceſſit.

4 Reus quidam, capite damnatus, totus in eo erat, vt cum ad patibulum duceretur, alta inclamaret voce: Te apud Christi tribunal, o Iudex, iniuſtitiæ crimine arceſſo. Per noctem

inte-

integram complures defatigati fuerant, vt hominem ab hac perfidia diuerterent, ſed fruſtra. Igitur Montes Zazzara, ex ijs vnus, qui huiuſmodi reos ad cor reducere ex Inſtituto Sodalitij Miſericordiæ aſſolent, recordatus Beati Patris coronam precatoriam apud ſe habere, rogat reum, vt illam in eius ſancti Viri honorem dicere velit, tum vt malæ cogitationis moleſtiam pellat, tum etiam, vt peccatorum veniam cōſequatur. Interrogat reus, cuius nominis vir ille? Philippi, reſpondet alter. Tunc is in genua procumbens, integrum Roſarium reuerenter recitat, & diffuſus in lacrymas, ſe dæmonis ſuggeſtione planè liberum confitetur, atque inde mortis ſupplicium piè admodum ſubijt.

5 Tyburtina mulier continenti febri correpta eſt, adeoque peſtifera, vt quo chirurgus loco ſanguinem miſſurus venam ſecaret, pro ſanguine pus efflueret. Cum igitur omnes de illa actum crederent, Roſarium porrigunt, ex ijs, vt diximus, quibus Philippus, dum viueret, vtebatur, quod quidem cum mulier piè, fidenterque recitaſſet, die inſequenti penitus conualeſcit.

6 Tiberius Aſtallius Romanus cum Tybur verſus iter faceret, in mulierem energumenam incidit, quam ad vicinum Caſtrum ſui ducere conabantur, ſed mulier tanta vi pedes humi defixerat, vt quamquam plures eam illinc dimouere conarentur, haudquaquam potuerint. Aſtallius, qui rem videt, meminit apud ſe Roſarium ex prædictis habere. Equo igitur deſiliens clam illud obſeſſæ imponit. Et ecce ſtatim fœmina exclamat: Heu, heu, igne comburor, eodemque momento curſum arripiens ad caſtrum illud, quam citiſſimè peruenit.

Fragmentis lineis Philippi ſanguine conſperſis. *Cap. IV.*

STEPHANVS Calcinardus, Auguſto menſe, dum animi relaxandi gratia per Vrbem deambulat, a muliere eius conciue accerſitur, ſpecie quidem, vt de negotio illum allo-

alloquatur, reuera tamen, vt ad peccatum alliciat. Quoſdam is ſancti Viri capillos vnà cum nonnullis panniculis eius ſanguine conſperſis, ſecum ferebat, cumque iam conſenſum præſtare cogitaret, ſe veluti malleo, ea pectoris parte, qua ſacræ inerant reliquiæ, percuti ſentit, vocemque Philippi dicentis inaudit: Quid agis, caue tibi, abſcede hinc. Ad quæ is reuerſus ad cor, confeſtim recedit, neque ſe tam fœdo crimine commaculat.

2 Vir iſte ſtomachi morbo ſic olim affligebatur, vt neq; cibum appetere, neque ſumptum retinere vllatenus poſſet; quinimmo dum ambularet, paſſim alicubi conſidere cogebatur, cumque morbus medicamentis augeretur in dies, reiectis omnibus, vnum ex prædictis panniculis ſtomacho reuerenter applicuit, atque illico vires redeunt, cibus ſapit, bene ſtomachus digerit, ac demum ſanitate donatus liberè quocunque deambulat.

3 Claudius Rangonius, Placentiæ Epiſcopus, febri vexabatur continua, & medicorum ſententia in magno verſabatur vitæ periculo, vel morbo ſaltem diutius laboraturus. Tum Iulia Vrſina Rangonia, Epiſcopi amita, quoddam ad eum mittit panniculorum inuolucrum, quibus S.Pater viuens vſus fuerat: quod vbi primum ille ſibi collo appendit, a febri continuo liberatur, & ſanitatem conſequitur.

4 Proſpero Comiti Bentiuolio, dirum planè apoſtema in lingua ſubortum erat, mediciſque morbi cauſam ignorantibus, quin & remedia perperam adhibentibus, tres menſes doloribus actus eo deuenerat, vt ęgrè prorſus fari, & vix etiam cibos deglutire iam poſſet. Hunc Marchioniſſa Nannina ſocrus inuiſit, rogatque, vt ex B. Philippi Nerij reliquijs parum quid in aquam infuſum hauriat. Ex prædictis itaque linteolis filum ipſa reſecat, attritumque in aquam mergit, ac potandum genero porrigit. Quo is hauſto, ſubito a doloribus fit liber, pauciſque tranſactis horis ſic omnino conualuit, vt poſt biduum Florentia diſcedens, mutatis equis, Bononiam ſe recepetit.

5 Filium habebat mulier annorum quatuor, Ioſephum

 nomine.

nomine, is peſtifera iactatus febri, ſummiſque preſſus doloribus, cum brachijs, cruribuſque contractis, tres iam dies integros a cibo abſtinuiſſet, corpuſque iam obrigeſceret, in extremis agebat. Mater ergo, cum de pueri ſalute medici deſperaſſent, occaſione imaginis B. Philippi, quam piè domi ſeruabat, Confeſſarium per nuncium rogat, vt ex reliquijs ſancti Philippi, quid ſibi dono mittat. Mittit ille modicum ex panniculis, quibus Homo Dei, dum viueret, vſus fuerat. Ipſa, ne aſpiciens quidem, quid miſſum fuerit, de filio tantum ſolicita, reliquias pagella incluſas cordi eius apponit, dicens: Id te fili, ſaluum reddere poteſt. Ad hæc paruulus aperit oculos, linguam ſoluit, lecto ſurgit, cibum poſtulat, ſtat, & poſtero die vnà cum viciniæ pueris in via ludit, neque amplius eo morbo ægrotat.

6 Memoratæ Marchioniſſæ Nanninæ erat Florentiæ filia infans, Aloyſia nomine, quæ graui affecta morbo, ruri morabatur, cui cum hirudines, vt fit, apponerentur, accidit, vt altera, ex incuria, ad inteſtina proriperet, nec amplius appareret. Mater conſilij inops (non enim ibi aderant artis periti) humanoque deſtituta præſidio, ad diuinum confugiens, orationi ſe dedit, rem ex animo Philippo commendans (etenim illum, vt diximus, in familiæ patronum delegerat Nerus de Nigris prædictæ Marchioniſſæ genitor) deinde fruſtulum ex prædictis linteolis valde ſatis comminutum aqua miſcens, filię bibendum tradit, quæ vbi primum potionem haurit, continuo ſanguinem cum hirudine emittit, & conualeſcit.

7 Itidem Florentiæ, Maria Franciſca Strozzia, in Monaſterio ſancti Ioannis Euangeliſtę Monialis, angina grauiter oppreſſa, nec verbum proferre, neque amplius cibum deglutire poterat. Adſtantes fila nonnulla ex huiuſcemodi panniculis in aquam luſtralem infuſa, ægrotanti propinant, quæ ſtatim ſe melius habere ſentiens, quam citiſſimè conualuit. Immo cum antea bis in anno, eodem corriperetur morbo, exinde nunquam amplius corripitur.

8 Hæc eadem, cum aliàs, oborto ſibi apoſtemate, graui laboraret febri, memor ſe olim ſancti viri meritis ab anginæ

angu-

anguſtijs liberatam, cochleare aquæ luſtralis plenum, in quod ex prædictis panniculis nonnihil immiſerat, reuerenter haurit, dicens: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis: & confeſtim obdormit. Experrecta, apoſtema diſruptum reperit, abijſſeque dolorem percipit. Et quamquam de illa actum pronunciaſſet medicus, hoc vno tamen remedio quamprimum reddita eſt ſanitati.

9 Magdalena de Tempis, eiuſdem loci Monialis, cum ſexageſimum, & nonum ageret annum, ex alto prolapſa muro, ſic parieti caput alliſerat, vt in terra procumbens exanimis videretur. In cubiculum delata, parum ſanguinis è naribus fudit: ſed paulò poſt tam copioſè ſanguis erupit, vt cum multa adhiberentur remedia, nihil omnino prodeſſent. Sanctiſſimo ergo adminiſtrato viatico exitum ſolummodo attendebant. Cum ecce ex monialibus vna aſſumpta capſula, vbi aliquot ex memoratis panniculis ſeruabantur, Magdalenam conſignat ſigno crucis, quæ ſana continuo ſurgit.

10 In Vrbe, Hortenſia Anellia, Monialis in Monaſterio ſanctæ Cęciliæ, ex mammis altera multos iam menſes grauiter ægrotauerat. At verita, ne ceteris monialibus ſtomachum faceret, nulli rem detegere auſa eſt. Atqui, ingraueſcente morbo, de remedio confeſſarium conſulit, qui, vt ſinat medicamenta ex arte apponi, Monialem hortatur. Quoniam vero in hoc ipſa hærebat ſenſu, ne vlli vnquam oſtenderet vlcus, confeſſarium rogat, vt ſibi aliunde proſpiciat, qui nonnullos ex dictis panniculis Moniali defert, locoque affecto eos applicari iubet. Paruit, & nocte inſequenti Philippus ei de cœlo apparet, eique more ſolito dicit: Ne dubites: da operam, vt ſis proba, atque omni malo libera eris. Mane euigilat & mammillam ſanitati reſtitutam reperit.

11 Ioannis Baptiſtæ Simoncelli filia, tres annos nata, puſtulis, quos morbillos appellant, ſic laborabat, vt ad obitum inclinaret. Violantes Martellia Riccia, Politiana, apud quam dicta puella morabatur, inuolucrum quoddam ſericum a Confeſſario acceptum, quid contineret ignara, laborantis collo appendit. Accedit & confeſſarius, hortaturque puellam, vt Deo fidat, ac ſanitatem pollicetur: puella lætanter inuolucrum

exoſculatur. Interim Violantes non ferens animo extremos agentem ſpiritus infantulam intueri, ad Comitiſſam ſanctæ Floræ ſe recepit. Cum autem redijſſet, famulas interrogat, an viuat puella. Reſpondent non ſolum viuere, ſed etiam bene valere. Aduolat tunc illa ad filiolam, & quomodo ſe habeat interrogat, quæ ait: Qui nuper adſuit Pater, iſto me ſanguine curauit. Stupet mulier ſanguinem audiens. At vero dum poſtea a Confeſſario intelligit, inuolucrum illud continere ex panniculis vnum ſancti Philippi ſanguine conſperſum ab eiuſdem ſancti viri meritis puellæ ſanitatem recognouit, Deoque gratias egit.

12 Eugenia Manſueta, de qua ſæpius, cum febri grauiter laboraret, viſque morbi ſic augeretur, vt a medico iuſſa fuerit & culpas confiteri, & Viaticum ſumere, periculum metuens, ſpe omni in Philippum coniecta, de prædictis panniculis, quos domi ſeruabat, vnum Philippi cruore quam maxime tinctum accipiens, bene diluit, valideque exprimit, & quam expreſſerat aquam ebibens, extemplo ſanata eſt. Ex qua fiduciam tantam in Beatum Virum concepit, vt quoties ægrotaret, ad panniculos illos certo ſananda confugeret: quod & ſępius ſibi contigiſſe teſtata eſt.

13 Florentiæ, Maria Victoria Treuia, apud ſanctum Petrum Martyrem Monialis, ſanctique Philippi ex ſorore neptis, brachio ex catarrhi fluxione debilis effecta, cum nihil prorſus eo vti valeret, cogitauit de ſalute ab Auunculo poſtulanda. Annum igitur integrum egit in precibus ſancto viro porrigendis: verum cum dolor non ſolum remiſſior, ſed in dies intenſior fieret, ſub veſperum, Dei famulum, ante eius imaginem genuflexa, ſic alloquitur: Quandoquidem abs te, o Auuncule, id vnum tantummodo peto: cum tot alijs quotidie a Deo ſanitatem impetres, cur non & mihi? etenim tibi ſanguine coniuncta ſum. Sub hæc memoratis panniculis brachium ſibi ſignat: & repente vſum eius recuperat, & dolor abſcedit.

Chri-

Clericali eius pileo. Cap. V.

EX pileis quadratis ſancti viri poſt eius obitum huc illuc tranſportata ſunt plura, necnon etiam plura diſtributa, dum viueret, ex quo accidit, vt per ea, Philippi interceſſu, multis in locis Deus operetur miracula.

1 Nouariæ, Margarita Caccia, ſummis planè doloribus angebatur, cui cum Ioannes Baptiſta Bonipertus, de quo ſupra mentionem fecimus, Clericale pileum ſancti Philippi ei attuliſſet, vbi primum ipſa ſuper partem affectam illud collocauit, ſe confeſtim ab omni dolore liberam ſenſit.

2 Hippolyta Cypriana, in Clauſtro ſanctæ Cęciliæ de Vrbe Monialis, cum acerbiſſimis laterum doloribus cruciaretur, quo morbo ferè omnes de eius agnatione laborare conſueuerant, coniuncta febri ex medicorum ſententia in vitæ diſcrimine verſabatur. Audit rem Confeſſarius, qui pileum viri Dei Hippolytæ apponendum mittit, ægramque monet, vt confidat, ſalutem per Philippi merita conſecuturam. Illa reuerenter pileum morbo applicat, ac repente tum febris, tum dolor abſceſſit.

3 Antonius Fantinius, alibi memoratus, audiuit puerum in vicinia eſſe, qui ex diutino morbo eò deuenerat, vt hærente oſſibus pelle, ſpes nulla ſalutis ſupereſſet. Miſertus ille parentum, ex ſancti Philippi clericali pileo ijs fruſtulum elargitur: mater pueri collo reliquias ſuſpendit, & protinus ad eius contactum puellus conualuit. Rem illa demirata repente ad Vallicellæ Eccleſiam ſe contulit, atque Altari S. Philippi gratitudinis ergo cereum obtulit.

4 Idem Fantinius intelligens, nobilē quendam, Cardinalis Taurusij familiarem, febri vehementiſſima æſtuare, quem à ſæpe expertus fuerat, ægrotantes prædicto ſerui Dei pileo ſanitatem recuperaſſe, eidem pariter eiuſdem fruſtulum dedit: quo is ſibi reuerenter admoto, confeſtim valetudini reſtituitur.

5. 6 Neapoli, Victoria Selania imminente partu labo-

rans, extremis planè doloribus torquebatur, & quoniam vitæ periculum imminebat, ſacerdos ex Congregatione Oratorij in ea vrbe, Bartholomæus de Curtis nomine, qui mulieri affinitate coniunctus erat, ſancti Patris clericale pileum ad ipſam detulit, quo ei appoſito illico feliciter peperit. Hæc eadem olim iunior, binis laborabat vlceribus, altero in collo, in mammis altero, quorum primum ſic ei vultum deflexerat, vt mentum pectori hæreret. Multa adhibita ſunt medicamenta, quæ tantum abeſt, vt prodeſſent, vt etiam plurimum obfuerint. Commemoratus modo ſacerdos ex floribus aliquot, quibus ſacrum Philippi Corpus in feretro reſperſum fuerat, ad ipſam mittit, quos domeſtici in aquam infundentes Victoriæ vlcera detergunt, quæ cœpit illico melius habere, neque vllis amplius vſa remedijs in priſtinam eſt valetudinem reſtituta.

7 Itidem Neapoli, Iſabella Mirammma, Antonij Lemmari alibi nominati coniux, quotieſcumque paritura eſſet, quatuor ferè dies ante partum doloribus tam vehementibus arripiebatur, vt linteamina præ doloris acerbitate dentibus dilaceraret. Vterum ergo geſtans, imminente partu, conſuetos cruciatus pertimeſcens, ad Oratorij Patres confugit. Qui S. Philippi clericale pileum ad illam deferunt, quod vbi primum prægnanti apponunt, nullos experta dolores maſculum peperit, quem in accepti beneficij memoriam Philippum nominauit.

Pileolis tum lineis, tum laneis. Cap. VI.

HIERONYMVS Card. Pamphilius, cum ſacræ Rotæ Auditoris munus gereret, ſub veſperum domum rediens, tanto capitis dolore arripitur, vt prope mentis impos videretur. Se itaque ex corde ſancto Viro commendans, ipſius pileolo, quem apud ſe habebat, capiti impoſito, confeſtim ab omni dolore fit liber. Conſimilis pileoli impoſitione etiam Abbas Iacobus Creſcentius continuo liberatur ſtomachi praua affectione.

3 Pompeius Paterius Congregationis Presbyter, paulo poſt obitum

obitum ſancti Viri, incidit in febrim, quam ab initio è capitis fluxione manare cenſebant,at in malignam degenerans,exanthematibus,ſeu peticulis, vt aiunt, totum hominē commaculauit,maximoque capitis dolore affecit: ita vt tres medici in Vrbe primarij,artis remedijs non proficientibus,illum procul-dubio moriturum putarent. Rem Pompeius intelligens, ſe Deo plurimum commendans, pileolum ſerui Dei ipſe ſibi applicuit. Nec adhuc elapſa hora, adeo morbus fractus eſt, vt alter ex medicis, qui multas ex charitate noctes infirmo adſtiterat, de repentina valetudine obſtupuerit. Adueniente luce, accedentes reliqui,fore pronuntiant, vt quamprimum è lecto proſilire poſſit.

4 Fauentiæ, Vincentij Seueroli filius tum puellus, Antonius nomine(hic poſtea vir effectus Epiſcopali dignitate decoratus eſt)ex humorum influxu fuit vſque adeo facie deformatus, vt vix a ſuis agnoſceretur. Adhibent remedia, ex quibus viſa eſt fluxio nonnihil remitti. At nonnullis poſt diebus, cum iterum facies intumuiſſet, atq; humor magis exardeſceret, eo adductus eſt puer, vt multo deterius,quam antea ſe haberet. Vincentius pater,quod iam de filio actum cenſeat, Monaſterium ſanctæ Cęciliæ eiuſdem vrbis adiens, nati morbum Monialibus narrat,petitque,vt pro eo preces fundant. Aderat Monialis, Vincentij ſoror, quæ Beati Philippi pileolum ſe illi daturam ſpopondit. Sponſionem amplectitur frater,poſtulatque inducias,ac die poſtero ſacramentaliter confitetur,vt videlicet ad reliquias capeſſendas paratior accedat. Ad Monaſterium igitur rediens ſororem vocat, pileolum reuerenter accipit, domum defert,ac filioli capiti imponit.Mane inſequenti illum ad ſororem reportat, dicens: Euge ſoror, conualuit puer.

In eadem ciuitate,eodemque Monaſterio, cuidam Moniali perpetuus in auribus inerat ſtrepitus, ita vt ferè penitus obſurduiſſet. Cum duos igitur annos hoc laboraſſet morbo, ac remedia nihil prodeſſent, ex Monialibus vna vel eundem, vel alterum Philippi pileolum ægrotantis capiti magna cum fiducia applicuit. Et en repente ceſſat murmur, auditus reſti-

tuitur, atque exinde eo nunquam morbo laborat.

5 Septimia Neria, annum agens circiter decimum, a ſorore natu minima, per imprudentiam, ignito ferro in ſiniſtro oculo percutitur, quæ tumore in parte læſa repente obducto, toto tremebat corpore, ſummiſque doloribus angebatur. Rem mater conſpiciens in flebiles voces prorumpit, albumenque oui accipiens aqua roſacea commixtum affectæ parti apponit, ſed quoniam ex medicamento ingraueſcebat dolor, pileolum ſancti Philippi, quod ſibi ex deuotione ſeruauerat, oculo affecto pia mater admouit. Deinde ad Beatæ Virginis imaginem ſupplex prouoluta, animoque ad Philippum conuerſo: Voueo, inquit, o ſancte Pater, me, ſi filia cæcitatem non contrahat, oculos argenteos ad ſepulchrum tuum appenſuram. Emiſſo voto ſtatim puella a dolore fit immunis, tumoreque ſedato obdormiſcit. Mane experrecta, planè valens lecto exilit, ac domeſtici offenſum oculum altero lucidiorem, & pulchriorem conſpiciunt. Quamobrem Septimia ad ſepulchrum pergens votum ritè perſoluit.

6 Vxor Geminiani de Vecchis, Lucia nomine, cephalea per decennium laborans, tam acriter aliquando torquebatur, vt caput ad parietem collidere cogitaret. Cui filia: Sine, inquit, o mater, vt commodato petam a Lucretia Cithara ſancti Philippi pileolum: ſpero enim fore, vt illius contactu omnino conualeſcas. Annuit mater, & pileolo capiti impoſito confeſtim capitis dolor ſedatus eſt, neque vnquam in poſterum cephalea vexatur.

Vitæ ipſius lectione. *Cap. VII.*

VINCENTIVS Valeſius, vtriuſque Iuris Doctor, ac ſacerdos, totas viginti horas impuras, graueſque paſſus eſt animi moleſtias, quæ tanta cum vehementia menti inhærebant, vt inſurgentes imagines ad viuum expreſſas intueretur, a quarum infeſtatione nec etiam Sacrum faciens immunis erat. Legit S. Philippi vitam, ac liber a moleſtia euadit, & hoc accepti beneficij monimentum ſepulchro

appen-

appendit. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo primo, dum viginti horis angelus Satanæ me colaphizat, licet pluries Dominum rogauerim, vt a me recederet, non obtinui, ſed dum Beati Philippi vitæ, & miraculorum librum perlego, & ad illud Stephani Calcinardi de anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto deuenio, implorato eiuſdem Beati auxilio, ſtatim receſſit.

2 Aquilæ, Alexander de Benedictis medicus, continenti febri, iugique dolore affligebatur. Is qui laboranti adſiſtebat, ſancti Philippi vitam lectitare cœpit, atque inter cetera quendam ab inteſtinorum doloribus mirabiliter liberatum legit. Quod audiens ægrotus magna cum fide Dei famulum deprecatur, vt ſe quoque ſanitati reſtituere dignetur. Vix protulerat verba, cum ſanitati redditus eſt.

3 Thomas Griphonius Florentinus, Legum Doctor, annũ agens ſupra ſexageſimum, autumno ineunte, ex febri, aluique profluuio, necnon intimis ventris doloribus grauiter iacebat. Hinc ratus ſe omnino hoc ex morbo deceſſurum, per ſacramentalem confeſſionem animam expiauerat, mortemque certam expectabat. At quoniam S. Philippi vitam aliquando perlegerat, meminit miraculorum, quę paſſim Deus per ſeruum ſuum Philippum operabatur: quapropter cum quaſdam apud ſe eiuſdem Reliquias haberet, parti, qua grauius vrgebat dolor, eas fidenter appoſuit, ſic orans: Maria Ieſu Mater, tuque Beate Philippe, adeſte quæſo mihi. Vix dixerat, cum dolor diſceſſit, febris deferbuit, ac penitus conualuit.

4 Natalis Rondaninus ipſe quoque Iureconſultus, cum acta viri Dei perlegens, eo deueniſſet, quo habetur, Beatum Virum, dum noctu panem egenis deferret, in profundam incidiſſe foueam, & capillis ab Angelo erutum, incolumem euaſiſſe: inſuper Clementem Octauum a chiragræ doloribus manuum contactu liberatum eſſe, de rei veritate ambigens, non planè aſſentiebat. Nocte inſequenti per ſomnium apparuit ei Philippus, candidiſſima amictus veſte, eique exprobrans duritiam cordis, hominem acriter obiurgat. Is tremens expergiſcitur, cauſamque animo recogitans, culpam deteſtatur,

tur, atque exinde ijs, quæ de Beato Philippo dicebantur, ſemper, & conſtanter aſſentiebat.

Varijs eiuſdem Reliquijs. Cap. VIII.

PHILIPPVS de Nigris, Neri filius, de quo ſupra habita, eſt ſæpe mentio, dentium dolore maximo cruciabatur, ita vt neque diebus, neque noctibus requieſceret. Marchioniſſa Nannina ſoror ſerui Dei reliquias fratris maxillæ appoſuit, ac ſtatim dolor euanuit.

2 Cæſar Marerius, febri, ac podagra improbe vexabatur, cui ſoror, pedi affecto ſancti Philippi ſoleam clam imponit. Is ſomno correptus aliquantulum obdormiſcit, experrectus autem comperit ſe probe valere, nec vnquam amplius hoc laborauit morbo.

3 Eiuſdem Cæſaris famulus, qui graui correptus ſymptomate toto corpore inſolito tremore quatiebatur, eadem impoſita ſolea, confeſtim, remiſſo morbo, iam penè mortuus, rediuiuus è lecto conſurgit.

4 Claudius Nerius Romanus, amplius duos menſes ſiniſtro genu, renumque doloribus acerbiſſimè cruciatus, cum nullum iam reperiret remedium, magna cum fide, pietatiſque ſenſu, pileolum ſancti Philippi ſuper partes affectas poſuit, ac nonnullos eiuſdem capillos vnà cum penulæ fruſtulo iuxta renes locari ſibi iuſſit. Interim ſe Philippi precibus ex animo commendat, & vix oratione peracta, a morbo ſe planè liberum reperit. Poſtero die ijſdem Reliquijs dextero quoque genu, quo pariter laborabat, applicitis, nullo amplius dolore affectus eſt.

5 Carolus a Caſtro, itidem Romanus, chiragra vehementer torquebatur, cumque nullam a medicis captaret opem, adit Angelum Vellium, Congregationis Presbyterum, Confeſſarium ſuum, ipſique prius peccata confeſſus, cruciatum exponit. Cui Vellius quibuſdam ſancti Patris Reliquijs laborantis manus tangit, & protinus dolor abſcedit, nec in poſterum chiragræ dolore afficitur.

Ioan-

6 Ioannes Baptiſta Contes, Interamnis exanthematibus, ſeu peticulari febri decumbens, eryſipelate eiuſmodi ſuffuſus eſt, vt iam ſenſim per totum corpus peruaſerit. Malum adeo ſæuum, atque horribile apparebat, vt medici affirmarent, re vera haud vnquam ſimile ſe vidiſſe, ideoque vereri, ne inflammatio ad intima penetrans, ægrotum quam citiſſimè interimeret. Inſuper tanto cœpit affligtari mœrore, vt ex tempore, nulla exterius accedente cauſa, in vberrimas proflueret lacrymas. Die quarto totus contremiſcens maximum patitur deliquium, vndecimo videndi vſum penitus amittit. Sacro igitur præmunitus Viatico, Beati Patris Reliquias efflagitat. Deferunt ſubuculæ fruſtulum, quod in pagella incluſum, in qua ſancti viri imago impreſſa erat, eius collo appendunt. Æger eas è collo detrahit, ac ſua ipſe manu admouet cordi, & ecce gaudio perfunditur, aciem recuperat, adſtantes dignoſcit, cœnat, placidumque ſoporem carpit. Cui per ſomnium adſtat Philippus, ſacerdotali indutus veſte, & vndique refulgens, qui benedictionem impertiens: Ne dubites, inquit, nullus abhinc tibi morbus erit, hiſque dictis euanuit. Ægrotus adhuc dormitans Deo gratias agit, ac tabellam ad ſancti viri ſepulchrũ ſe delaturum promittit. Mane experrectus, planè ſe liberum ſenſit: quinimmo conualeſcentiam minimè paſſus ſtatim pollicitam tabellam per ſe defert, ac ſepulchro ſuſpendit.

7 Tuderti, ſutor quidam tam diro dolore in ſiniſtro cubito vexari cœpit, vt adſtantibus videretur propemodum inſanire. Cum igitur quinquaginta ferè dies hunc in modum torqueretur, ac brachium ex omni parte intumuiſſet, nullũq; a medicis capeſceret auxilium, ſubuculę fruſtulum beati Viri parti, qua laborabat, applicuit, & vix hora elapſa, brachium detumuit, ceſſauit dolor, integraque valetudine potitus eſt.

8 Viterbii, Euangeliſta Mariottus, in ædibus ſancti Angeli Canonicus, cum peſtifera febri implicitus iaceret, iamque ſacramentis munitus ad vitæ extremum deueniſſet, fruſtulum ex panniculis ſerui Dei ab amico acceptum, ipſe ſibi collo alligauit, necnon tantillum ex eo forfice conciſum in aquam iniectum ebibit, & protinus amiſſam ſanitatem recuperat.

Spo-

9 Spoleti, Proſper Lucius febri peticulari, ac ſputo cruento exagitatus in vitæ diſcrimine verſabatur. Germana igitur ſoror, ſanctę Catharinæ Monaſterium adit, fratriſque morbum Monialibus narrat, quæ ſancti Philippi vdonem accommodant. Aduolat tunc mulier, & maxima cum fide vdonem illum ſuper ægrotantem fratrem imponit, ac repente morbus auolat.

10. 11 Itidē Spoleti Tecla Lipantina ſummis angebatur alui doloribus, vnà cum febri, & quoniam vim morbi diutius ferre non poterat, a prædictis Monialibus eaſdem ſancti Philippi reliquias poſtulauit. Modicum eiuſdem vdonis illæ tranſmittunt, & vbi primum fruſtulum ſibi mulier applicat, continuo morbus recedit. Senſius Lilius, prædictæ Teclę nepos, ſola eiuſdem fruſtuli applicatione a maligna febri illico liberatur.

12 Ioannes Baptiſta Felix ſacerdos, annum agens ſeptuageſimum quintum, ſummo dentium dolore excruciatus, ſudariolum, quo vſus fuerat vir Dei, magna cum fide ſuo ipſe ori adiungit, gengiuaſque contingit, & extemplo dolor euanuit.

13 Bimulus infans certo quodam affectus eſt morbo medicis penitus ignoto. Cum itaque ad decimum quintum laboraſſet diem, iamque ad extremum deueniſſet, parentes, quod præter hunc ſuperſtitem nullum haberent, opem filiolo vehementius a medicis deprecantur, qui, vt morem gerant, pueri occiput globulo ignito inuri iubent. At puerulus, in deterius vergente morbo, ferè animam efflat. Interea paratur calida ad corpuſculum abluendum, funus inſuper demandatur, ac lugubres veſtes conſuuntur: cum ecce tibi mulier quędam inclamat: Nuncupate votum ſancto Philippo Nerio, eiuſque reliquias puello imponite, & Excelſi dexteram agnoſcetis. Conquiſitas igitur reliquias ægro apponunt, qui ſtatim arteriarum reſtituto pulſu aperit oculos, cibum ſumit, & vix elapſo triduo valens, ac vegetus parentes exhilarat, quem medicus vlnis maternis conſidentem videns interrogat, quo filius vocetur nomine? Annibal, reſpondet mater. Nequaquā ſubijcit medicus, ſed R. diuiuum inpoſterum nuncupabis.

Viterbij

14. 15. 16 Viterbij, mulier quædam maſculum pepererat, qui ſpatio dierum quindecim maternum lac exugere omnino reſpuebat. At quoniam mater ob paupertatem ipſum extraneis nutricibus alendum tradere non valebat, a quibuſdam ſuadetur mulierculis, vt illicita remedia adhibeat. Illa vero eius vrbis Pœnitentiarium prius conſulendum cenſuit, qui rem ſuperſtitionem ſapere reſpondit. Porrò Pœnitentiarij germana ſoror, quæ tunc aderat, fœminam ſic alloquitur: Cur a fratre non poſtulas reliquias ſancti Philippi Nerij, quem tot nouimus in Vrbe miraculis illuſtrari? Paret, obtentiſque reliquijs, iiſque ſibi collo applicitis domum redijt. Noctu inter ſomnũ videtur ſibi videre mulierem aſpectu pulcherrimã, quæ ſe ita compellat: Exurge mammillaſque filio tuo porrigito. Ad hæc experrecta, lecto exiliens, ad natum aduolat, exhibet papillas, & infantulus ſugit. Quin cum ex vberibus alterum papilla careret, puellus tamen ex vtroque alimentum deſuxit. Eadem poſtea mulier, graui correpta morbo, ad ſeſquimenſem iacuerat, cumque ob extremam, vt diximus, inopiam, vnde viueret, non haberet, non immemor obtenti filio beneficij, eaſdem ſibi reliquias collo apponendas curauit, oculiſque in cælum conuerſis, ſic ait: O Beate Pater Philippe, quemadmodum filio meo, vt lac ſugeret, impetraſti, ſic fore ſpero, vt mihi eius matri nunc impetres ſanitatem. Vix verba protulerat, cum ſe prorſus bene valentem firmamque ſenſit. Aſſerit memoratus Pœnitentiarius, cuius erant reliquiæ, iiſdem redditam fuiſſe ſanitatem cuidam Moniali, quæ ſæuiſſimis confecta doloribus nullatenus quieſcebat: nam adhibitis quibuſdam filis ex fœmoralibus viri Dei, iiſque minutatim conciſis, & in aquam infuſis, atque hauſtis, ſtatim conualuit.

17 Romæ, nobilis fœmina iſchiade peſſimè laborabat, cui Iulia Vrſina Rangonia, puluillum, quo Dei ſeruus viuens vſus fuerat, mittit. Ipſa piè, ac fidenter puluillum exoſculans, eas ſibi reliquias reuerenter adiungit, & extemplo conſanuit.

18 Iſabella Priorata, nobilis Vicentina in febrim incidit, quæ ſenſim eo inualuit, vt capitis dolore vehementer exagitata in

ta in phreneſim ferè deueniſſet, de cuius ſalute medici ambigebant, Federicus filius quaſdam ſancti Philippi Reliquias, ſecunda noctis hora, matris morbo apponit, quæ ſtatim ingruente ſomno, mane euigilans, tum febris, tum doloris, obſtupentibus cunctis, ſe penitus expertem inuenit.

19 Barnabæi Sanneſij vxor, contractis circa collum neruis, nullam medicis afferentibus opem, peſſimè habebat. Audit interea vir eius puellam quandam valetudinem recuperaſſe fruſtuli contactu veſtis Beati viri. Quapropter nactus, qui eas reliquias aſſeruabat, rogat, vt illas ſibi lubens commodare dignetur, vt nempe, ſerui Dei interceſſu, vxoris ſanitati proſpiciat. Sacro igitur obtento pignore coniugis collum vndique contrectat, quæ illico ſe leuari percipiens: Perge, inquit, attingere, perge: etenim ſolus contactus me ſummopere recreat. Vxori morem gerit, tumor ad contactum detumuit, ac neruos expeditos recuperat.

20 Septimia Othonia, Brancadoria, nobilis Firmana, ſæua adeo vrebatur febri, vt medicorum cura exaſperaretur, & iam de eius ſalute deſperauerant. Domeſtici collare lineum, quo vſus fuerat vir ſanctus, dum viueret, in genua prouoluti, ægrotanti imponunt, & ſtatim receſſit febris, & mulier conualuit.

21 Mulier altera Sicula, quinquies fœtum emiſerat mortuum. Sexto igitur prægnans, partus hora imminente, ſolitis arrepta doloribus, tum ipſa, tum obſtetrix fœtum inanimem ſuſpicantur. Quaſdam igitur ſerui Dei reliquias in fragmina conciſas, atque in aquam luſtralem infuſas ebibit, & nulla interiecta mora fœmellam viuentem parit, quæ ſalutari fonte renata firma ſemper extitit valetudine.

22 Florentiæ, in Monaſterio ſancti Ioannis Euangeliſtæ, de quo ſupra, eius loci tyruncula incaute aciculam deglutijt, quæ medio gutturi adhærens ipſam vehementiſſimè torquebat. Moniales nullum promptius habentes remedium, ex ſancti Philippi reliquijs modicum quid in aquam coniectum nouitiæ propinant, quæ potione hauſta, protinus aciculam euomit, atque ex eo periculo euadit.

In

23 In Monaſterio ſancti Petri Martyris, in eadem ciuitate, ex ſororibus vna ad oſtia Monaſterij panes piſtori deferens, inter eundum corruit, atque occiput ſic petræ alliſit, vt exanimata videretur. Accurrunt ceteræ, eamque lecto collocant, & chirurgos aduocant: qui accedentes, venam incidunt, cucurbitulas apponunt, multaq; alia adhibent medicamina, nec tamen ad ſenſus redibat. Poſt quinque integras horas parum quid ex manica viri Dei infirmæ imponunt. Rem miram! Confeſtim dat ſuſpirium, ſurgit, & perfectam valetudinem conſequitur.

24 Romæ, Maria Magdalena Laura, Monialis in ædibus ſanctæ Luciæ in Silice, vndecim menſes cephaleam paſſa; vi morbi inualeſcente, dolorem amplius ferre non poterat. Conſodalis interim, quæ a Congregationis Oratorij presbyteris ſacros linteos abluendos acceperat, mappam altari ſancti Philippi deſeruientem ad ægrotantem defert, quam illa capiti ſibi fidenter inuoluens, continuo ab omni prorſus dolore fit libera.

25 Mulier Tudertina ad nonum circiter menſem febri laborans ita contabuerat, vt vix dignoſceretur a ſuis & quoniam medicorum induſtria nihil proderat, pia mulier ſancti Philippi ſubuculæ fruſtulum in aquam infuſum haurit. Recedit illico febris, atque exinde optimè habet.

26 Tandem Maria Paganellia, alibi memorata, quippe quæ ſæpe Beati Parentis auxilium experta fuerat, id conſtanter aſſerit, ſe nempe, quotieſcunque morbus ingrueret, vbi primum ſancti viri panniculos ſibi applicuiſſet, nulla intercepta mora, ad valetudinem reuocari conſueuiſſe,

Votis. Cap. IX.

EODEM fermè anno, quo ſanctus è vita migrauit, virgo admodum pia, cum vehiculi cuiuſdam currentis impreſſa rota ſibi crus colliſum eſſet, vndecim fere menſes lecto decumbere coacta eſt: cumque maximè ſæuiret dolor, nihilque medicamenta proficerent, votum nuncupauit,

uit, ſe crus argenteum in honorem Beatæ Virginis, ac Beati Philippi, ad ſepulchrum eius delaturam. Vix votum mente conceperat, cum repente crus coaluit, & quantocyus votum perſoluit.

2 Ioannes Baptiſta Magnonius Cremonenſis, in ædibus ſancti Hieronymi a Charitate ſacerdos, ex duobus apoſtematibus, quæ ſibi in auribus oborta fuerant, penè ſurdus euaſerat: auidus tamen audiendi verbum Dei, Eccleſiam S.Mariæ in Vallicella ingreditur, & quo propius licuit, ad eum, qui concionem habebat, acceſſit. Verum cum nihil omnino auribus perciperet, humana ſpe deiectus, abiens in lacrymas, ad aram ſancti Philippi ſe confert, ibique a beato Viro efflagitat, vt auditum ſibi cœlitus obtinere dignetur, vouens ſe in eius honorem in ſacello Sacrum facturum. Poſtero die, dum Patres a prandio, animos relaxandi gratia, ſimul conueniunt, nonnullaſque ſacras laudes modulantur, propior factus arrigit aures, & ecce non ſecus, ac plumbeæ ſibi glandulæ ex auribus excidiſſent, auditum recuperat. Quare abſoluta modulatione, ſic lætus effatur: Scitote Patres me auditum penitus recuperaſſe, etenim quod heri, emiſſo voto, a Beato Philippo: efflagitaui, nunc me conſecutum experior. Ipſi haud facile rem credentes, experimentum capiunt, voce nempe demiſſiori confabulantes: quibus ille ſingulorum verba recenſet, & in poſterum auditus ſenſu belliſsimè valuit, ac votum exſoluit.

3 Ioannes Baptiſta Maſſius Valentinus, Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione captiuorum, ſacræ Theologiæ Magiſter, cum annum ageret ſupra ſeptuageſimum, Neapoli degens, tribus peſſimis laborabat morbis, fluxu ſcilicet ſanguinis, tumore pergrandi in inguinibus, & acerrima fluxione in altero ex genibus. Duos iam annos aduerſa huiuſmodi valetudine affectus, eo tandem redactus eſt, vt macie conſumptus, vix de facie agnoſceretur. In medicos aureos ducentos & amplius inſumpſerat, thermarum vapores, ferri cādentis ictus, inciſioneſque plurimas paſſus: ex quibus nullum prorſus leuamen erat. Interim amicus nonnulla, quæ ſanctus Philip-

Philippus miracula patrarat, obiter enarrat, ad quæ ægrotus meminit,ſe quondam Romę apud Beatũ virum conſcientiam per pœnitentiæ ſacramentum exoneraſſe. Obæſtuans ergo fide, in cœlum conuerſis oculis, ita vouet: Si tuis o Beate Philippe meritis conualeſcam, me Romam iturum polliceor, inuiſurumque ſepulchrum, necnon appenſa tabella, Sacrum in tui honorem inibi facturum. Emiſſo voto, datis Romam literis, eiuſdem ordinis Confratrem rogat, vt ſuo nomine in B. Philippi ſacello Miſſam celebret. Res mira! vna eademque hora, qua Confrater Romæ Sacrum facit, ipſe Neapoli tribus prædictis morbis ſtatim conualeſcit: adeo plenè, atque perfectè, vt inde amplius nunquam laborauerit: ipſoque die, cunctis admirantibus, expeditè deambulauerit. Romam poſtea veniens votum explet, appenſo chirographo, in quo totius facti ſeriem enarrat.

4 Exceperat olim, vt diximus, vir Dei, dum viueret, ſacramentalem huius hominis confeſſionem, eique ſurgens a ſede dixerat: Fac attentius recogites peccata tua. Is totius vitæ curſum ſummatim recenſens, culpam memoria repetit, nunquam Confeſſario propalatam, quam Philippo ad ſedem reuerſo, humiliter explicat. Cui ille: Id erat, inquit, o fili, quod a te ſcire maximè cupiebam. Obſtupuit Maſſius, ſed nunc longè magis, cum recepta corporis ſanitate,ſe tunc animæ quoque ſalutem conſecutum eſſe, ad mentem reuocat.

5 Didacus Ordognes, Neapolitanus, peſſima quadam lue diu laborauerat, cui aliquot poſt menſes dexterum quoque genu ſic intumuit, vt neruis contractis, maximis agitaretur doloribus. Cum ergo nocte, lecto cubans, nil penitus præ dolore quieſceret, ſanctum virum toto mentis affectu his cōpellat verbis: Te deprecor Beate Philippe, vt ſanitati tuis meritis reſtituar, quam ſi me impetrare contingat, voti reus, in tui honorem tabellam me appenſurum polliceor. His dictis obdormit, & mane experrectus, ſe ab omni prorſus morbo conualuiſſe dignoſcit: quapropter domo egreſſus tabellam mercatus, votum reuerenter ſoluit.

6. 7 Hieronymus Thomaſius, medicus, ac Neapoli Philoſo-

loſophiæ profeſſor, acuta febri correptus, pluribus ſymptomatibus, & quidem lethalibus, vexabatur, nempe diutinis vigilijs, virium defectu, cibi faſtidio, ſtomachi debilitate, liuidis papulis, delirio, & cordis deliquijs frequentiſſimis: ita vt iam medici de eo actum pronunciaſſent. Extrema itaque vnctione munitus, ſancti Philippi memor, has ad eum preces humillimè fundit: Rogo te Beate Philippe, vt dum ſaluti meæ conducat, vitam longiorem ad pœnitendum obtineas, quod ſi voti compos fiam, me tibi ad Altare tuum argenteam imaginem pondo aureorum viginti appenſurum promitto. His dictis placidè ſomnum capit, mediaque nocte excitus, ipſe ſibi pulſum explorat, & febrim abſceſſiſſe aduertens, familiares aduocat, dicens: Ne amplius lugeatis; ſiquidem ſancti Philippi interceſſu bene valeo. Mane accedentes medici eum vera pronunciaſſe comperiunt, qui vti promiſerat, votum perſoluere non diſtulit. Idem alteri contigit, qui vbi primum argenteum votum ad eiuſdem imaginem delaturum ſpopondit, a duobus illicò infirmitatibus ſanus euadit.

8 Octauianus Loffredus nobilis Neapolitanus, mingendi difficultate grauiſſime torquebatur, qui pariter ex animo Beato ſe viro commendans, ait: Si te intercedente, o ſancte Pater, ad ſanitatem rediero, feſtiuitatis tuæ recurrente die & peccata confiteri, & ſacro Chriſti corpore refici in tui honorem polliceor. His ferè pronunciatis protinus totius doloris fit expers, ac ceræ fruſtulum, quod pluribus antea menſibus, incuria chirurgi, veſicæ inhęſerat, foras emittit.

9 Puer biennis mutus omninò credebatur: etenim ne quidem ſyllabam ad illam vſque diem pronunciarat, quare genitor votum vouit ſancto viro, ſe ad eius imaginem tabellam argenteam delaturum, ſi filio linguæ vſum a Deo obtineat. Emiſſo voto confeſtim infans loqui cœpit, atque exinde expeditiſſimè ſemper eſt locutus.

10 Puer alter ex vi morbi eò deuenerat, vt planè mortuus cenſeretur a ſuis, iamque ſertum ex floribus, veſtemque candidam auro phrygia arte intextam more Romano, ei parauerant, vt vndique comptum illum ſepulturæ mandarent. Inſuper

ſuper, quippe qui filiolum vnicè diligebant, pictorem aduocarant,qui eiuſdem effigiem coloribus exprimeret. Pictor fuit Chriſtophorus Roncallius, cognomento Pomarancius, qui ex Philippi geſtis nonnulla in eius ſacello pictura expreſſit. Huic erat frater, qui puerum valde diligebat. Is ergo infantulum iamiam animam efflantem intuitus,oculis ad cœlum conuerſis,ait: Non me latet,Beate Pater,multos a te morti proximos, quin etiam mortuos ad vitam reuocatos fuiſſe: quapropter te etiam, atque etiam rogo, vt per ſanctiſſima Chriſti vulnera, hunc puellum,ſi mortuus eſt, ad vitam reuocare ne dedigneris; quod ſi obtinuero, argenteam tabellam tuo confeſtim ſepulchro appendam. Deſijt ille fari, cum puer recuperat vocem, tamque cito conualeſcit, vt die inſequenti eadem veſte indutus, eodemque ſerto caput redimitus, domum Roncalliam adierit, ibique maxima omnium lætitia inter familiæ complexus diem illum feſtiuus, & vegetus tranſegerit.

11 Florentiæ, in Monaſterio ſancti Petri Martyris,Monialis in foueam caſu corruit, altitudinis cubitorum ferè octo, quæ caput, ac faciem tanto cum impetu ad petram alliſit, vt maxilla diſrupta, oculoque euulſo, lumen penitus amiſerit, ac mortuę ſimillima iaceret. Accurritur,exanimē extrahunt, ac medicos aduocant, qui eam haud dubiè morituram pronunciant, oſque ſecandum decernunt. Hoc audiens ex Monialibus vna, ſororem commiſerata, votum emiſit ſe in peruigilio ſancti Philippi ieiunium ſeruaturam, ſi conualeſcat ægra. Mane tam ſanam, tamque firmam ſororem reperit, vt neque oſſis quid ſecari opus fuerit, neque vllis vti remedijs, quin nec minimam ex vultus illiſione deformitatem contraxerat.

12 . Multa denique etiam ad animæ ſalutem ſpectantia, vt ex tabellis ſepulchro appenſis apparet, per Philippum patrata ſunt miracula. Sed ex ijs vnum ſit ſatis. Mariangelus Chelius Interamnis, adeo graues cum ſocero inimicitias dotis cauſa inierat, vt ex iracundia coniugem domo eieciſſet. Duæ itaque eius filiæ Serui Dei ſepulchrum adeunt, ibique effuſis precibus votum faciunt, ſę tabellam appenſuras, ſi pa-

ter cum auo in gratiam redeat, charamque matrem recuperent. Vix illæ Deo, ac ſancto Viro ſponſionem fecerant, cum voti compotes effectæ, domum redeunt, & patrem, & matrē, atque auum vnà conueniſſe, ſimulque conciliatos eſſe reperiunt. Quod maximoperè admirantes, ac rem, vt par erat, S.Philippo tribuentes, promiſſam tabellam ad eius tumulum hilares appendunt.

Apparitionibus. Cap. X.

DVOS poſt obitum ſancti Viri menſes Druſilla Antonij Fantinij vxor, de quo alibi facta eſt mentio, è tabulato altitudinis palmorum ferè viginti, in ſubiectū impluuium præceps ruerat, atque ad ferreos quoſdam vncos ea vi caput alliſerat, vt inferiore labro tribus in locis diſſecto, oculoque dextero è loco emoto, iam planè nihil videret. Erat facies vndique deformata, dentes concuſſi lababant, leua manus diſciſſa, ſanguis ex ore vberrimè effluebat, atque ipſa iacebat exanimis: aderat fortè quidam, qui magna voce opem inclamans viciniam conuocat. Accurrunt, fœminam attollunt, lectoque collocant, vbi quindecim fermè dies ferè ſine ſenſu decubuit, & ſolummodo cibi parum per vim in os ingeſtum deglutiebat. Binis tranſactis hebdomadibus, obitum ſingulis expectantibus, ægra ex animo ſe B.Philippo commendat (ipſi namque viuenti conſueuerat mulier peccata confiteri) Dum igitur feruentius orat, graue ſibi onus imponi ſentit, necnon ſudariolum in guttur immitti, atque emitti percipit. Ad hæc oculorum aciem recuperat, & Beatum Philippum, ſacerdotali habitu indutum, radijſque vndique fulgentem videt, ac prædictum ſudariolum, ſanguine madentem, ipſum tenere manu cernit, atque confeſtim, oculo, labro, facie, ac læua conualuit, non ſecus, ac ſi nihil vnquam ſibi obueniſſet mali. Interea vir eius, qui foras ad negotia exierat, domum rediens cubiculum ingreditur, ad quem vxor: Parcat tibi Deus, inquit, Pater Philippus noſter, vbi primum ianuam concuſſiſti, illico euanuit, qui nuper accedens, me omnino

ſanam

ſanam effecit. Verum quoniam ex huiuſmodi caſu adeo fœminæ intumuerat genu, vt chirurgus affirmaret, illud omninò fore ſecandum, rogat illa, vt inciſionem in diem poſterum differat. Diſtulit ille, & ipſa ea nocte iterum ſe Philippo commendans, poſtulat, vt ab hoc etiam tumore conualeſcat, & ecce tibi ſecundo vir Dei ægrotanti apparet, eique faſcias lineas a genu diſſoluens, dextera manu locum affectum tangit, & continuo tumor omnis abſceſſit. Vocat illa virum, vt Dei Famulum intueatur, dumque illum a ſomno excitat, Philippus auolat. Chirurgus mane redit, eamque planè genu valentem comperit. Sed quoniam ex morbo ita debilis euaſerat, vt neque lecto ſurgere valeret, neque ad ſolita munia ſe conferre, Philippum iterum rogat, vt ad integram ſe valetudinem reſtituat: & ecce tertio Philippus illi apparet, ad cuius dumtaxat conſpectum vires omninò recuperat. Quamobrem ex toto vegeta, affulgente *ſole*, lecto ſurgit, domo prodit, forum adit, & negotia liberè tractat (Propolæ enim artem exercebat.)

2 Sulpiria Sirleta vim ſanguinis tantam expuerat, eoque iam deuenerat, vt toto fremens corpore, de ipſa actum eſſe medici pronunciaſſent. Diluculo, ſub primo auroræ crepuſculo, toto ſe mentis affectu Beato Philippo commendat: cum ecce vir Dei, domeſtica indutus veſte, illi apparet, ſicque fatur: Ne dubites ineptula, ne dubites, nihil erit, eaque ſigno crucis munita, euanuit, neque deinceps vnquam amplius ſanguinem euomere contigit.

3 Leonardus Rouellius Romanus tres & viginti dies maligna febri, acerbiſque renum doloribus vexatus fuerat, & quoniam grauia inſuper acceſſerant ſymptomata, medicorum ſententia, morti proximus erat. Nocte igitur, quæ S. Philippi feſtum præcedit, cum ſe magno pietatis ſenſu Dei famulo cõmendaſſet, ſub auroram cubiculum fax illuſtrat, & is planè vigil ſanctum Parentem non longè diſtantem conſpicit, quem aliquantiſper intuitus, fuſius lugens, opem enixius implorat. Cui Philippus: Pax tibi fili, & euanuit. Mirum! manè Rouellius & a febri, & a doloribus ſe prorſus immunem com-

perit, ac bene valens ſurgit, Vallicellam petit, Miſſæ in eiuſdem ſacello intereſt, meritaſque pro beneficio gratias agit.

4. 5 Felix Sebaſtiana, de qua ſupra egimus, pleuritide vexabatur: ex ea, medicorum iudicio, proculdubio moritura, cum præſertim vterum geſtans, validioribus vti medicamentis non liceret. Verum ſerui Dei implorato auxilio, particulam ex eius reliquiis in iuſculi poculum iniectam, maxima cum fide, ac pietate inhauſit, & protinus, quod antea vix vnquam fecerat, placidè obdormit. Poſtmodum inter ſomnum, & vigiliam vocem ſe compellantem inaudit, ad quam Dei Hominem conſpicit, domeſtica indutum veſte, qui inter vlnas fœtum geſtans, ſic fatur: Ne dubites filia: etenim tuimet, huiuſque partus curam ipse geram, atque in auras abit. His peractis mulier diſrupto apoſtemate melius habet, ac ſanitati reſtituta, ſuo tempore fœmellam feliciter parit. Aliàs hæc eadem ſancti Philippi precibus ab huiuſcemodi periculis erepta fuerat.

6 Hieronyma Vaſconia, vterum geſtans, domi ſola manens, inſtante partus hora, quid ageret neſcia, his verbis Philippum inuocat: Affer quæſo mihi opem, o ſancte Pater, ac ſtatim fulgoribus coruſcante cubiculo, Beati Parentis vocem reſpondentem audit: Ne dubites, prẹſto ſum. Et hæc inter ſine obſtetricis opera duos parit mares, qui ſacro fonte abluti, non poſt multos dies ad ſuperos euolarunt.

7 Vir quidam pietatis ergò hanc ſibi orationem quotidie recitandam præſcripſerat: Sub tuum præſidium confugio Beate Philippe, meas deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed a periculis cunctis libera me ſemper, Beate glorioſe, & benedicte, ter ſubdens: Beate Philippe ora pro me. Hunc itaque Neapoli degentem, cum nocte ab amicis domum rediret, quidam ſicarij nudis enſibus aggrediuntur, qui multis illatis ictibus humi hominem ſternunt. Attollit ille in cœlum oculos, prædictamque oratiunculam ex corde recitat: & ecce extemplo ſanctum virum in nube candida fulgentem, ſibi ferentem opem intuetur. Amici, qui ſtrepitum perſenſerant, raptim currunt, faces præferunt, ac miſerum, qui tot ictibus

ab

ab inimicis fuerat appetitus, metu horrentem, ſemianimem reperiunt (aggreſſores etenim rati ſe illum interfeciſſe, aufugerant) In domum ipſum deducentes, pallium, penulam, thoracem, ac ſubuculam multis conciſa ictibus comperiunt; hominem tamen nil læſerant. Quo miraculo Philippi meritis adſcripto, Romam veniens in eius ſacello gratias quamplurimas a it.

8 Catharina Ioſephi Caſtalionis filia (is enim impensè venerabatur Philippum) tum febri, tum ſanguinis fluxu laborabat ad mortem. Mater, quæ filiæ ſalutem maximoperè optabat, laborantem hortatur, vt toto ſe pectore Beato Philippo commendet, eumque precetur, vt per Beatæ Virginis merita, quam vnicè ſemper dilexerat, ſanitatem ſibi a Deo obtineat, eique ſancti Viri imaginem ſpectandam porrigit. Proxima nocte puella euigilans matrem hilaris compellat, Deiparam ſe vidiſſe enarrans, ſibique manu cordi impoſita benè ſperare iuſſiſſe, ac per Beati Philippi merita ſanitatem certiſſimè conſecuturam. Attamen ingraueſcente morbo, iam viribus deſtituta, in extremis verſabatur. Genitor interim ad Vallicellam pergit, ac reliquiæ fruſtulum Philippi ſanguine corſperſum à Presbyteris noſtræ Cōgregationis accipit, quod natæ collo appendens, reiectis medicis, lectica vecti, Cornetum verſus in viam ſe dedunt (erat enim hominis patria) cumque Barbaranum perueniſſent, ægrota cœpit animam agere. Adeſt medicus, qui de ipſa actum pronunciat. Vix ille diſceſſerat, cum Catharina matrem aduocans, ait: Nonne Beatam Virginem aſpicis, candidiſſima amictam veſte, ac cæruleo ſuperindutam pallio? O quam pulchra eſt? O quam ſplendidè fulget! Admonet, ne medico pluſquam par eſt, fidamus: ecce iam valeo. His dictis cibum ſumit, ac die inſequenti hilaris, ac prorſus vegeta ad patriam perducitur. Quapropter genitor ad Beati Viri ſepulchrum veſtem albam, ac tabellam his verſibus exaratam mittit:

Mota Dei Genitrix precibus, ſtudijſque Philippi,
Depoſitam eripuit morti, incolumemque puellam
Seruauit, ſenium ſolatia magna parentum.

Caſtalio veſtem natæ, pictamque tabellam
Appendi iuſſit, voti damnatus, in æde.

9 Miles ab amico ductus, ſacellum ſancti Philippi oraturus ingreditur. Deinde miracula in tabellis appenſis conſcripta lectitare incipit. Nonnulla inſuper ab amico pietatis opera, in quibus Oratorij Patres exercent ſeſe, inaudit. Quapropter Beato ſe Parenti totum deuouet, eiuſque auxilium impensè implorat, neque incaſſum: etenim ipſomet die, cum duo magni Principis famuli inimicum inuaderent, miles ſe interponens, ab altero ex ijs à tergo appetitus cultro oblongo medio pectore tranſuerberatur, qui aliquantulum progreſſus, viribus deficientibus, ſanctum Philippum ex animo inuocat, atque in ædes proximas ſe conferens lecto procumbit. Adſunt chirurgi, qui indicant hominem ſeptima noctis hora deceſſurum. Infirmorum miniſtros aduocant, qui morti proximum precibus, ac monitis auxilientur. Verum hæc inter ecce opportunum è cœlo ſubſidium. Philippus namque extemplo iacenti apparet, eumque ſic alloquitur: Ne dubites, vitam inſtituas meliorem, & viues. Sequenti nocte iterum apparet, eadem pariter verba pronuncians: quod cum & tertio feciſſet, ægrotus ſe morbo leuari nonnihil ſentit. Iniuriam ex corde iam remiſerat, peccata per ſacramentalem confeſſionem expiauerat, necnon fœminam quandam, quacum duos ferè annos impudicè verſatus fuerat, deſponſauerat, cum ecce die ſeptimo tam ſanus lecto exilit, ac ſi nunquam ſibi fuiſſet vulnus inflictum. Non tamen vitam in melius inſtituit, quamobrem ob flagitium quoddam capite damnatus, dum ad patibulum duceretur, quod Beati Viri monitum non ſeruaſſet, id ſibi contigiſſe aſſeuerabat. Obijt tamen datis non leuibus veræ pœnitentiæ ſignis.

10 Hilarius Collius, Septempedanus puer magiſtro iubente, Eccleſiam adit Beatæ Virginis à Luminibus nuncupatam, oppidanis celebrem, vt ſimul cum ceteris pueris peccata confiteretur; (erat tunc temporis templum hoc ſub tutela Patrũ Congregationis Oratorij Romani) Is ergo, quippe qui ineptulus erat, & inquietus, Eccleſiam ingreſſus, ſuggeſtum conſcenderat,

derat, ibique tam graui ſtrepitu ſacras ædes opplere cœpit, vt Confeſſarius, qui è regione confeſſiones excipiebat, coactus fuerit è ſubſellio ſurgere, illumque aſperioribus verbis redarguere. Vix Hilarius è loco deſcenderat, atque in ſacrarium aufugerat, cum ecce Philippus ei ex improuiſo apparet. (nunquam is ſanctum Parentem viderat: audierat quidem, eum eſſe ſimilem cuidam certo ſeni ex conciuibus) qui ad manum puerum ſeorſim trahens, ſic ipſum alloquitur: Proh pudor! quam peſſimè te habes fili! non enim longe abeſt, quin nunc apud inferos crucieris: an non memoria tenes te hæc, & hæc perpetraſſe peccata? & ſingula, quæ Hilarius delicta commiſerat, adamuſſim recenſet, ſubditque: Tali confeſſus es ſacerdoti, cui non ſolum peccata non detexiſti, ſed etiam eo te de multis interrogante, inficias ibas. Scito itaq; ſub poteſtate dæmonis te eſſe, hiſque dictis euanuit. Puer perterritus ad condiſcipulos curſum arripuit, dicens: Pater Philippus Nerius Septempedam venit, mecumque in ſacrario locutus eſt acerrimè, reſpondentibus ijs, neutiquam id eſſe poſſe, quandoquidem aiebant tribus abhinc annis Philippus occubuit. Ad hæc adoleſcens, intra ſe reputans, id fortè ſpectrum fuiſſe, tanto arreptus eſt terrore, vt vix præ anguſtia liberè halitum ducere poſſet. Confeſſionem itaque, quam generalem appellant, quamprimum peregit, atque exinde improbos mores exuens, honeſtam vitam traduxit, ſacerdoſque poſtmodum effectus, quicquid boni nactus eſſet, per Philippi merita ſe conſecutum eſſe profitebatur.

11 Iacobus Lancellottus, presbyter Siculus, Auguſto menſe in morbum lapſus, eo deuenerat, vt iam medici ſpem vitæ nullam ſupereſſe dicerent. Inuiſit eum amicus, qui ex Philippi inteſtinis particulam ſecum deferens, in aquam demiſſam, ſigno crucis ſuperaddito, ægroto hauriendam porrigit. Æger, amico obtemperans, binos dumtaxat hauſtus ſorbet, & protinus melius habet. Nocte, dum precibus incumberet, ei cœlitus Dei famulus adeſt, ſicque fatur: Ne dubites fili, nihil erit: ſume reliquum infuſum, & valebis. Paruit, & confeſtim

feſtim placidiſſimo corripitur ſomno, & mane experrectus ſe adeò firmum, valentemque ſenſit, vt medici illud Euangelicum pronunciarint: Hic mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt. Porrò beneficij non immemor in Diuino recitando officio, commemorationem Sancti Philippi exinde ſemper adiecit.

12 Maris traijciendi cauſa nauem conſcenderat Alexander Linguitus, Congregationis Oratorij Neapolitani Confrater. Hora noctis ſexta tam grauis oborta eſt in mari procella, vt montium inſtar extolli fluctus viderentur: confracto malo, velis dilaceratis, naui ferè ſubmerſas metu impalleſcentibus cunctis, ſolus Linguitus magna cum fide Philippum inuocabat. Et ecce vir Dei, vndique luce præfulgens, ſupra puppim adſtat, ad cuius aſpectum quieſcit vnda, timor ex omnium corde recedit, gratias ſancto viro peragunt, ac lætantes nauigationis curſum proſequuntur.

13 Huic erat frater germanus, qui ſanguinis fluxu ſic improbè ægrotabat, vt medici de illius ſalute iam deſperaſſent. Fundit Alexander pro eo ad Deum preces, votumque emittit. Dumque orat, Philippum ante Deiparam pro fratris ſalute deprecantem aſpicit. Et confeſtim cunctis admirantibus ęgrotus a ſanguinis fluxu liberatur.

14 Mulier Aſculana, Clara nomine, Clarici Matronæ Romanæ, ex familia Mutia, inſeruiebat, oculis probe valens, ſed cum veſperè accubuiſſet, mane ſomno excita, etſi dies iam effulſerat, nihil tamen prorſus oculis percipiebat. Verum adhuc ſe cæcam eſſe non aduertens, rata clauſas adhuc eſſe feneſtras, heram adit: Et cur, interrogat, feneſtræ adhuc clauſæ? Reſpondet hera, eas quidem omnino patefactas eſſe. Famula exiſtimans ſe illudi, manu tentans ad feneſtram perrexit, quā cum ex tactu verè patefactam aduerteret, ſe cæcam deprehendens, vocem dat, & in lacrymas diffluens, comaſque diſcerpens, inclamat: Me miſeram! cæca ſum. Tunc hera certior de re effecta, famulam admonet, vt toto ex corde Beati Philippi, cuius tumulum paucis ante diebus ambæ inuiſerant, opem imploret. Illa continuo genu flectens, toto mentis conatu

nātu

natu Philippum rogat, vt viſum reſtituat (luminibus tamen orbata menſem, vel circiter exegit) Quo tranſacto hera famulam interrogat, quomodo valeat? Ex quo nocte hac oculis meis, reſpondet, impoſuiſti dexteram, melius planè habeo. Erras, ſubdit hera. rem ergo clarius explica. Paulò ante, addit famula, cum ad ſancti Philippi ſepulchrum iuxta condictū ſimul graderemur, ob populi frequentiam ingredi non valentibus, ipſe ſanctus ſe mihi videndum obtulit, atque ex tunc melius habeo. Hæc eſt profecto manus, quæ tibi viſum reſtituit, dixit hera; nam verè neque ego, neque tu Vallicellam ex eo die vnquam adiuimus. Vt autem rei periculum faciant, candelam accendunt, & quid videat, famulam interrogant. Cæreum, reſpondet, accenſum. Ad feneſtram deducta, pertranſeunte curru ſciſcitantur, quid cernat? montem, inquit, maximum deambulantem. Itaque mulier res obiectas in dies diſtinctius dignoſcens, non ſecus, atque euangelicus ille cæcus, qui homines velut arbores ambulantes initio cernebat, paulatim per Philippi merita ex integro viſum recepit.

15 Lucia, Antonij Domitij vxor, a Ripa Tranſona paralyſi laborans, menſes ferè quinque lecto iacuerat, neque ſe è loco vllatenus mouere poterat, difficile os aperire, & dura difficilius dentibus frangere: liquidis ergo tantummodo veſcebatur. Rata itaque morti ſe proximam, ſacerdotem acceſſit, vt ſe Deo per ſacramentalem confeſſionem reconciliet. Poſtridie ſub veſperum beatiſſimæ Virginis, ac ſancti Philippi Nerij auxilium imploranti, dum intenſius orat, Deipara, nec non Philippus videndos ſe offerunt, qui nutibus, ac geſtibus ſanitatem promittunt, & mox ex illius conſpectu auolant. Conſiſtit tunc pauliſper mulier, & an veſtibus induendis vires ſuppetant, experitur, eaſque haud difficulter induta, lecto exiliens, adiuuante nemine ad focum accedit, ibique nonnihil commorata ad cubile reuertitur. Poſtero die priſtinis ex toto reſtituta viribus, templum adit, gratiaſque perſoluit, admirantibus cunctis, qui fœminam nuper decumbentem viderant.

16 Dum pomum veneno infectum ſumit charus olim Philippo

Philippo

Philippo diſcipulus, illud vix ori ingeſſerat, cum ſancti Parentis vocem inaudit, dicentis: Expue fili, caue ne comedas. Tum ille, quantocyus pomum ex ore eijcit. At quoniam ſaliuæ parum deglutierat, cœpit illi ſtatim venter intumeſcere: adhibitis tamen remedijs, non ſine vitæ periculo tandem cōualuit, atteſtante medico, quod ſi pomum comediſſet, vtique è vita migraſſet.

17 Afferam hoc in loco duas ſancti Viri apparitiones ad Baronium noſtrum ſpectantes. Morabatur is Ferrariæ, dum Clemens Octauus ad principatus illius res confirmandas illuc ſe contulerat, quo tempore accidit, vt Auguſtinus Cardinalis Cuſanus Mediolani ægrotaret ad mortem. Baronius nocte recubans Philippum noſtrum ſibi dicentem audit: Extingue lampadem. Circumſpicit ille cubiculum, vt percipiat quade lampade vir Dei intelligat. Is iterat vocem: Extingue lampadem, & euaneſcit. Scire cupienti Baronio, quid hæc ſibi vellent, nonnullis elapſis diebus, Philippus iterum apparet, apertè dicens: Cuſanus mortuus eſt. Nouit Baronius per litteras Cuſanum vita migraſſe eo prorſus momento, quo ſanctus Cuſanum obijſſe edixerat.

18 Aliàs idem Baronius quieſcendi gratia ſe in cubiculum receperat, cui Philippus inter ſomnum, & vigiliam ſe videndum obtulit, eiuſque caput blandientis more vtraque manu, prout viuens conſueuerat, compreſſit, ad quæ dum Cæſar vlnas extendit, vt ſanctum Virum amplexaretur, Pater ſanctus cæleſti quadam dulcedine hominem perfundens auolauit.

19 Conſimilibus apparitionibus ſæpe ſæpius exhilarabat ſuos, prout inter alios de ſe conteſtatur Iulius Sanſedonius Epiſcopus Groſſetanus, qui cum moleſtis cogitationibus quondam agitaretur, obdormiſcens, ſola Philippi apparitione mœrorem depoſuit.

20 Aſcanius Bertaecinius ægrotans, ſe iam per ſacramentalem confeſſionem expiauerat, necnon ſacro munierat Chriſti corpore, cum plane vigil pellucidam cernit amphoram, aquę nitidiſſimæ plenam, quæ ſolis radio percuſſa mirificè

rificè coruſcabat. Interim audit Philippi vocem inclamantis: Ita limpidæ fidelium animæ cœlum ingrediuntur, & confeſtim, hac percepta voce, infirmus melius habet. Arbitratus eſt homo per hanc ſe viſionem monitum eſſe, vt vitam in poſterum peragat puriorem, ſi paradiſi gloria potiri cupiat, quod præſtare exinde conatus eſt.

21 Hieronyma Creſcentia, Petri Pauli Creſcentij S.R.E. Cardinalis germana ſoror, in extremis conſtituta, Viaticum ſumpſerat, cumque ea in re, quaſi aliquid intenſius cogitans, pluſculum ſiſteret, interrogatur a matre, quid animo voluat: Philippum alloquor, reſpondet. Subdit mater: Philippus in cœlum iam abijt. Aſt ego, addit filia, reuerà ipſum præſentem cerno, ip umque alloquor. Ex huiuſmodi itaque viſione tantum roboris nacta eſt puella, tantumque pietatis ſenſum, vt in ipſo mortis articulo de ſolo Chriſto ageret, quæ paulo antequam animam efflaret ad matrem conuerſa: Bono, inquit, animo eſto: etenim Beatum Philippum pro te rogabo. Hoc dicto ſpiritum Chriſto reddit, cuius corpori Pater luminum tantam intulit candoris venuſtatem, vt ſignum non leue dederit, ſe eius extitiſſe templum, cuius delitię ſunt inter lilia degere.

Ad ſepulchrum acceſſu. Cap. XI.

CLAVDIA Rignana, ſtomachi, ac genuum doloribus maximis vexabatur, necnon perpetuo laborabat vomitu, affirmantibus medicis a remedijs deſiſtendum, quod morbus curationem non admitteret. Sex ferè annos hunc in modum puellæ ſe habenti, inter Chriſti natalitia, dolores vehementius augentur, qui vſque ad proximum ineuntem annum illam acerbiſſimè exagitarunt. Kal. Ianuar. dolorum ſæuitia paulum mitigata, curru vecta ad Vallicellam ſe contulit, templumque ingreſſa illico tam dirè conſuetis arripitur doloribus, vt viribus deſtituta, in ſcamno recumbere coacta ſit. Interim qui eam deducebant manu ægram ſubleuantes, ad ſepulchrum ſancti viri perducunt, quæ flexis genibus

inſtan-

inſtanter auxilium efflagitat, ac votum facit, ſi valetudinem conſequatur, quotannis in Beati viri peruigilio pane ſolo, & frigida contentum, ieiunium completurum. Vix votum emiſerat, cum extemplo reſumptis viribus, dolores abeunt, per templum firma graditur, currum nullo iuuante conſcendit, ac planè valida domum reuertitur.

2 Hippolyta Martellia artuum doloribus annum circiter tam acriter laborauerat, vt ſine ancillarum ope ſe loco mouere nullatenus poſſet. Irritis omnibus medicorum adhibitis remedijs mane auxiliantibus ſuis ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Vallicella ſe contulit, atque ad ſancti Philippi tumulum deducta rogat, vt ſi animæ ſaluti conduxerit, vel dolorem adimat, vel ſaltem minuat. Vix orauerat, cum protinus abſcedit dolor, vires recuperat. Miſſam audit, & ſacerdote euangelium legente, nullis è ſuis adiuuantibus conſurgit, ſtatque. Exinde fulciente nemine domum reuertitur, atque in poſterum eo morbo nunquam laborat.

3 Felici Sebaſtianæ, de qua alibi ſæpe, infantulus erat, Gregorius nomine, leproſo non abſimilis, derelictus a medicis, quod morbus incurabilis diceretur. Pueri corpuſculum puſtulæ quędam vndequaque contexerant, quæ doloribus acerrimis miſellum lancinabant, cutemque exaſperarant, ex quo neque veſtibus indui, neque indutis exui poterat, quin ſanguis efflueret. Inſuper vſque adeo debilis effectus eſt, vt dum ſtare, vel aliquo incedere vellet, tibiæ, non ſecus atque neruis carerent, vel nulla adeſſet oſſium compago, inflecterentur. Totam hyemem hoc diſcruciatus dolore, vocem emittebat ita flebilem, tamque moleſtam, vt quotquot aderant, mœrore opplerent. Quapropter domeſtici tantam miſerati calamitatem, ad vſitatum ſancti Philippi ſubſidium confugiunt, ſalutem, ſi magis expediat, paruulo poſtulantes. Genitor ergo, & alter ex liberis ad Beati Patris ſepulchrum ægrotantem deferunt, qui eademmet hebdomada a puſtulis omnino mundatur, firmo pede incedit, atque integræ reſtituitur valetudini.

4 Ioſephus Marus Neapolitanus ita coxendicis dolore angebatur, vt niſi famulorum brachio innixus, vel equo, aut

curru

curru vectus ad locum moueri neutiquam poſſet. Romam veniens ſancti Philippi ſepulchrum ſumma veneratione inuiſit, femurque ad arcam, vbi ſancti viri corpus ſeruabatur, magna cum fide admouit, oratque parumper. Oratione peracta, ceſſat dolor, ac nullius adminiculo domum redijt, quod videntes ſui, miraculum exclamant.

5 Ioſepus alter, Zerlius, Eques, & Congregationis noſtræ Confrater, antequam Congregationem iniret, apud Rotæ Romanæ Auditores litem agebat, qui neſcius quidnam amplius humanitus ageret, ad diuina confugiens, ſepulchrum Beati Parentis adit, ſic orans: Edoce tu ſancte Pater quid agã. Et ecce dum anxius fundit preces, ſcripturæ quædam menti occurrunt, a ſe nunquam antea perpenſæ. Domum itaque reuerſus, ſerius illas conſiderans, eaſdem ad patronum defert, quarum ope victor litis euaſit, ex quo Congregationis ineundę occaſionem nactus eſt.

6 Iulia Lippia, ſæpius commemorata, in ſancti Philippi peruigilio, animo tam anxio, corporeque tam fracto erat, vt nec pedibus inſiſtere poſſet. Summa itaque cum fide ad ſancti Patris tumulum perreptans, Philippum rogat, vt corporis ſalutem, vireſque ſibi ab Altiſſimo expoſcat: & en repente mulier gaudio perfunditur, necnon etiam vires continuò reſumit.

7 Quidam, qui Philippum ſibi in Patronum delegerat, ſacrum eius tumulum quotidie, dum liceret, inuiſebat, & quoniam planè totum in lites patrimonium conſumpſerat, ad extremam redactus eſt inopiam. Mane ex conſueto, oratione in ſacello peracta, virum habet obuiam, qui ſponte pecuniam dat, & abit. Die altero a ſacello diſcedens offendit matronam, quæ illum ſciſcitata, num egeat, vim pecuniæ maximam erogat. Tertio inter precandum videt ibidem papyreum inuolucrum, auditque vocem: Sume tibi. Verum ſacrum locum reueritus, illud ſumere non eſt auſus. At poſtea inuolucrum vltro patefactum conſpiciens, iterumque audiens: Sume tibi, nummos accipit: & inquiſitione diligenter facta, num pecuniam quis amiſiſſet, cum inueniſſet neminem, Deo, ac B. Philippo gratias agens, inuenta retinet.

Eius

Eius nomine inuocato. Cap. XII.

MARCELLVS Laurentius Epiſcopus Strangolenſis, ſic laterum doloribus vexabatur, vt ſe morti proximum eſſe cenſeret. Quamobrem B.Philippo, quā qui maxime fidens, ab eo in hæc verba auxilium implorat: Heus optime Pater, tu qui olim Clementi Octauo ex chiragræ cruciatibus laboranti opem porrexiſti, opitulare quæſo & mihi tam diris agitato doloribus. Vix verba protulerat, cum ab omni ſe vexatione liberum ſentit.

2 Abbas Marcus Antonius Maſſa, de quo ſæpius alibi mētionem fecimus, laterum doloribus angebatur, calculo renibus inhærente. Remedia nil proderant, nilque remittebatur dolorum acerbitas: quare humano deſtitutus auxilio, ex toto ſe cordis affectu S.Philippo commendat, atq; inter preces emittit calculum, & ſanus efficitur.

3 Auguſtinus Maria, Reformatorum S. Auguſtini Vicarius Generalis, itidem laterum doloribus excruciabatur. Orat in hæc verba: Rogo te Beate Philippe, per illam charitatem, atque humilitatem, quam olim inter mortales mortalibus oſtendiſti, vt apud Deum interpelles pro me, ne tam ſæuis doloribus exagiter. Eodem planè tempore, quo verba profert, abſcedunt dolores, neq; vnquam deinceps reuertuntur.

4 Theodorus Zinus, Canonicus Veronenſis, vehementiſſimis vexabatur podagræ doloribus, & quoniam nullum medici ſuggerebant leuamen, animi leuandi gratia, miracula, quæ Deus Optimus Maximus per Seruum ſuum Philippum quotidie perpetrabat, ſibi legenda curat. Inter legendum, ſpiritu actus in hunc modum exclamat: O Beate Pater, tu tot, penituſq; ignotis opem attuliſti, adiuua me quæſo, qui tibi viuenti toties dum Sacrum faceres, inſeruiebam. His prolatis, corripitur ſomno, & mox vocem inaudit dicentis: Heus vos tantis leuate hominem doloribus. Experrectus ſe angoribus expertem ſenſit, neque ijs amplius indoluit.

5 Rodulphus Silueſtrius, Romæ medicus, ſtomacho acriter

ter laborans, irritam omnem medicorum operam expertus, recogitat ſe olim ſancto Viro adhuc inter viuos exiſtenti medicinam feciſſe, quamobrem ſic illum affatur: Ah Vir Dei, per benignitatem illam, qua me viuens, dum tibi medebar, excipere ſolitus eras, etiam atque etiam rogo, vt me ab huiuſcemodi languoribus eripere non dedigneris. His dictis, ceſſant dolores, ſomnum capit, & ad ſeſquihoram requieſcens, ſe omnino ſanum comperit, tabellamque ad ſepulchrum appendit in hæc verba: Dum varijs, ſæuiſque ſymptomatibus mori me ſentio, implorato B.Philippi auxilio, placidus ſomnus me arripuit, & ſtatim conualui.

6 Idem ferè accidit Victoriæ Frangipaniæ, quæ itidem ſtomachi affecta languoribus, Philippum deprecata, ſanitatem ſubito eſt conſecuta.

7 Chriſpolitus Sabatius ſumma febri, ſummoque capitis dolore ex improuiſo arreptus, quoniam ad viginti fermè annos nunquam ægrotauerat, quippe qui natura robuſtus, vi ſibi facta, iter contendit. At mox deficientibus neruis & domum reuerti, & lecto ſe committere cogitur. Interea meminit miraculorũ, quæ ſancti viri beneficio patrabantur in dies: meminit etiam pectoris eius candorem, quem nuper in ſacello ad ſepulchrum inſpexerat, quare oculis in cœlum conuerſis ſic orat: Dignare quæſo Beate Pater, ab hiſce me malis liberum reddere. Vix iſthæc pronuntiarat, cum repente febris abſcedit, euaneſcit dolor, & ſanus omnino efficitur.

8 Darius de Bernardis Foroiulienſis, Magnatem quendam valde ſibi iratum non libenter adibat, quare dubitans, ne quid ſibi mali ex acceſſu contingeret, ſic Dei Famulum inter eundum precatur: O ſancte Philippe, qui tum viuens, tum mortuus innumeris prope fidelibus tuliſti opem, eripe me nunc ad mortem proculdubio aduolantem. Quo direxerat iter, iam peruenerat, quando Magnatem educto enſe in ſe irruentem cernit. Inuocat tunc Darius iterum Philippum: & ecce, res mira! etſi aduerſarius multos homini imprimebat ictus, illum tamen nec minimum læſit. Quod aggreſſor ipſe demirans, ait: Quid mihi impedimento fuerit, quin te in-

terfecerim, neſcio. Rogat alter ſupplex, ne grauetur excuſationem admittere. Præbuit aures, ſingulíſque bene perceptis, Darium illæſum dimiſit.

9 Alexander Fulginius, inteſtinorum doloribus arreptus eſt, qui plerumque ad quindecím, vel viginti circiter horas miſerum cruciabant, eumque ſæpiſſimè in vitæ diſcrimen adducebant. Interim, dum magis ſæuit dolor, inter multa Philippi miracula illo Ioſephi Caſtalionis filiæ audito, maiori, quo potuit pietatis affectu, preces ad Beatum Virum direxit: & vix ſemihora tranſacta dolor receſſit.

10 Mulieri, in Campania, erat domus, quam dæmonum ſpectra infeſtabant, ac grauiores in dies terrores domeſticis incuſſerant. Semel accidit, vt noctu adeo ab illis fœmina exterreretur, vt foras egredi coacta fuerit. Verum reſumptis animis domum reuertitur, limenque ſubiens, magna cum fide Philippi nomen inclamat, & hoc vno nunquam amplius auditi ſunt ibi dæmonum ſtrepitus.

Imaginibus. Cap. XIII.

HYperenſtra Damiana Confeſſario ſpoponderat ſe a lectione quorundam librorum, quibus maximoperè delectabatur, omnino in poſterum abſtinere: attamen promiſſionis oblita ex illis vnum, caſu occurrentem, perlegere auſa eſt. Cui repente tantus in oculis accenſus eſt ardor, tantuſque tumor excreuit, vt eos aperire neutiquam poſſet, nec lacrymas vllatenus cohibere. Libro igitur ſtatim reiecto, viam manu tentans, domeſticis morbum enunciat, eoſque conſulit de remedio, qui medicos aduocandos decernunt. Interim fœminam hortantur, vt ſe toto pectore Beato Philippo commendet, eamque ad ſacram eius imaginem deducunt. Tangit Hypermneſtra imaginem, & manu qua tetigit, oculos contrectat. Illico aperit, ardor ceſſat, diſcedit dolor, & ægritudo prorſus ſedatur.

2 Virgo, nomine Antonina Raida, quæ vitam ſub diſciplina Beati Viri valde laudabilem duxerat, ſiniſtro genu grauiter

ter laborabat, eoque tumefacto ſic nerui obriguerant, vt nec femur, nec tibiam extendere vel parum quid valeret. Cum itaque octo iam annos ſic ægrotaſſet, medicorumque ſubſidia cederent: recrudeſcente dolore ante Philippi imaginem, quam domi ſeruabat, ſe proſternit, atque impenſius orationem protrahens, vouit, dum conualeſcat, crus cęreum ad eius ſepulchrum appenſuram. Quid multis? vbi primum orationem abſoluit, ſanatum eſt genu, ſiſtit pedem, paſſus commode explicat, neque amplius deinceps hoc morbo afficitur.

3 Petrus de Maximis, Fabritij filius, cui, vt ſupra enarrauimus, Philippus nomen indiderat, dum vnà cum patre Mediolani verſatur, in febrim, quam tertianam duplicem vocant, incidit. Morbus ad ſeptuageſimum ſextum diem producitur: & iam medici de eo actum pronunciantes, mortem expectant. Fabritius filij mortem cum præſens ferre non poſſet datis pecunijs ad funus celebrandum Romam redire cogitat, At prius quam diſcedat, Beati Parentis effigiem nato oſtendit, dicens: Reſpice fili Beati Patris noſtri imaginem. Conuertit tum ille oculos, ac piè illam conſpiciens, ſanitatem a Beato Viro ſupplex efflagitat, & obdormiſcit. Prima luce accedunt medici, eumque planè valentem reperiunt. Quare poſt triduum Romam verſus, permutatis equis, iter carpit, atque ad Vrbem longe robuſtior reuertitur, quam antea diſceſſerat.

4 Ioannes Andreas Pomius, cognomento, Lucatellus, febri, & ſtomachi debilitate laborans in vitę diſcrimen deuenerat, quem cum inuiſeret Pater Antonius Gallonius, imaginem Beati Philippi, quam ſecum detulerat, infirmo oſtendit. Is, vt qui olim ſancto Viro, dum viueret, familiariter vſus fuerat, eam exoſculatur, ac reuerenter adorat. Et protinus tum febris, tum dolor abſcedunt.

5. 6 Archangela Ancaiana, Spoleti in Monaſterio ſanctæ Catharinæ de Roſa Monialis, cum prope quinquennium febri laboraſſet, Romam dat literas ad Monialem amicam (fuit hæc Magdalena Vrſina, quæ marito defuncto, monaſticam vitam, in Quirinali conſtructo ſibi Cœnobio, elegit) vt Vrbis medicos conſulat, num fortè ſuæ valetudini remedium

inueniant. Reſcribit illa in hæc verba: Quod ais de medicis, melius, crede, conſilium inibis, ſi te Philippo Nerio ex corde commendes, citius namque ab ipſo, quam a medicis ſalutem conſequeris. Paret Archangela, ſanctoque Viro ex animo fundit preces, atque eodem momento omnino febris receſſit. Quamobrem per literas de recepto beneficio amicam admonet, quæ nonnullas Philippi reliquias, atque imaginem tranſmittit. Accidit poſt hæc, vt Archangela, tranſactis menſibus, ſiniſtro oculo peſſimè habeat, cæcitatiſque periculum ſubeat, & quoniam medici multa parauerant pharmaca, ipſa tamen, miſſis omnibus, magna cum fide ea Beati Philippi imagine manu tacta, oculos ſibi tangit: ac poſtero die ſe ex toto liberam comperit. Idem ferè contigit alteri in eodem Monaſterio Moniali, quæ vehementi capitis dolore vexata, eadem imagine temporibus admota ſe protinus valentem factam apud alias gratulatur.

7 Tecla Sclamana, in Monaſterio ſancti Silueſtri de Vrbe Monialis, apoplexia correpta, labris, oculiſque obuerſis, corpore vndique tremebat, iamque linguæ vſum amiſerat. Dum igitur mortem expectant, ipſa in ſancti Philippi effigiem, quæ è pariete pendebat, aciem figit, atque illi ſe valde ex animo commendat. Extemplo linguam ſoluit, & expeditè loquitur, ac præ gaudio geſtiens, altius inclamat: O ingens beneficium! Beatus Pater Philippus, vt peccata confitear, linguæ mihi vſum reſtituit. O beneficium ſingulare! Generali ergo peracta peccatorum confeſſione, multis cum lacrymis Euchariſtiam ſumit, ea ſemper iterans verba: O ſingulare munus! O ſanè magnum beneficium! ac tribus tranſactis horis, iterum linguæ vſum amittit, atque oleo ſancto inuncta expirat.

8. 9 Æſtuabat quædam mulier ea ſanguinis ebullitione, quos morbillos appellant, morbuſque inualuerat adeo, vt certa daret mortis indicia. Vir eius magna cum fiducia ſancti Philippi imaginem vxoris pectori imponit, quę confeſtim conualuit, cunctis qui aderant, miraculum exclamantibus. Idem ferè accidit cuidam Tertiariæ: nam Philippi imagine

ſuper-

ſuperpoſita derepente ſanitati reſtituitur.

10 Bartholomæa de Magiſtris, cuius patri Alexandro, & Auguſtino fratri, necnon Margaritæ ſorori, Philippus ſtatim a morte, vt ſupra enarratum eſt, ſanitatem reſtituit, cum linteaminibus mundandis domi operam daret, vas feruentis lixiuij plenum in ſuas ipſa manus ex incuria effudit; cui protinus in cute veſiculæ erupere. Quare doloris impatiens manus illico in frigidam mergit, ex quo cum inualuiſſet dolor, vocem mittit. Parentes accurrunt ac panis medullam vino dilutam affectis manibus applicant, faſciaque ſuperinducta filiam febri correptam lecto imponunt. Mater puellam rogat vt flexis genibus ante Philippi imaginem ab eo ſanitatem expoſcat, quæ ſtatim lectulo deſiliens obtemperat. Manè experrecta: Euge mater, inquit, manus rectè habent. Accedunt domeſtici, atque illam omnino ſanam reperiunt.

11 Quo primum Viri Dei imagines typis impreſsæ a compluribus colebantur, vir impius, cum vidiſſet amicum ex ijs vnam apud ſe habentem, irridentium more, caput mouet, rictumque obducit, inſuper imaginem rapit, inque globulum redigens, in terram proijcit. Mirum! illicò imago, antequam humum tangat, explicat ſeſe, ac librata in aere pendet. Verum vir improbus pedem impingit, calcatque, & iterum imago pendulam ſe in aere librat. Tunc is perterritus, facti pœnitens, repente genuflectit, imaginem veneratur, confeſſarium adit, culpas diluit, & ad meliorem frugem ſe recepit.

12 Neapoli degebat puella energumena, Iulia Peregrina nomine, quæ etſi nullas plane literas didicerat, latinè tamen diſertiſſimè loquebatur, quin paſſim reuelabat occulta. Parochus ad ſancti Philippi imaginem, vt malos pellat dæmones, puellam perducit, quæ ſtatim atque effigiem intuetur, dæmones iterum ac ſæpius inclamant: Nos Philippus expellit. Et continuo Iulia ſe liberam ſenſit. Teſtata eſt puella, ſe, dum dæmones diſcedebant, quendam vidiſſe ſenem, imagini non abſimilem, illos profligantem.

13 Trapani in Sicilia Paſchalis Pinellus tynnorum piſcationi incumbens, cum ſuperioribus annis grauem paſſus eſ-

ſet rei iacturam, auditis rebus mirabilibus Philippi meritis a Deo patratis, paruulam eiuſdem imaginem, arundinis internodio incluſam, vnà cum retibus in mare proiecit, ſperans omnino fore, vt tam admirandi interceſſoris auxilio maximam tynnorum vim capturus eſſet. Suſpicabantur ſocij, ne fruſtra laborem impenderet, tum quia temporis ratio aduerſabatur, tum quia reboantibus tonitruis haud integra erat maris tranquillitas, quę maximè in huiuſmodi piſcatione deſideratur. Ceterum Pinellus, quod beatum Philippum piſcationis patronum delegerat, fidebat plurimum. Iactis ergo retibus, tantam tynnorum copiam includit, vt ad quater centena librarum millia, & eo amplius eorum pondus aſcenderit.

Beneficia complura eius interceſſu a Deo collata. Cap. XIV.

GERMANICVS Fidelius, de quo alibi dictum eſt, Clementis Octaui iuſſu, vnà cum Cardinali Tauruſio, ſumma hyeme, Mantuam, & Parmam proficiſcitur. Dum igitur ante ortum ſolis beato ſe Philippo de more commendat, tam inſolita deuotionis dulcedine perfunditur, vt ægre poſſet ab oratione diuelli, quare ſecum reputat, facile fore, vt eo die aliquod ſibi inſtet periculum, propter quod Serui Dei auxilio indigeat. Diſceſſum Tauruſio feſtinante, tandem progreditur. Cum autem iam multum iter confeciſſent, iumentum, quo Germanicus vehebatur, offendit, labiturque: quod is, vt exurgat, calcaribus vrgens habenis adductis erigit: at brutum, quod pedes ſolo figere nequeat, iterum corruit. Tum Germanicus equo deſilire cogitat, dumque altero pede adhuc hæret, equus perterritus, citato curſu per vepres, ſalebraſque hominem è ſtapede ſuſpenſum ad ſtadium raptat. Comites, quod auxilium præſtare nequeant, voces mittunt, illumque Deo commendant, & ecce inopinato pedem liberum extrahit, ocrea, & calcari ſtapedi inhærentibus, & ipſe

ſurgit

ſurgit incolumis, atque alterum conſcendens equum, validus, ac firmus reliquum iter peregit. Conteſtatus eſt poſtea, dum raptabatur, Philippi vocem audiuiſſe dicentis more ſuo: Ne dubites, nihil erit.

2 Abbas Iacobus Creſcentius Cœmeterium Priſcillæ vnà cum amicis ingreditur, vt ibi ſanctorum corpora pia veneratione coleret. Secum itaque hominem deducunt, qui ſingulos loci aditus optimè noſſe profitebatur. Per latebras ergo illas, horas permultas percurrunt, cum repente itineris dux, aberrans inclamat: Heu, rectam amiſimus.: Ad hanc vocem ſingulorum ora palleſcunt, pergenteſque ad locum deueniunt labyrintho perſimilem: quo, cum huc, illucque diſcurrunt, & ſemper redeunt, vnde diſceſſerant, ex quo formidant magis; & quod eos amplius deterret, facibus ad inferendam lucem delatis iam conſumptis, cæreus tantummodo ad ſemidigitum ardebat. Labore, timoreque fracti currunt, diſcurrunt, & quiſque ſe mortuum reputat. Dolebant præcipuè, quod loco occumberent, vnde quid de illis actum eſſet, ſciret nemo. Abbas demum, ſic fatur: Beatum Philippum precibus obſecremus: is namque procuidubio opem feret. Flectunt genu, orantque ex animo, cum inde poſt paululum, ecce ad oſtiolum, quo introierant, ſe perueniſſe cernunt. Reuiuiſcunt, ac læti ex abditis illis locis egrediuntur, & qui adhuc ieiuni octo ferè horas illas latebras percurrerant, prius quam ſe domi recipiant, ad Beati Viri ſepulchrum aduolant, vt gratias agant.

3. 4 Pannonius Ceccarellus Peruſiæ in carcere detinebatur grauiſſimi ſceleris accuſatus. Eius frater germanus Romæ ſacerdos vnà cum altero ſacerdote ad ſepulchrum S. Philippi ſe contulit, vt pro fratre inſonte fundat preces. Quibus abſolutis compresbyterum rogat, vt ad altare ſancti Viri pro eiuſdem ſalute ſacrum faciat, qui pridie idus Octobris Miſſam celebrat. Tranſactis autem diebus, a Pannonio litteras in hęc verba accipiunt: Mihi pridiè idus Octobris, hora circiter poſt meridiem, carceris claues inopinato occurrunt. quare aperto carcere ante Iudicem, & actuarios ſecurus pertranſeo, aduer-

tente nemine, Peruſia diſcedo, eoque die inter vepres deliteſco: veſperè verò Tyberim traijcio, liberque euado. Frater ijs perlectis itidem per literas, quid Romæ egerit pro eius ſalute ſignificat. Et ipſe in Vrbem veniens pro gratiarum actione votum ad ſepulchrum ſancti Philippi defert. Hic idem Panneni us dum aliàs doloribus actus, ſe Philippi precibus cōmendat, id vnum recolens beneficium ad eum mentem conuertit, & repente fit ſanus.

5 Venator in ſaltu aprum aggreditur, qui exertis dentibus grauiter hominem vulnerat, ex lumbis altero penitus diſciſſo, tribuſque pariter neruis infra poplitem eidem diſcerptis. Cumque ex dolore conuulſiones ingruerent, omnes de illo actum dicebant. Verum ſancti Philippi capillis ægrotanti admotis illico abit dolor, conuulſiones abſcedunt, & paucis poſt diebus ita vulnera coaleſcunt, vt ne quidem claudicare videretur.

6 Stephanus Calcinardus, quem ſępius cōmemorauimus, in agrū Braccianenſem Paulus V. in monte Ianiculo ſe contulit, a debitore pecuniā exacturus, cui ille equi pullum inſolutū dedit, quē Stephanus benè capiſtratum conſcendit, viamq; ad Vrbem aggreditur (quandoquidem ſatis cicur videbatur) Verum cum pullus ad quendam perueniſſet riuulum, aquę murmure perterritus, arrepta fuga, ad quatuor millia paſſuum Stephanum abripit. Vagabatur per inuia brutum, capite ſemper in terram prono, cumque ad præruptam nemoris cautem deueniſſet, & in imum & ſe, & ſeſſorem iam iam præcipitem daret, is vocem attollens exclamat: O Beate Philippe! Ad vocem ſiſtit iumentum, & ſeſſor euadit incolumis.

7 Hieronymus Vecchiettus, qui bis in Ægyptum profectus fuerat, vt Eccleſiam Alexandrinam Romanæ coniungeret, teſtatur ſe impedimenta omnia tum a Turcis, tum ab alijs infidelibus illata, ſancti Philippi precibus, cuius imaginem ad viuum expreſſam ſecum illuc detulerat, ſuperaſſe. Tribus item inſtrumentis, quæ ſuper huiuſmodi negotio conficienda curauerat, quorum tertium ad Vrbem poſtea delatū coram ſummo Pontifice Clemente Octauo lectum eſt, rem

omnem

omnem perfectam teſtatur Philippi meritis, ac precibus. Et idem ſubſcripſit Barſum eiuſdem Alexandrinæ Eccleſię Archidiaconus.

8 Accidit etiam, vt in prædicto vnionis tractatu cum Hieronymus interiores Ægypti partes ſine vitę periculo peruadere non poſſet, & tamen ad ſcripturæ cuiuſdam confirmationem illuc accedere opus eſſet, virum ex incolis peritum mitteret, Sidum Michaelem nomine, cui, antequam iter arriperet, prædictam ſancti Philippi imaginem oſculandam præbuit, dicens: Hunc tibi Patronum, itineriſque comitem conſigno, hunc venerare, ad hunc in dubijs confugito. Diſceſſit Michael, ac media via Arabes offendit, qui illum adorti lancea percutiunt, abeuntque (talis enim apud eos extat mos) ſed ipſe Philippum inclamans, ictu eluſo liber euadit.

Miracula poſtquam Sanctorum albo adſcriptus eſt. Cap. XV.

ALTISSIMO tandem placuit Seruum ſuum Philippum poſtquam ſolemni ritu Sanctorum catalogo adiectus eſt, multis etiam illuſtrare miraculis. Moleſtis quibuſdam corporis, & animi affectionibus vehementer angebatur Hieronymus a Porta Aquenſis, Sauonæ medicum agens, & ad multos itidem menſes Beati ſe Philippi precibus commendarat, cum ijſdem ferè diebus, quibus Romæ Philippi relatio inter ſanctos ſolemniter agebatur, dum ad quoddam Beatæ Virginis templum viam dirigeret, inter eundum capillos ſibi obrigi ſenſit, duabuſque manibus caput obſtringi (hoc namque pacto ſolitus erat Philippus noſter, dum viueret, eos qui ad ſe confluerent, excipere, quibus præſertim familiariter vtebatur) Per morulam igitur ſic obſtrictus mox dimiſſus, ab omni pariter ſe moleſtia dimiſſum comperit, ſanitate ſibi priſtina reſtituta, ac lætitia.

2 Andriæ in Apulia, Monialis hydropica, Chriſtina nomine, Viri Dei calceum, qui honorificè per vrbem procedente

te

te populo, deportabatur, vt illum oſcularetur expetijt: fidens ex hoc dumtaxat ſanitatem ſe conſecuturam. Eius deſiderio obſequentes ſacrorum miniſtri peractis publicè precibus, calceum ad Monaſterium deferunt, quem Monialis ſumma cum deuotione, ac fide deoſculans, vix datis oſculis tumore diſrupto, ac ſanie effluente nouit ſe ab hydropiſi liberatam.

3 Ceſenæ in Monaſterio ſancti Spiritus, Maximilla Gennaria continenti, ac lethali ardebat febri, quæ iam extrema vnctione delibuta extremis viribus cum morte certabat. Porrò cum ipſa Beatum Philippum ſtudioſiſſimè coleret, adſtantes rogat, vt ſancti viri vitam capitis puluillo ſupponant, quo peracto vocem in audit ſibi dicentis: Maximilla ſurge. Ad vocem ſtatim fœmina lecto inſidet, inclamatque: Iam valeo. Ad hæc Moniales delirare arbitratæ mortem præſtolantur. Accedunt interim medici, qui arteriarum motu explorato verè ſanitate donatam reperiunt.

4 Ripæ Tranſonæ in Piceno, Ioanna Filetia in Monaſterio ſanctæ Claræ Monialis, quinque integros annos ſpirandi difficultate laborauerat, atque ita morbus exaſperatus erat, vt ne quidem pedibus niti iam poſſet. Cum itaque multis vſa remedijs, incaſſum abirent omnia, factum eſt, vt anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo menſe Aprili, quo die ibi ſolemnes habebantur ſupplicationes in honorem ſerui Dei, ijs peractis, vexillum Beati viri delatum fuerit in templum prædictarum Monialium, ac ſuper altare collocatum. Ægrotans id perſentiens, vires confeſtim colligit, ac toto cordis affectu ante imaginem prouoluta, orationi ſe dat, & extemplo ſe omnino liberam ſentit. At quoniam ſubinde rogata, vt rei veritatem per chirographum publicum teſtaretur, nonnihil hæſitans; rurſus aſthmate corripitur, ex quo perterrita ſtatuit quamprimum publicis tabulis rem totam enarrare, quod ſtatim, ac præſtitit, iterum tum ſuo, tum ceterorum ſtupore, ſanitatem recuperat.

5. 6 Eodem die, quin eademmet hora, qua Romæ imago ſancti Philippi è Baſilica Principis Apoſtolorum ad Vallicellam; ea qua decebat magnificentia, ſupplicantium agmine

com-

compoſito deferebatur, in Beati Patris ſacello quidā pius orabat ſacerdos. Is cum ingrediente vexillo, & ſubſequente populo, perſonantibus organis hymnus, Te Deum laudamus concineretur, præ lætitia abiens in lacrymas, ac magna pietatis dulcedine perfuſus, beneficium protinus inopinato ſe obtinuiſſe aduertit. Quandoquidem duos annos in ſiniſtro oculo maculam geſtauerat, qua ſępe maximis afficiebatur doloribus. Verum ad prædictæ imaginis ingreſſum euanuit macula, nec ei dolor amplius moleſtiam intulit.

7 Sauonæ quædam adoleſcentula multos iam annos ſtrumis afflictabatur. Mater de filiæ morbo confeſſarium alloquens ab eo conſilium accipit, vt ſancto Philippo Nerio ſe ex animo commendet, adeatque propterea cathedralem Eccleſiam, in qua eius imago expoſita erat, filiæ valetudinem proculdubio, vt ipſe aiebat, conſecutura. Abit mulier, & orat, & ecce domum reuerſa faſciolas, atque ligamina a filiæ collo excidiſſe intuita eſt, ac die poſtero magno cum gaudio, omniumque admiratione illam penitus conualuiſſe mirata eſt.

8 Franciſcus Arcaſius medicus, vxorem, ac filiū, qui duodecim erat annorum, vnà cum famulo, & famula Sauonam miſerat. Hos inter eundum latrones intercipiunt, qui filium dimiſſis alijs captiuum retinentes, bis millenis aureis, ſi viuum eum parentes velint, redimendum indicunt. Pater hæc audiens, quippe qui æs tantum ſoluendo non erat, plures adhibet potentes viros, vt ipſorum opera filius ſibi reſtituatur incolumis, ſed incaſſum omnia. Interea prædones, quod pecunia non ſoluebatur, natum patri interfecturos denunciant. Is conſilij inops Confeſſarium de re conſuluit, qui Pannonij Ceccarelli allatum ſupra exemplum recolens hominem hortatur, vt Miſſam in honorem ſancti Philippi celebrandam curet, haud dubie ſperans breui futurum, vt filius incolumis reuertatur. Is die poſtero, decimo videlicet octauo menſis Iulij ſacrum fieri curat, & en die inſequenti tenoris huiuſmodi ab amico literas accipit: Hodie mane cum omnia præter exules cogitarem, ipſi, Domino, vt reor, ſic inſpirante, ad me veniunt aſſerentes, nullam ſe pro filio tuo pecuniam accepturos, &c.

vos, &c. Die itaque eiuſdem menſis vigeſimo ecce puer magno cum ſuorum gaudio Sauonæ illęſus comparuit.

9 Veronæ, nobilis fœmina cum tertiana febri ad multas hebdomadas æſtuaſſet adhortantibus medicis, cœli mutandi gratia, rus ſe contulit. Deferbuit quidem initio febris, ſed eo vſque ſibi crura intumuerunt, vt poplitem flectere nullo modo poſſet. Veronam itaque redire coacta iterum ſe medicorum curæ ſubmittit. At cum multis adhibitis linimentis magis augeretur morbus, conſilium ineunt tribus in locis genu intercidendi. Ad hæc ægrota inciſionem perhorreſcens totam ferè noctem traduxit inſomnem, ſed animo a[git]ans miracula, quæ vndique de ſancto Philippo Nerio circumferebantur, vouit ſe prima luce in eius honorem Sacrum celebrandum curaturam, & ſi conualeſcat, crus argenteum ad eius altare appenſuram. Emiſſo voto quieſcit. Mane ad Eccleſiam graditur, auditoque Sacro, domum redit. Accedunt Chirurgi, iuxta condictum inciſionem facturi, ſed inſpecto genu nihil mali in eo reliquum eſſe intuentur.

10 Salonæ, quidam reus capite plectendus amicum rogat, vt det literas ad nobilem fœminam, Veronæ commorantem, Barbaram Cerutam nomine, heram olim ſuam, vt ſibi placeat in ipſiuſmet ſacello ſub titulo ſancti Philippi Nerij erecto pro ſe iam morituro preces haberi. Pia fœmina acceptis literis, tres illico filiolos ad ſacellum mittit, vt ſanctū Virum pro reo deprecentur; & ecce, dum pueri Veronæ orationem protrahunt, & Salonæ reus ad patibulum ducitur, a Senatu committitur Præſidi, vt ſententiæ executioni ſuperſedeat, iterumq; acta recognoſcat, cuius mandato reus confeſtim in carcerem reducitur, & cauſa de integro diſcuſſa, qui morti tradendus fuerat, liber dimittitur.

11 Parmæ, in Monaſterio S. Pauli, inter ambulandum, cuidam Moniali ſiniſtrum genu luxatum erat, quæ ingentibus correpta doloribus immobilis hæret, clamat. Ad clamorem præſto ſunt reliquæ, eamque in cubiculum aſportant, ſed quoniam præ doloris vehementia iacere non poterat, in extrema cubilis ora ſedet. Aduocantur medici, ſed dolores ſæ-

uiunt

uiunt magis, quamobrem iam impatiens exclamat: Glorioſe ſancte Pater Philippe adiuua me. Vix his datis vocibus in alias prorumpit: Conualui, conualui, ecce tibi, rectè iam habeo, & protinus ſurgit, & cum ceteris monialibus ad Completorium feſtina cucurrit, meritaſque Philippo gratias perſoluit.

12 Paulus de Bernardis Opitergienſis viro nobili Romæ inſeruiens, cum alterius nobilis famulo rixam contraxerat. Die poſtero iurgium acerbius ineunt, quamobrē alter Paulo minas inferens: Huius, inquit, diei fac memineris. Paulus ad Vallicellã ſe contulit, auditoq; ſacro, ſacellum B. Philippi ingreſſus eundem ex corde rogat, vt ſe ab inimico cuſtodiat. Secunda noctis hora, cum ad peragenda negocia inermis in viam egrederetur, decem ferè paſſus ab oſtio domus progreſſus, a conſamulo, laterna verſatili oculis obiecta, ſtylo ferreo per medium iugulum ad nucam recta transuerberatur. Aggreſſor in faucibus relicto ſtylo ſe dat in fugam. Paulus initio alapam ſe recepiſſe putat, ſed cum vulneratum ſe agnoſcit, ſanctum Philippum compellat, qui cœlitus conſuetam promit vocem: Ne dubites, nihil erit. Ad ianuam domus reuerſus iubar maximum cernit effulgens, ſtylumque ſibi gutturi infixum videt, quem continuo extractum proijcit, ac ter Ieſu nomine inuocato, herum aduocat, qui vnà cum alijs accurrens ad cubile hominem deferunt. Accedentes poſtea Chirurgi, & vulnere diligenter inſpecto, certam illi mortem denunciant, cuſtodemque aſſignant. Æger peccata ritè confeſſus, quieſcere non valens, totam ferè noctem in inuocando Philippo tranſegit. Cumque ſub aurora aliquantulum obdormiſceret, ſomno excitus ſe penitus ſanum aduertit, caput namque circumuoluit, collum pro libito mouet, probè expuit, dolorem non ſentit, atque ita ſe vegetum percipit, ac ſi nullum vnquam vulnus recepiſſet. Cuſtos eum ſic liberè excreantem audiens, interrogat quomodo habeat, & is, optimè quidem, etenim ſanctus Philippus per miraculum me ſanum reddidit. Obſtupuit ad hæc ille: & interim adueniunt medici, qui accuratius rem omnem conſiderantes, videnteſque ſaliuam nullo cruore permixtam, & hominem vndique caput rectè vertentem,

tem, expeditèque proferentem verba, nullumque acceſſiſſe ſymptoma, ipſum penitus conualuiſſe affirmant. Atque inde rem maturius examinantes concludunt, fieri non poſſe, vt non ſolum ſtylus ferreus, ſed ne filum quidem ſericum per medium iugulum tranſeat, quin mors homini inferatur, idque miraculo adſcribendum, quo nec maius, nec illuſtrius vnquam audierint.

13 Piſtorij, anno Salutis milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nonó, in Monaſterio ſanctæ Claræ Monialis erat, quæ vndecim annos acerbiſſimis neruorum vexata doloribus, puſtuliſque ad ſimilitudinem ſquāmarum per vniuerſum corpus cōtecta, poſtremiſque annis facie quoque nigri, albiq; coloris cruſtulis deturpata, commiſerationem pariter, & horrorem aſpicientibus incutiebat. Oculorum vsū iam amiſerat, deambulare nullatenus poterat, & quotieſcunq; ſternendus eſſet lectus, a compluribus totum corpus ſuſtineri opus erat. Morbus a medicis incurabilis habebatur. Colebat fœmina intenſius Beatum Philippum, ac vitæ eius quotidiè caput aliquod ſibi legendum curabat: imò tribus ante menſibus, Abbatiſſæ permiſſu, argenteum votum Romam mittere, Miſſaſque plures in eiuſdem ſacello celebrari Deo vouerat, ſæpe etiam ex lampadis oleo, quæ Romæ ante ſacrum Corpus perpetuò ardet, Piſtorium delato, ſe ex deuotione inunxerat. Rebus ſic ſe habentibus, pridie Idus Martij, cum cecidiſſet dies, quinta noctis hora, ingraueſcente morbo, reputans ſe morti proximam, humiliter, pièque ſancto ſe Philippo commendat. Deinde ſumens theculam, in qua fruſtulum Caſulæ viri Dei ſeruabatur, faciei ſuæ illud reuerenter admouet, & ſomnum capit, quem capere multis præteritis noctibus nunquam potuerat. Inter ſomnum igitur inaudit ter vocem dicentis: Surge, quandoquidem ſana facta es: eodemque tempore experrecta ſanam ſe omnino deprehendit, vultum a ſcabie liberum ſentit, nullius præſidio ſurgit, hymnum, Te Deum laudamus recitat, cubitumque redit auroram expectans. Albeſcente iam die Monialem tranſeuntem aduocat, eique miraculum enarrat. Poſt matutinas horas accedunt reliquæ, eamque ſine vlla

macula

macula ſanitate fruentem vident. Duæ dumtaxat cruſtulæ in facie remanſerãt, quæ pariter ante noctem abſcedunt, Moniali libera penitus permanente, & ad omnia Monaſterij munia in poſterum expedita.

14 Sex a ſuperioribus tranſactis annis, Carboniani (eſt locus hic Principatus Columnenſium, ad triginta millia paſſum ab Vrbe diſtans) dum Kal. Maij, trabs quædam ad ſeptuaginta ſex palmos altitudinis, latitudinis verò circiter tres, multo ſpectante populo, erigeretur in foro, accidit vt ea pendente, ſpectantes fugam arriperent, & puerulus annorum quatuor, fugientium impetu ſupinus corruens, a cadente mole obrueretur, qui diſruptis inteſtinis, & ex ore, ſiniſtroque oculo vim magnam ſanguinis effundens, mortuus ab omnibus habebatur, nulla penitus vitæ ſigna oſtendens. Ad hæc ſpectans inclamat populus: Deferatur puer ad Eccleſiam ſancti Philippi Nerij, procul enim dubio, dum expediat, illius meritis ad vitam reuocabitur (extat enim ibi templum in eiuſdem ſancti honorem erectum) Illuc itaque corpus exanime delatum ſuper altare collocant, ac ſupplices pueri vitam efflagitant. Ad horam ferè preces protraxerant, cum en (aderat enim ibidem mater lugens) filiolus oculos aperit, ac puerili more matrem compellat. Ad hæc populus altius inclamat, miraculum! Excitatum ex toto inde puellum ex altari domum aſportant, qui die inſequenti omninò illæſus, ac ſanus, quin & vegetior apparuit, quam prius vnquam extiterit. Patuit adeo eiuſmodi factum, vt Clerus cum populo, ſupplicatione ſolemni indicta, ad prædictam Eccleſiam ad gratias Deo, beatoque Philippo peragendas procederet.

15 Aliquot poſt menſibus eiuſdem loci vir, fruges curru vehens, atque, vt aſſolent ruſtici, ſuper perticam aſſidens, dum iuxta biuium currum flectere curat, in terram præceps ruit, quem rota, dorſum eius tranſiliens, ita compreſſit, vt vt etiam ſubuculam ſucciderit. Exclamat tunc homo, Philippum ex corde inuocans. Accurrunt, qui a longe proſpexerant, eumque medium eliſum arbitrantes, è terra ſubleuant, vlniſque ad aream tranſportant, qui ſubmiſſa voce

hæc

hæc paſſim verba iterabat: Sancte Philippe adiuua me. Et ecce tibi, poſt modicum temporis ex improuiſo ſurgit, atque alta, claraq; voce intonat: Sanctus Philippus me ſanitati reſtituit. Qui aderant, eum vndiq; contrectant, & vndiq; pariter ſanum comprehendunt, ſigno tantummodo ictus, aliquo cum liuore, in ea corporis parte, per quam tranſierat rota, ad miraculi veritatem comprobandam relicto.

16 Eodem anno Amalphi in Campania, Portia Scaliona Roſa, Mothunti Baroniſſa, quatuor menſes graui laborans morbo, eodemque decimo ſeptimo Kal. Iunias ingraueſcente, ſumpto Viatico, Oleoque ſancto inuncti, ſolam præſtolabatur mortem. Verum cum Philippum noſtrum piè admodum coleret, eius Reliquias enixius expetebat, quas ei Patres Oratorij eiuſdem Vrbis detulerunt. Interim lethalia ſuccedunt ſymptomata, neruorum conuulſiones ingraueſcunt, tremores augentur, ac demum eo calamitatis deuenit, vt commiſeratione non parua ſpectantes omnes commoueret. Hoc ſe modo habuit mulier vſque ad octauum Kal. prædicti menſis, quo die poſt ſolis occaſum linguæ vſum prorſus amittit, oculos claudit, corpore obriget, liuore atro ſuffunditur, & a medico, exploratis arterijs, moribunda edicitur. Dum verò ſacerdos, vt aſſolet, Deo ritè ægrotantis animam commendat, famulus inclamat: Heus vos hera mouet ſeſe. Et illico ipſa lecto ſuis viribus inſidens, apertis oculis, panſiſq; brachijs exclamat: Sana ſum, belle valeo, Sanctus Philippus meus pulcher, vetulus hic meus pulcherrimus, me totam planè valentem reddidit: lętum valde eſt mihi cor, nihil aliud opus eſt, dolor abſceſſit, rectè valeo: laus Deo, beatoque Philippo meo pulcherrimo, & hæc ſæpius repetens, tam vegeta, tamque hilaris apparet, vt dexteræ omnipotentis opus planè ab omnibus agnoſceretur. Interrogant, qui ſana reddita ſit? Solo, inquit, vultus eius pulcherrimo aſpectu. Sacerdos autem, vt rei periculum faciat, ſiniſtræ eius crucifixi effigiē porrigit, dexteræ verò candelabrum, quæ omnia ipſa ſtrenuè ſuſtinens ait: Quid in dubium rem vertitis? Sana ſum, experimentum habetis. Porrigunt adhuc ſcyphum aquæ plenum, quem illa recipiens,

piens, firmumque ſuſtinens, ſine vlla manus trepidatione totum ebibit. Protinus hymnum: Te Deum, &c. alternatim vnà cum ipſa proſequuntur. Interea famulus ad Congregationis Eccleſiam pergens, ſacramque turrim conſcendens, æs campanum vi ſumma pulſat, peruulgatoque per Vrbem miraculo, quamplures ad eam viſendam accedunt. Poſt hæc mulier cœnat, & inde ad templum ire decernit, ſed Confeſſarius vetat. Domo itaque deambulans ſuam a nutrice filiolam accipit, vlniſque geſtans, itans huc illuc, dicebat: Valeo, equidem valeo. Quin robuſtior videbatur quam prius. Adueniente luce, ſeptimo videlicet Kal. Iunias, quo die recurrit feſtum ſancti Philippi, pedes, adiuuante nemine, venit ad Eccleſiam (quod antea etiam ſana facere non conſueuerat) vbi flexis genibus, iunctiſque manibus, Sacrum ſolemniter decantatum integrum audit. Tantæ rei teſtis extitit populus vniuerſus. Miraculum tam inſigne eo die Concionator, dum panegyricam orationem de Philippo ad populum habet, allatis omnibus rei circumſtantijs exactiſſimè recenſet. Addam quod Portia ex ſolo prædictarum Reliquiarum olfactu exinde mœrorem omnem deponebat.

17 Medicus, ex ijs nimirum, qui conſilium de morbo ęgrotantis matronę inierant, rem hanc vbique prędicabat. Quamobrem ad Caſtrum quoddam proinde pergens puerum curaturus (erat enim loci medicus) angina affectum, matrem hortatur, vt filiolum Amalphim deducat ad Oratorij Presbyteros, cumque lampadis oleo, quę ad altare S. Philippi perpetuo ardet, inungat, habeatque pro comperto fore, vt natus ſanitatem haud dubiè conſequatur. Paruit pia mater, & puellus oleo gutture delibuto ſtatim conualuit. Medicus namque tutiorem medicinam matri proponere non cognouit.

Hæc ex plurimis recenſuiſſe ſuffecerit: etenim in dies tot, ac tanta, tum in Vrbe, tum in varijs Chriſtiani Orbis partibus ſancti huius Viri interceſſu miracula perpetrantur, vt ſi cuncta literis proderentur, in maiorem vicies molem volumen excreſceret. Suſcipe igitur Beate Pater è cœlo exiguas haſce no-

ſtras lucubrationes, precibuſque tuis apud Deum, inter varias mundi procellas vitam reliquam dirige, vt incolumes ad æternæ beatitudinis portum tandem appellere valeamus. Amen.

FINIS.

CAESARIS BARONII
S. R. E. PRESBYTERI CARD.
Tit. SS. Martyris Nerei & Achillei, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Bibliothecarij

Pro Annalibus Eccleſiaſticis

BEATO PATRI PHILIPPO NERIO Congregationis Oratorij Fundatori gratiarum actio.

QVOD de his, quæ ſpectant ad Eccleſiaſticorum Annalium ſcriptionis primam originem, atq; progreſſum, vix pauca hactenus attingere licuit, vt inuoluiſſe obſcuritate potius ea, quam explicaſſe viſi fuerimus, eo quod adhuc ſuperſtes is eſſet, de quo dicendum erat, qui non ſolum ſuarum laudum eſſet contemptor, ſed acerrimus hoſtis: eo iam ad Superos euocato, ipſa quibus detinebatur compedibus oratio libera, ſecura per latum campum acceptorum ab ipſo beneficiorum excurrat.

a Iſai. 51.

Eſt enim maiorum noſtrorum iucunda memoria, à quibus tamquam ex vberrimo fonte innumera nobis bona copiosè fluxere. Sed & eſt proficua ipſa Patrum noſtrorum ſanctorum Virorum recordatio, quod admoneat nos non debere ab eorum virtutibus eſſe degeneres, ſecundum diuinum illud oraculum: [b] Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis: attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos. Verum quæ iucunda, atque proficua, eadem eſt & neceſſaria commemoratio eorundem, à quibus ſumus & maxima beneficia conſecuti, ne ex ſilentio, vel

b Iſai. 51

obliuione turpiter redarguamur ingrati.

Sanè quidem, generatim cuncta, quæ filijs proſperè, feliciterque obueniunt, ea accepta ferenda eſſe parentibus, ſæpe diuinis litteris admonemur, potiſſimum verò illa a

a Gen.46. magno Patriarcha Iacob a impertita Ioſeph benedictione, quæ inter alia iſta diuinitus dicta narrantur: Sedit in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob, inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael. Cum igitur cuncta proſpera Ioſeph potenti manui Iacob adſcribantur, qui non ſolum abeſſet quã longiſſimè, ſed iam eum deploraſſet mortuum planxiſſetque occiſum, quid nobis de Patre illo dicendum, qui

b Galat.4 omnibus præſens, & adiutor exiſtens, in primis Apoſtolico ſpiritu nos ſæpè parturijt; & ab ipſa adoleſcentia eiuſdem ſpiritus freno coercuit, cohibuitque a lubrico iuuenilis ætatis procurrentis ad malum, atque reddidit indomitum pullum diuinis legibus obſequentem, ſuper quem &

c Matt.21 Chriſtum c fecerit conſidere?

At cum nos multiplici nomine ipſi longe plurimum debeamus, de his modo, quæ ſpectant ad Annalium, quam habemus præ manibus, ſcriptionem, extet ei tanquam inſtitutæ omnis lucubrationis noſtræ auctori, iſta ſemper viuens, ſemper loquens gratiarum actio monumentis perpetuis conſignata. Æquum eſt enim, & animi humiliter de ſe, ac modeſtè ſentientis, per quem profecerit, profiteri: iniquum verò, & arrogans ſuis viribus plus ſatis adſcribere. Qui enim magis quam par erat, ſibi tribuit, atque di-

d Iſai.10. xit: d In fortitudine manus meę feci, & in ſapientia mea intellexi, acerbum illud accepit a Deo vltore reſponſum: Numquid gloriabitur ſecuris in eum, qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum, a quo trahitur? Moxque addita eſt comminationi vindicta, quam & ille quoque

e Dan.4. infelix e expertus eſt, qui eadem de cauſa è regio ſolio deiectus, inter beſtias exulauit.

Quamobrem, quod mortales omnes æterna Sapientia Chriſtus ipſe Redẽptor noſter edocuit, cũ de Patre ad Philip-

lippum ſic locutus eſt, dicens: a Pater in me manens, ipſe facit opera. De Patre Philippo & nos ingenue profitemur, non quod gloriemur in homine, & non in Deo, ſed vt per quem tanta beneficia largitus eſt Deus, Dei cooperatorem hominem demonſtremus, ſicque vt Deo, ita & hominibus grati ſimus. Ipſe enim diuini quodam impulſu ſpiritus iſta facienda præcepit, non ſecus ac Moyſes, qui quod vidit b Tabernaculi exemplar in monte, faciendum illud indixit opifici!. Eiuſdem namque Patris noſtri iteratis ſępius iuſſionibus, ſumus nos tantum opus aggreſſi, inuiti licet, ac renitentes proprijſque diffiſi viribus, ſuſcepimus tamen, tanquam diuino parẽtes imperio, quo quidem ipſe adeo opus vrgebat, vt ſi quando nos tantæ molis pondere ſuperati, deſiſteremus a cœptis, ſtimulis acerrimæ reprehenſionis impelleret.

a Ioan. 14

b Exo. 25

Exęſtuans tu quidem (ad te enim Pater orationem conuerto) exęſtuans, inquam, zelo Eccleſiæ laborantis, vbi mente illa tua diuino perfuſa lumine, ac prophetico (dicere liceat) afflata ſpiritu vidiſti è portis inferis in Eccleſię detrimentum progreſſas eſſe Centurias Satanæ: ex aduerſo conſurgens pro domo Iſrael præliaturus prælia Domini, non maiori, vel pari ſaltem numero militum, compenſato certamine decernendum putaſti, ſed probe ſciens, quod quę infirma mundi ſunt, eligit Deus, c vt confundat fortia, puerum tuum, fratrem minimum, & hebetioris ingenij delegiſti, quem vnum eundemque inermem tot obijceres armatis hoſtibus. Et aliud agere ſimulans non latum campum ad prælium, ſed ad experiendas vires anguſtum ornaſti locum palęſtræ, ipſum videlicet ſacrum Oratorium S. Hieronymi, vbi inter quotidianas de rebus diuinis collationes, illud a nobis ſymbolum exegiſti, quo res geſtas Eccleſiæ in medium afferremus. Quod tua iuſſione ſemel cœptum ad triginta annorum ſpatia eſt feliciter propagatum, ipſa integra rerum geſtarum ſerie, dicendo, iam ſepties in Oratorio repetita.

c 1. Cor. 1

Adſtabas iugiter operi, vrgens præſentia; inſtabas ver-

bis, durus ſemper (ignoſcas ſi hoc dixero) diurni penſi exiſtens exactor, adeo vt piaculum putares, ſi interdum ad alia enarranda diuertiſſem, dum nec minimum quidem ab inſtituto deflectere patereris. Sæpe verò & in eo humani aliquid paſſus ſum, fateor, cum nondum intelligens rem ipſam occulte abs te apud Deum precibus confici, meas ipſe metiens vires, quererer, mecum fermè agi tyrannicè; quod non ſolum aliquis non iungeretur ex fratribus, qui ad collaborandum eidem ſubijceret collum iugo, ſed multiplicato labore, nec datis paleis, a multiplex opera exigeretur, cum, inquam, & adhuc alij ad ſuſceptum munus negotiorum faſces imponerentur, cura videlicet animarum, publicum de ſuggeſtu miniſterij Verbum Dei, præfectura domeſtica, præter alia quamplurima, quæ inopinatè, & importunè moleſtiores quotidie ingererent interuentores, Adeo vt tu vel iſta faciens, vel fieri ab alijs patiens, nihil minus velle videreris, quam quod plurimum velles.

a 6. Exo. 5.

In quo quidem viſus es imitatus Eliam, b dum congreſſus cum ſacerdotibus Baal, eos expugnaturus per ignē cælitus implorandum, qui propoſitam victimam inflammaret atque conſumeret, in contrarium niſus, eandem quatuor aquæ hydrijs tertio voluit affluenter aſpergi, quo magis ſumma Dei potentia innoteſceret. At verò alia ex parte cum prompto animo idem tu ipſe ad præſtandum auxilium precibus tuis, manum fortiſſimè admouiſti, c viſus es ſecutus Heliſæum, qui manum ſuam Regis manui ſuperimponens in emiſſione ſagittæ, fecit eum eſſe totius Syriæ perſecutorem. Quo pariter ſymbolo tu mecū agens, manui meæ debili tuam validiſſimam iungens, obtuſum ſtylum in ſagittam ſalutis Domini, contra inſultantes Aſſyrios conuertiſti. Quod ſicut verum, ita pulchrum, ac iucundum eſt mihi de re publica profiteri.

b 3. Reg. 18.

c 4. Reg. 13.

Pugnaſti tu quidem, ſed aliena manu, vſitato more tuo, qui cum admiranda operari conſueueris, mirandus tamen nunquam volueris apparere, nihil tam ſolicitè cauens, quam ne quid de te magnificè diceretur, operimento ſtultitiæ

titiæ ſæpe operiens ſapientiam, iuxta peruulgatum illud, & celebratum mentique tuæ infixum penitus Apoſtolicum paradoxum. [a] Qui vult ſapiens eſſe, ſtultus fiat. Ita quidem vt nullis compedibus blandientis ſeculi tenereris, exẽplo Dauid [b] ad tempus ora mutantis, magna dona ſpiritus occultares, quæ ſunt infirmitatis humanæ foris oſtentans; ſciresque ſecundum [c] Apoſtolum [d] abundare & penuriam pati, vt cum ipſo dicere poſſes: [e] Siue mente excedimus, Deo, ſiue ſobrij ſumus vobis, atque exemplo cognominis tui Philippi, diaconi pro ratione temporis, vel inhæreres hominibus, ipſorum ſaluti conſulens, vel magno impetu ſpiritui venienti vela panderes. a 1. Cor. 3. 18. 31. b 1. Reg. 21. c Ph. 4. d 2. Cor. 5. 13. e Act. 8.

Sed quam tu viuens in Chriſti ærarium copioſiſſimè intuliſti, poſt migrationem ex hac vita aucto multiplici fœnore, ipſe rependit. Siquidem vbi laguncula [f] terrea fracta eſt, quæ latebat intus ſua charitate refulgens, lampas apparuit, & quæ abſconſa erat ſub modio lucerna ardens, & lucens, ſuper æternitatis altum candelabrum exaltata perſpicua facta eſt, miraculorum fulgore coruſcans. Tunc enim, & quæ viuens edideras, ſed occultaueras, mirifica ſigna, ſunt cognita, & alia quamplurima recens edita paruerunt. Splendet, vile licet adhuc vtpote temporarium ſepulchrum tuum votiuis tabellis, & ex pretioſo metallo ſignis affixis, tuorum miraculorum indicibus, quibus magis quam pretioſorum marmorum cruſtis, vel Ægyptijs pyramidibus, & obeliſcis effulget, maius decoris in dies accipiens incrementum ab ijs, qui noua beneficia conſecuti, inferunt noua ſigna. f Iudic. 7.

Detur & mihi locus (vos fratres appello, qui pia, ac nobili corona eius cingitis monumentum) vt hæc mea gratiarum actio, tametſi acceptis beneficijs longe impar, eidem adhæreſcat affixa ſepulchro, ita tamen, vt per orbem terrarum, quocunque ijdem feruntur Annales, excurrat. Mobilis ſit ipſa, atque vocalis ſculpta columna, quæ amplis notis ipſum prædicet Annalium primum auctorem, & architectum, vt ſi quem ex eis mortales fructum ceperint,

ipſi in primis omnes gratias agant: ſtet, inquam, mea iſta profeſſio velut indelebile eidem ſepulchro inditum epitaphium, cupiens. & ego ipſe eidem inhærere viua tabula, quæ formata penicillo ipſius precum, integram referat eius ſanctitatis imaginem. Age iam Pater (te rurſum tanquam præſentem alloquor, dum eum vides, qui præſens vbique adeſt) age inquam, faue Operi tuo: & vt tibi in omnibus victoria adſcribatur (quod Ioab ſcripſit ad Dauid) veni, & & quod reliquum eſt, confice prælium, cœleſtem deſuper tuis precibus moue militiam, vt debellatis tandem penitus hoſtibus triumphale carmen Deborę [a] concinnamus: De cœlo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine ſuo aduerſus [b] Siſaram pugnauerunt. Me vero filium tuum, quem degens in terris aſſiduo fouiſti præſidio, vigilantia cuſtodiſti, conſilio gubernaſti, patientia toleraſti, viuens in cælis fortioribus protege patrocinijs, ampliora mihi creſcant de tua iam perfecta & in omnibus conſummata charitate ſubſidia, ſed & quod a Baſilio ſe Gregorius [c] Theologus conſecutum affirmat, vt eum etiam poſt obitum habuerit monitorem, hoc nobis abundantius pręſta, vt te ipſo adhuc etiam vitæ meæ moderante habenas, quod reliquum eſt labilis huius curriculi ſenectutis inoffenſo pede percurram, perueniamque tandem poſt labores benè perfectos ad beatam illam requiem, qua tu modo frueris in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, quibus in vnitate perfecta ſemper ſit laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

a Iud. 1.

b 21. Reg. 12.

c Gregor. Nazianz. in laud. Baſil.

Orationi Iaculatorie Latine.

COr mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina.

Doce me facere voluntatem tuam.

Domine ne te abſcondas mihi.

Domine vim patior, reſponde pro me.

Ego ſum via, veritas, & vita.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.

Ieſus ſis mihi Ieſus.

Ne reminiſcaris Domine iniquitatum mearum.

Quando te diligam filiali amore?

Sancta Trinitas vnus Deus miſerere mei.

Tui amoris in me ignem accende.

Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.

Orationi iaculatorie in lingua Italiana.

ANcora non ti conoſco Gieſù mio, perche non ti cerco.

Che coſa potrei fare Gieſù mio per compiacerti?

Che coſa potrei fare Gieſù mio per far la tua volontà?

Datemi gratia Gieſù mio, che io non v'habbia da ſeruire per timore, ma per amore.

Gieſù mio ti vorrei pur' amare.

Io mi diffido di me ſteſſo, e mi confido in te Gieſù mio.

Io non poſſo far bene, ſe tu non m'aiuti Gieſù mio.

Io non voglio far altro, ſe non la tua ſantiſſima volontà Gieſù mio.

Io non ti ho mai amato, e ti vorrei pur' amare o Gieſù mio.

Io non t'amerò mai, ſe tu non m'aiuti Gieſù mio.

Io ti vorrei amare Gieſù mio, e non trouo la via.

Io ti cerco, e non ti trouo Gieſù mio.

S'io conoſceſſi te, conoſcerei ancor me Gieſù mio.

S'io faceſſi tutto'l bene del mondo, che coſa haurei mai fatto Gieſù mio.

Se tu non m'aiuti, caderò Gieſù mio.

Troncate la via à tutti gl'impedimenti, ſe mi volete Gieſù mio.

Madonna benedetta, datemi gratia, ch'io mi ricordi ſempre di voi.

INDEX

Rerum memorabilium, quæ in hoc Opere continentur.

A

ABBAS Maſſa V. Marcus Antonius Maſſa.

Abbas Creſcentius V. Iacobus Creſcentius.

Abbas quidam infirmus apparitione Philippi adhuc viuentis liberatur, l. 3. 11. 10.

Abiſag quid ſignificet ſecundum Baronium, l. 1. 19. 17.

Abſens videt res, ac ſi præſens, l. 1. 15. 13. l. 3. 3. 5. Viuens adhuc pluribus perſonis in pluribus locis apparet, l. 3. 11. per totum

Abſolutio ſacra. Epiſcopos non reſidentes abſque cauſa non abſoluit, l. 2. 16. 12.
Dum abſoluit deuotionem impertit, l. 3. 13. 26.

Abſtinentia, Ph. abſtinentia in domo Galeotti, l. 1. 3. 4. De ipſius abſtinentia, l. 2. 24. per totum. Pane, & aqua contentus, l. 1. 3. 4. per triduum a cibo abſtinet, ibidem. Iuſtrat ſeptem Eccleſias vno pane contentus, l. 1. 5. 4. Corporales abſtinentias abſque internis mortificationibus non valde æſtimabat, l. 2. 14. 10. V. ieiunium.

Aduocati duo vim pecuniæ magnam fabricæ tribuunt, l. 1. 17. 18

Adoleſcentibus quæ monita daret, l. 2. 21. 8.

Adoleſcentibus, ingenio præditis victus, & veſtitus ſubſidio erat, l. 2. 21. 11.

Aegrotatio, Patientia dum adhuc puer ægrotat, l. 1. 1. 17. Adultus, l 2. 20. 16. Aegrotationes eius poſtremæ, a Virgine inuiſitur, l. 4. 1. per totum, l 4. 2. per totum.

Aegrotos inuiſit, eiuſque ſedulitas. l. 2. 8. per totum, l. 2. 20. 20.

Aeſopi fabulas. l. 2 19. 19.

Affabilitas Ph. l 2. 6. 12. l 1. 1. 6. Hac virtute animas attrahit, l. 2. 6. 1. l. 1. 7. 1. & ſeq. V. Benignitas.

Afflictos erigit, l 2. 9. per totum

Agneſiuæ Columnæ ſanitatem prædicit, l. 3 4. 11.

Agonizantes iuuat, liberat, l. 5. 3. 9. l 5. 2. 19. l. 5. 3. 5. V. Morientes.

Alacritas V. lætitia.

Alexander Fidelius Congr. presbyter vir maximæ virtutis, l. 1. 15. 2.

Alexander Ludouiſius, V. Greg. XV.

Alexander Medices, Leo XI. primum lapidem ponit, l. 1. 17. 1. Quid ei contingat cum Ph. dum Oratorem Magni Ducis gerit, l. 2. 16. 13. Archiepiſcopus primam Miſſam decantat in Eccleſia noſtra, l. 1. 17. 7. Cum Ph. aſſiduè moratur, l. 2. 10. 10. Ph. ſanctum habet, l. 3 13. 17. Ei Cardinalatum & Pontificatum Phil. prædicit, l. 3. 6. 10. Corollam, & annulum Ph. defuncto immittit. l. 4. 8. 3. E communi ſepulchro Ph. extrahi iubet, l. 4. 7. 3. l. 4. 8. 3. V. Leo XI.

Alexandriæ Archidiaconus, V. Barſum.

Alexandrinus Cardinalis. V. Michael Bonellus.

Alexander Saulius vir maximæ virtutis Ph. doctum reperit, l. 1 4 3.

Fr Alphonſus Capuccinus, cognomento Lupus Ph. ſanctum æſtimat, l. 3. 13. 20. Ph. eum mortificat, l. 3. 9 21.

Alphonſus Ieſualdus Card. Ph. ſanctitatem approbat, l. 3. 13. 18. Donat ei veſtem ex martibus confectam, l. 2. 18. 5.

Alphonſus Vicecomes Card. ex Congregatione, l. 4 9. 15.

Alphonſus Villega vitam Phil. enarrat, l. 4. 9. 13.

Altaris Sacramentum, V Euchariſtia.

Ambroſius de Balneolo Epiſc Nardenſis Ph. charus cum Ph diſputat, l. 1. 4. 3.

Amor Dei, l 2. 5. 6. l 1. 6 7. 8. 9. ex Amore Dei Ph. Indias adire cogitat, l. 1 12. 1. Eius dictū, l. 2. 5. 4. aliud l 2. 15. 23. De amore Phil. erga Deum, l 2. 1 per totum. Quantum amoris impenditur creaturis, tantus ſubtrahitur Creatori, l. 2. 15 13

Amor proximi, V proximus. Salus animarum. Iuuenes, eleemoſyna. Zelus ſalutis animarum.

Andreas Ceſalpinus Arretinus Medicus inſignis de Ph. palpitatione. l 1 6. 11.

Angeli Caſij munificentia in fabricæ conſtructione, l 1. 17. 10.

Angelus Vellius ſecundus Ph. Præpoſitus. Vir maximæ probitatis, l. 1. 15. 3.

Angelus Victorius Ph. medicus. Quid de arcanis cordium, l. 3. 8. 38. capitis dolore liberatur, l. 5 2. 26. Phil. lugentem reperit, l. 2 4. 4. Palpitationem Ph. miraculoſam aſſerit, l. 1. 6. 11.

Angelus

ngelus zaccharum Ph defert, l. 2 20. 18. Angelicam faciem amiſit quidam, qui ad cumulandam pecuniam ſe dedit, l. 2. 15 12. 13. Ph. appellatur Angelus Paradiſi, l. 2. 13. 8. Ph. in foueam lapſum extrahit. l. 2. 31. 13. Stipem a Ph. poſtulat. ibidem 14. Ph. Angelos animas morientium Deo commendantes videt, l. 2. 7. 9. Pietas in Angelos l. 2. 8. 2. Angelos cantantes, animaſque in cœlum deferentes videt, l. 3. 2. 5 9.

Anima, Animarum pulchritudinem videt ſancti Ignatij de Loyola, S. Caroli, Fr. Petri Martyris, & aliorum, l. 3. 2. 52 Quæ ſint in gratia, & quæ non, l. 3 3 18. Animam Marij Foſtini, & aliorum, l. 3 2. 5. 6 7. 8. 10, Iuuenis animas Deo lucratur, l. 1. 9. 5. Baronius animam Phil. Deo commendat. l. 4 3. 4. Animas in via Dei dirigendi præcepta, l. 3. 9 24 V. Zelus, Conuerſio.

Annales. Baronius Ph tribuit opus Annalium, l. 1. 13. 3. 4. &c. & in calce operis.

Anna Borromea D. Caroli ſoror, Ph. pœnitens, l. 3 5. 5. 13. 9 4.

Antonina Raida Ph diſcipula, virgo maximæ virtutis. l. 6 13. 2. l. 5. 4. 6.

S. Antonius ad lumen lampadis ſtudebat, l. 2. 19. 18.

Antonius Feccius Tifernas medicus, è primis Ph. diſcipulis, l. 3. 2 22. 28.

Antonius Gallonius ſcribit geſta ſanctorum. l 1. 83. 19. Papiæ & Mauri, l. 2. 2 16. 6. communicat, l. 2. 1. 7. De Ph. eleemoſynis, l. 2. 11. 12. De virginitate, l. 2 83. 7. a Ph. deprimitur, l. 2. 19 4. 15. l. 3. 20. 14. Ph. extatim paſſum reperit, l. 3. 1. 7. Vitam latinè, & italicè ſcribit, l. 4 9. 6.

Apparitiones, l. 3. 2. per totum, Virgo ei apparet. l. 4. 1. 2. Ph. poſt mortem multis apparet, l. 6. 10. per totum. & l. 4. 4. per totum. & l. 6. 15. 24. 1 1. 12. V abſens. Viſiones.

Apollonia, eius hiſtoriam cum cautela enarrat Taurufius, l. 1. 15. 13.

Apoſtolus, Phil. nuncupatus Apoſtolus, l. 3. 13. 23.

Apoſtata. Præſuli Apoſtatæ a religione quid accidat, l. 2. 20. 12. Duo Apoſtatæ Ph. perſequuntur. l 1 26. 1. 3.

Apotheoſis, V. Canonizatio.

Archiconfraternitas, V. Sanctus Hieronymus, Trinitas.

Archidiaconus Alexandrinus, V Barſum.

Ariditas ſpiritus, optabat Deo ſeruire ſine ſenſibilibus conſolationibus l. 2. 1. 4. Monita in aridicate ſpiritus. l. 2. 5. 16. V. Scrupulus.

Auaritia, Inimica Ph. l. 2 15. 12. Facilius ſenſuales, quam auaros conuerti dicebat, l. 2. 15. 16. Ad eleemoſynas eos hortatur, ibidem. Dixit cuidam qui cumulabat: Antea faciem Angelicam præferebas, nunc verò triſtem, & melancholicam l. 2. 15 12. & ibidem per totum caput plurima. V. Paupertas.

Aue Maria. quinquies pro perſeuerantia, l. 2. 21. 8.

Aues Phil blandiuntur, l. 2. 22. 7. 9.

Auguſtiniani. Apud eos Theologiæ incumbit, l. 1. 4 3.

Auguſtinus Cuſanus Card. SS. Papiæ, & Mauri corpora Eccleſiæ donat, l. 2. 2. 15 Phil. Sanctum aſſerit, l. 3. 13 21. Animus Ph. nuncupatus ibi, 12. Matutinum recitat cum Ph. pridie ante obitum, l. 4. 3. 2 alia poſt Ph. mortem. l. 4 5. 3. l. 4. 7. 5. illum aduocatum in teſtamento ſibi eligit; l. 4. 9. 9. Donum ibi 35. Eius mortem Ph. Baronio in ſomnis enunciat, l. 6. 10. 17.

Auguſtinus Ghettinus, vir ſanctus Indias Romæ Ph. futuras dicit, l. 1. 12. 2. 3. 4. l. 3. 2. 2.

Auguſtinum Mannum Congreg. presbyterum, ſexies eiuſdem ſermonem repetere Ph. iubet, l. 2. 19 16.

Auguſtinus Valerius Card. Ph. ſanctum dicit, libellum inſcribit, Philippus, ſeu de lætitia Chriſtiana. l. 3 13. 9. l. 4. 3. 3.

Aula frequentari nolebat, l. 2 16. 10.

Auſteritas, Secum ipſe auſterus, cum alijs nequaquam, l. 2, 14. 6. 10. V. Abſtinentia.

B

BAcchanalia. Introducit iter ad ſeptẽ Eccleſias in Bacchanalibus, l. 1. 14. 7. Inſtituit collationes rerum ſpiritualium in locis aprici per Bacchanalia, l. 2 7. 4. iiſdem de cauſis Repræſentationes Iuuenibus faciendas curat, l. 2. 7 31.

Baldolinus Concionator, vir virtutis, & quem Ph. a puero audiebat. l. 1. 2. 16.

Baptiſmus. Ph. Baptiſmus, l. 1. 1. 1. Vitam impetrat fœtibus, vt baptizentur, l. 5. 6. 6. 7. puerum natum mortuum reſuſcitat, vt baptiſmo ablui poſſit, l. 5. 2. 1.

Barba. Mortificationes quod attinet ad barbam l. 2. c. 18 7 8. 9. l. 2. 19. 12.

Barbariſmos facit, vt Idiota appareat, l. 2. 18 11.

Baronius, V. Cæſar Baronius.

Barſum Archidiaconus Eccleſiæ Alexãdrinæ Romam venit propter vnionem illius Eccleſiæ cum Romana Quid ſibi cum Ph. l. 2. 1. 19. Gratias a Ph. receptas enarrat coram Pontifice. l. 5. 3. 4. A Ph. ægrotans ſanatur. l. 5. 3. 3.

Bauariæ Dux lampadem donat pretio mille aureorum, l. 4 9. 15.

Beatificatio. Paulus V. inter beatos Ph. retulit. l. 3. 53. 21.

Benedictio. Plures quotidie ad ipſum accedunt pro benedictione, l. 3. 53 21. Alumni benedictionem petunt prius quam eant dormitum, & & Baronius eam petit dum Philippus expirat, l. 4 3. 3. 4.

S. Benedictus Vide caſum ſimilem qui S. Benedicto accidit, l. 3 7. 11.

Bèneficium Eccleſiaſticum. Non recipit Beneficia Eccleſiaſtica, neque penſiones, neque dignitates, l. 2. 16 1. Pluralitatem beneficiorum non admittit ibidem, 21.

Benignitas Benignitate conuertit plurimos, l. 2. 7 14. Benignitas in gubernanda domo, l. 2. 39. 54. In audiendis confeſſionibus, l. 2. 6. per tot. V. Affabilitas.

Bernardinus a Valle è primis Ph. diſcip. l. 1. 11. 9.

Be-

Bernardinus Corona. Ph. charus. Mortificatur, l.1. 19.12. Eius puritas. ibidem, Ph hortatur vt Cardinalatum recipiat, & quid Ph. reſpondeat, l. 2. 16. 6.
Bigæ Bis eripitur ex periculis bigarum. l.5. 3. 15 16. Vincentium Creſcentium e biga lapſum eripit, l. 1 20. 7.
Biretum Cardinalitium. Retinuit biretum Cardinalitium ad ſe miſſum a Greg XIV. quo ſe ipſum mortificabat, l 2. 18. 20. Cardinalem Diatriſtanum eodem pileo mortificat, l. 3.6.3. Miracula biretis eius edita. l 6. 5. per totum.
Bona Congregationis A bonis Congregationis ſuos abſtinere volebat tanquam ab alienis. Parcè ijs vtendum, l. 1. 19 18.
Bonſignorius Cacciaguerra vir notæ virtutis. Ex Presbyteris ſancti Hieronymi, l. 1. 9.3.
Borbonius dux, l. 1. 1. 16
Bordinus, V. Ioan, Franc. Bordinus
Borromæus, V. Carolus, Federicus.
Brutæ]. ph. gratiam rependunt, l. 2. 12 9.
Bulla fundationis Congregationis, l. 1. 17. 2.

C

S. CAecilia. In feſto S. Cæciliæ Philippum Vallicellam adit, l. 1 18.3.
Cæcitas. Cæcam fœminam liberat. l. 6. 10. 14.
Cælum. Cæli aſpectu delectatur. l. 2. 5 6.
Cæſarea meretrix famoſa Ph. caſtimoniæ inſidiatur, l 2. 13. 6.
Cæſar Baronius Ph. Confeſſarius, l. 1. 9. 3 Ipſius virtutes, l. 2. 13 2. 4 Circa Annales Eccleſiaſticos Cardinalis a Clemente VIII. Mors eius. Adnotationes ad Martyrologium, l. 1. 13. per totum. Baronius cocus perpetuus. Coa c ionatur, l. 1. 15. 4. Quid ſcriptum reliquerit de Oratorio l 1. 14 4. Mors ſibi reuelatur, l. 1. 13. 18. Non decet Cardinalem mori in agro, ibidem. Epiſtola ad Petrum Conſolinum: l. 1. 19. 17 Ph. eum hortatur vt in ſeculo permaneat, l. 3. 9 10. Ex obedientia ſtomacho ſanatur, l. 1. 20. 5. teſtatur de Virginitate Ph. l. 2 13. 2. Gloriatur de alapia a Ph. recepta l. 2. 10. 8. Primus Præpoſitus a Ph. l 2 16. 9 Inter nuptias Miſerere decantat, l. 2. 11. 5. Oenophoro deprimitur apud Cauponem, l. 2. 19. 10. Crucem ante defunctos portat. ibidem, 11. a Ph. maximopere deprimitur, l. 2. 19. 19. Phil. Cardinalem eum prædicit, ſed non Pontificem, l 3 6. 2 Aegrotanti auxiliatur, l. 3 17. 1. Phil. animam Deo commendat; l. 4 3. 4. Antiphonas Reſpice &c ſibi occurrit in obitu Ph. l. 4. 3 4. meminit de Ph in Martyrologio, l 4 9. 11. Ph. eum ſolatur, l 6 10 18. A febri curatus, l. 5. 4 5. Ph. Cuſanum vita functum ipſi renunciat, l 6. 10 17. Quid cum Barium, l 6. 14. 7.
Cæſar Iacobellus Ph. magiſter, l. 1. 4 2.
Calix In calicibus tangendis conſolatione ſpirituali repletur, l. 2. 1. 5. Calicem ferè ſemper implet, nec quidem vnquam guttulam effudit, l. 2. 1. 11. Orificium calicis in ſumendo ſanguine conſumit, ibidem 14.
Calliſti Cœmeterium per decem annos frequentauit Phil. l. 1. 5 4.
Campana a S. Ignatio appellatur Ph. l 1. 7. 6.
Camillus Lellius Inſtitutor Miniſtrantium infirmis, l. 1. 7. 9.
Camera, V. Cubiculum, Cella.
Canis. per 14. annos alumnos quodam cane mortificat, l. 2 19. 8.
Canonicatus, Canonicatus plures recuſat Phil. l. 2. 16. 1.
Canonizatio, De Ph. canonizatione; l 3. 13. 28. 26. 8. Item l 4. 4. 6. 5. l. 4. 9. 17. Ph. prædicit ſe inter Sanctos relatum iri l. 2 21. 5. l. 4. 8. 4. Miracula poſt canonizationem, l. 6. 15. per totum.
Capella Philippi, V Sacellum.
Capilli Ph Capilli pie referuantur ab alumnis, l. 3. 13 21. Reſeruantur in Reliquiario argenteo, l 6. 2. 20. Capillis Ph. viuentis ſanatur quidam, l. 5. 5. 5. Tentationes pellunt, l. 6. 2. 19. Miracula capillis patrata. l. 6. 14. 5. l. 6. 2. per totum. l. 4 6. 7.
Capuccini ſeptem Eccleſias cum Ph. luſtrant, l. 2 7. 7.
Carceribus pecunias per hebdomadam elargitur, l 2. 11. 8
Cardinalibus ſine cauſa non reſidentibus abſolutionem denegat, l. 2. 16. 12. Cardinales corpus Phil. non adhuc humatum inuiſunt, l. 4. 5. 3.
Cardinalitiam dignitatem recuſat Ph. l 2. 16. 2. 3. 4 5. 6. Multis eam prædicit, l. 3 6. per totum.
Card. Aldobrandinus, V. Petrus, Hippolytus;
Card. Alexandrinus, V. Michael Bonellus.
Card. Bandinus, V. Octauius.
Card Baronius, V. Cæſar.
Card. Bellarminus, V. Robertus.
Card. Borromæus V. Carolus, Federicus;
Card. de Bubalo, V. Innocentius.
Card Caſius, V. Petrus Donatus.
Card. Creſcentius V. Petrus Paulus.
Card. Cuſanus, V Auguſtinus.
Card Diatriſtanus, V Franciſcus.
Card. Sfortia, V Franciſcus.
Card. Ieſualdus, V. Alphonſus.
Card. De Lotharingia, V. Carolus.
Card Madrutius, V. Ludouicus.
Card. Paleottus, V Gabriel.
Card. Pamphilius, V. Hieronymus.
Card. Parauicinus, V. Octauius,
Card. S. Cæciliæ, V. Paulus Fondratus.
Card. Taurufius, V. Franciſcus Maria.
Card de Torres. V. Ludouicus.
Card de Ruere, V. Hieronymus.
Card Valerius, V. Auguſtinus.
Card. de Verona, V. Auguſtinus.
Card. Vicecomes, V. Alphonſus.
Cardinalitiam dignitatem Ph. recuſat, l. 2. 16. 2. 3. &c.
S. Carolus Borromæus primos nummos ad Eccleſiam fabricandam ſuppeditat, l. 1. 17. 10. Reliquiarium Ph. donat, l. 2. 20 19. Epiſtola Ph. ad S. Carolum l. 2. 21. 16 Ph S. Carolum ſplendida facie videt, l. 3. 2. 12. Mors eius a Ph. prædicitur, l. 3. 3. 15.

Annos

Annam ſororem Ph. commiſit, l. 1. 9. 4. Maximopere Ph. eiuſque Inſtitutum reueretur, l. 3. 13. 27.
Carolus Lotharingius Card. lampadem donat, l. 4. 9. 15.
Caſſiani exemplum allatum a Ph. l. 1. 19. 18. V. Collationes.
Caſtrum Francum in Tuſcia. Familia Neria inde originem traxit, l. 2. 15. 2.
Caſtitas. Monita Iuuenibus pro tuenda Caſtitate, l. 2. 7. 1. 2. Eius caſtitas, & admonitiones circa caſtitatem. l. 2. 13. per totum, V. Virginitas, Tentatio.
Catacumbæ, V. Cœmeterium Calliſti.
Catharina Ph. ſoror, l. 1. 1. 5.
B. Catharina de Prato, & Ph. ſe inuicem abſentes vident, l. 3. 11. 11. Ph. vt ſanctum veneratur, l. 3. 13. 29.
S. Catharina de Roſa. Ph. puellarum huius Monaſterij auctor fuit, l. 1. 11. 6. &c.
S. Catharina Senenſis, l. 2. 5. 10. l. 3. 2. 20.
Cauſidicus. V. aduocatus.
Cella Ph. quam inculta, l. 1. 2. 5. ſingulis expoſita, l. 2. 5. 10. Paradiſus nuncupatur, l. 2. 10. 16. frequentata, l. 3. 9. 3. 4. 5.
Character. Ad characterem Iuuenem, qui vt laicus incedebat, ſacerdotem agnoſcit. l. 3. 8. 26.
Charitas in dirigendis Iuuenibus, l. 1. 7. per totum. Circa ſalutem animarum, l. 2. 2. per totum.
Charthuſiani. eos videt ſplendida facie è choro diſcedentes, l. 3. 3. 12.
Chiragra liberat Clementem VIII. l. 5. 2. 22. & alios. ibidem 23. 25. l. 6. 8. 5.
Chriſti paſſio, V. Paſſio Chriſti.
Chriſtus Ph. Puerum Ieſum videt in altari, l. 3. 2. 3. in hoſtia. l. 2. 1. 1.
Clemens VIII. quatuor Catechumenos baptizat, l. 1. 12. 16. Polonos ad Ph. mittit, l. 2. 18. 16. Ph. manum oſculatur &c. l. 3. 13. 8. Ph. ei Pontificatum prædicit, l. 3. 6. 9. A Chiragra eum ſanat. l. 5. 2. 22. Ph. capillos apud ſe detinet, l. 6. 2. 19. Ph. conſilio Henricum IV. Eccleſiæ reddit, l. 3. 9. 2. Ph. Cardinalem creare vult, l. 2. 16. 3. 4. &c.
Cocus. V. Coquorum.
Cœlum, V. Cælum.
Cœmeterium Calliſti frequentat, l. 1. 5. 4. Priſcillæ. Nonnulli Ph. interceſſione illinc egrediuntur incolumes, l. 6. 1. 4. 2.
Cogitationes Confeſſario aperiendæ, l. 1. 13. 19. Cogitationes cordis occultas dignoſcit, l. 3. 8. fere per totum.
Commiſeratio, V. Cordis teneritudo.
Communio ſacra. Quæ ad eam præparatio, l. 1. 20. 16. In communione porrigenda fundit lacrymas, l. 2. 4. 9. Alij mirabiles effectus, l. 2. 1. 18. 18. 20. Communionis frequentia arbitrio Confeſſarij relinquenda, l. 1. 19. 10. Cum deſiderio communio percipienda ſitientes, l. 2. 7. Et alia multa, l. 2. 1. 9. V. Euchariſtia.
Conciones familiares, V. ſermones.
Confeſſarius. Qui fuerint Confeſſarij Ph. l. 1. 2. 3. Quid in Cōfeſſarijs deſideret, l. 1. 19. 10. Cōfeſſario obediendū in omnibus, l. 1. 20. 10. 18. 19. l. 1. 19. 10. Et multa alia ibidem. Confeſſarij viam virtutis difficilē non faciant pœnitentibus, ſed facilem, l. 2. 6. 8. Pœnitens alium adiens Confeſſarium hilaritatem amittit, redit ad Ph. & recuperat, l. 2. 9. 5. Auſterus cum mulieribus, & quædam alia, l. 2. 13. 3. Monita eius ad Confeſſarios, l. 2. 13. 16. A marſupijs pœnitentium abſtinendum, l. 2. 15. 16. Viſionibus pœnitentium & præcipuè mulierum non facilè credendum, l. 3. 1. 19. Et alia, l. 3. 9. 18. 24. 25. 26. 28.
Confeſſio Sacramentalis. Dæmon Confeſſarium ſe ſimulat, l. 1. 1. 15. Aſſiduitas Ph. in audiendis confeſſionibus l. 1. 10. 1. 3. Alumnos ter in hebdomada confeſſionem frequentare deſiderat, l. 1. 19. 10. plus frequentanda confeſſio, quam communio, l. 2. 1. 9. Cognoſcit pœnitentium peccata dum confitentur, l. 2. 42. 7. l. 3. 8. 1. 2. 3. &c. In audienda confeſſione à ſcrupulis liberat, l. 2. 10. 5. & alium à deſperatione, l. 2. 9. 10. Prius confitenda peccata grauiora, l. 2. 17. 14. Aegrotans ab audiendis confeſſionibus non deſiſtit, l. 2. 10. 16. l. 4. 3. 1. Reprehendit quendam, qui ſubticebat peccata venialia impura, l. 3. 8. 9. Non permittit pœnitentes ad hoc ſacramentum accedere ſpe lucri, l. 3. 8. 8. Liberat ægrotos ſuadens confiteri, l. 5. 5. 1. 2. l. 6. 13. 1.
Congregatio Oratorij; Fundatio eius in S. Maria in Vallicella, l. 1. 17. Inſtitutum, l. 1. 19. Conſtitutiones, ibidem. Cur Congregatio Oratorij? l. 2. 5. 2. Non facile permittit alibi Congregationes a ſuis fundari, l. 1. 2. 1. 16. l. 6. 19. 12.
Congregationis bona, V. bona.
Conſcientia, Videt hominum conſcientias, l. 3. 8. 1. 1. 3. 28.
Conſilium, In determinationibus tempus, conſilium, & oratio requiritur, l. 1. 12. 23. 24. Conſilium requirit etiam ab inferioribus, l. 1. 17. 9. Religionem ingredientes Phil. conſilio perſeuerant, ſi contra eius conſilium, diſcedunt, l. 3. 9. 8. 14. 20. 24. 17. Vir magni conſilij Phil. l. 3. 9. per totum, V. Prudentia.
Conſolatio ſpiritualis, l. 1. 5. 2. l. 2. 1. fere per tot. Conſolatur multos, l. 3. 9. 5. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. l. 5. 10. 3. 8. 9. 11. Guſtus ſpirituales domi, non in publico perquirendi, l. 2. 17. 14. Tribulationibus, & conſolationibus Deus vitam texere ſolet, l. 1. 20. 20. Conſolatio præuenientium tentationes, ibidem.
Conſpicilijs non vtitur, l. 2. 4. 11.
Conſtantia Ph. adhuc pueri, l. 1. 1. 27. V. fiducia Perſeuerantia.
Conſtantia Draco, mater Card. Creſcentij, Phil. pœnitens, l. 2. 3. 3. l. 3. 4. 8. l. 5. 8. 22. 23.
Conſtantius Taſſonius Ph. charus. Ex alumnis. Vir probus, l. 1. 11. 6. l. 2. 15. 9. l. 3. 3. 2.
Conſtitutiones Congregat. Oratorij. l. 1. 17. 2.
Contemplatio, Cœcus Ph. pœnitens contemplationi addictiſſimus, l. 1. 8. 5. Ph. vt contemplationi incumbat, loca ſibi deligit altiora, l. 1. 8. 4.
Contemptus mundi, l. 1. 1. 19. l. 1. 2. 3. l. 2. 16. per totum. Eius dictum, l. 2. 17. 1. Et de contemptu

ſui ipſius, l.2.17. fere per totum, V. Ambitio. Diuitiæ, Mortificatio.
Contritio, Pœnitenti contritionem impetrat, l.2. 4.2. Contritos agnoſcit l.3 8.28.
Conuerſio peccatorum, l.1.7. per totum, l.2.7.4. l.1.8 3. Hebræorum, & Hæreticorum. l.1. 12. Multorum conuerſio, l.2.6. per totum. In conuertendis peccatoribus affabilitas, ibidem ſparſim. Pœnitens amicam conuertere ſtudens cadit, l.2.13.18. Conuertit nonnullos dicendo dumtaxat, & quid inde? l.2.15 14.15.
Coquorum duorum virtus. l.1 8.7.5.4.5.
Cordium arcana dignoſcit, l.3 8. per totum.
Cordis eius palpitatio, l.1. per totum.
Cordis eius teneritudo, l.2 12.
Corona, V. Roſaria.
Corpus Ph. odorem efflat, l.2.13.9. 10. 11.
Correptio, Correpti a Ph. qui e correptione fructum non faciunt, male pereunt, l.1. 7.7. Imperat vt poſt obitum ſuum vni fiat correptio pro iniuria ſibi illata, l.2.20 7. In corripiendis Principibus quid vtendum? l.3.9. 27. l.2. 16. 12.
Coſtarum Ph fractura, l.1 6.3 2.3. l.4.7.1.
Crucis ſigno a preſſuris liberat, l.2.9.24 Fugat meretricem, l.2.13 6. Miracula poſt mortem ſigno crucis, l.5 2. per totum.
Crucifixi imaginem montis Cælij frequens viſitat, l.1.2 2. dum ſtudijs incumbit, l.1. 4.7. Noctu ad caput Crucifixum tenet, l.2.5.7.
Crumena V. Marſupium.
Crux Ph. dictum, l.2.20.10.
Cubiculum Ph. paupertatem redolet, l.1, 1.5. Cuicumque patens, l.2.6.10 Paradiſus appellatur, l.2.10.10. S. Carolus permultas ibi horas commoratur, l.1.3.9 4. Card. de Florentia, qui poſtea Leo XI. fuit. l.3 9 32 Item Claudius Aquauiua Generalis Societatis Ieſu, ibidem. 5. V. cella.
Curiæ vitandæ, l.2.16.10. a curialibus deriſus, l.2. 20.2.
Currus, V. Bigæ.

D

DAemon ſe confeſſarium ſimulat, l.1. 8 15. Tentat Ph. l.1.5 7. Ei apparet, l.1.5.8. Terrorem immittit, l.1.5.9. l.1 11. 15. l.3, 2. 23. Eius Virginitati infenſus, l. 2. 13.4. 5.6. Dæmones fugat, l.2 8.9. Multos liberat a dæmone, l.3.19. per totum. Minatur Phil. l 3.10. 8 9. Iniurijs eum laceſſit, l 5 2. 21 Morientibus infenſiſſimus, l.2. per totum. Orationem impedire plurimum conatur, l.2. 5.16.
Dæmoniaci, V. Energumeni.
Deſperatione tentatos liberat, l.1.8.2 3 &c. l.2. 9.10. l.2.10.2. ne deſperatum dicit, l.3 17.1.
Deuotio, adhuc puer deuotiſſ. l.1.1.12. In Chriſtum crucifixum, l.1. 2.2. Eius deuotio in diuerſis caſibus, l.2. c.8 per totum, l.2.2. per totum Deuotionem alijs communicat, l.2.13. fere per totum, Eius dicta, l.1. 19.9. l.2.21.6. Aliorum erga ipſum, l.3.13.21. &c. l.1.9.5 V. Pietas.
Diabolus, V. Dæmon.
Dignitates, A dignitatibus alienus, l.2.16. V. Ambitio, Honor.
Diſciplinæ quam dicunt vſus, V. flagellum.
Diſcordias inter virum, & vxorem ſedat, l.6.9. 12. V. pax.
Diſcretio ſpirituum, l.3.9. per totum.
Diſſolutiones quas dicunt abhorret, l.2.7.8. V. Lætitia, V. Scurrilitas.
Diuitiarum contemptus, l 2. 15. per totum.
Doctrina Chriſtiana. eam docebat Ph. in porticibus Eccleſiarum. l.1.4.7. Congregatio Doctrinæ Chriſtianæ ab Henrico Petra aucta, l.3 8.2.
Dominica ſeptuageſimæ PP. celebrare officia in Eccleſia nuper ædificata incipiunt. l.1.17 6.7.
S. Dominicus, & Dominicani Ph. Patres Dominicanos diligebat, l.1 1.3. Ph. ſpiritum ſe ab ijs hauſiſſe profitetur, l.1. 1.14. ſermonibus ex ijs interſunt multi, l.2.16.15. Nouitios ſuperiores illi committunt, l.2.7.4. Alter S. Dominicus nuncupatus, l.3. 9. 27. Sub Officio duplici Ph. feſtum celebrant, l.4 9 20. In choro adſiſtit, l.1. 14. 6. Clauem Conuentus apud ſe habet, ibidem. Pro ſancto ipſum venerantur, l.3. 13.19 Ecſtaſim patitur pro vna ipſorum cauſa, l.3.13.
Dux Bauariæ, V. Bauariæ Dux.
Dux Borbonius, V. Borbonius.

E

ECcleſia Alexandrina vnitur cum Eccleſia Romana precibus Ph. l.6.10.7.
Eccleſia, Septem Eccleſias inuiſit, l.1. 14. 7. &c. l.1 5 4. l.1.16.5. Orat in veſtibulis parum, l.1. 5. 4. 5.
Eccleſia, S. Mariæ in Vallicella erectio l.1.17.2. Ad Vallicellam ſe confert, l.1. 18. per totum.
Ecſtaſes, l.3.1. per totum. l.2.1.10.12.
Effigies Ph. l.4.7.2.
Eleemoſyna, Libros vendit, l.1.5.2. Ph. alumnus etiam lecti culcitram erogat, l.1. 11. 8. Alter quicquid lucratur in hebdomada, l.1. 11. 10. Eius eleemoſynæ, l.2.11. per totum, l.2.12 per totum. Clam pauperes in neceſſitatibus adiuuat, l.3. 8.8.
Eliſabetha Hiſpaniarum Regina Ph. honorat, l.4. 9.20.
Eliſabetha Ph. ſoror, l.1.1.5. Eius hereditatem repudiat, l.2. 15. 4.
Energumeni, l.3.10. per totum, l.2.10. 1. Liberantur propter honeſtatem S.Ph. l.2.13.15. Ph. Roſarijs, l.6.3.6. l.6. 13.12.
Epiſcopatus dignitatem declinat, l.2. 16.1.
Epiſcopos ſine cauſa non reſidentes non abſoluit, l. 2. 16. 12.
Epiſtola Io. Iuuenalis Ancinæ, l.1. 16. 8. Cardinalis Baronij, l.1 19.17. Ph. Epiſtola Conſolatoria ad fœminam ſereniſſimam, l. 2. 9. 13. Epiſtolam ſibi de manu arripit Alumnus, l. 2. 20.7. Epiſtola Ph. ad alumnum, l.2. 21. 14. Eius Epiſtola ad S. Carolum, l.2.21.16.
Epiſtolas D. Pauli præ manibus habet, l.2.5.10.
Eua, Se excuſantes Euam appellat, l.2. 17.14.
Fr. Euangeliſta, cognomento Marcellinus Ph. venerantur, l.3. 13.19.20.

Eucha-

Euchariſtia, V.Communio Ph pietas erga Sacramentum Altaris, l.2. 1. per plures numeros. Medici ex vi ſacræ Communionis eum viuere aſſerunt, l.2.24.5. Dum Viaticum ſuſcipit, l. 4. 2.4. Dum alios communicat, l.2.4 9.

Exercitationes ſpirituales moderate ſuſcipiendæ l.2.21. 5. 6.

Exempla ſanctorum. exoptat exempla ſanctorum inter concionandum a ſuis miſceri, l.1. 19 6.

F

Fabulæ Aeſopi, V. Aeſopi.

Fama eius ſanctitatis, l.1.3.7. l.1.4.7. l.3.13. per totum, l 4.9. per totum.

Fabritius de Maximis Romanus Phil. charus, & Alumnus. Duo eius filij ſanitati reſtituuntur, l.1. 20.6. Ex inobedientia pecuniæ vim maximam amittit, l.1.20.14. Portæ cubiculi Ph adſtat, l.2.10.10. Ph. ecſtaſim patientem reperit, l.3. 1.3. Filium eius Ph. reſuſcitat, l.3.12. per totum. Eius filiam cantantibus angelis ad cœlum ferri videt, l.3.2.9.

Febris, Eius patientia in febribus, l. 1. 4. 17. A febribus eius intereeſſione liberati, l.5. ferè per totum, & l.6. ferè per totum.

Federicus Borromæus Cardinalis Ph. palpitationem fuiſſe voluntariam aſſerit, l. 1. 6. 10. Magnificentia in conſtruenda Eccleſia, l.1.17.10. Ph. peccatores flentem reperit, l.2. 4. 1. Sola manſione in Ph. cubiculo recreatur, l.1.10.10. Anima Ph. nuncupatur. Ph. vt ſanctum veneratur. Quid de Ph. teſtetur. Ph. effigiem adhuc viuentis apud ſe retinet, l. 3. 13. 12. Animarum pœnitentium ſuorum ſtatum cognoſcere, l 3.2.10. Arcana cordium, l.3.8.28. l.3.9.3. Quendam a terrore liberatum, l.3. 11.9. Viaticum Ph. porrigit l.4.1.4 Ph. e ſepultura communi extrahendum curat, l.4.2.14 l.4.7.3. Manus, & pedes Ph. defuncti exoſculatur, l.4.15.8. Ph. laudes, l.4.9.8.

Felem per ſex annos a ſuis alendam curat, l. 2. 19. 9.

B Felix Capuccinus de Cantalicio, & Ph. ſe inuicem piè exercent, l.2.18.3. Ph. alumnum ad eum mittit, l.2. 19. 6. Ph. veneratur, l.3. 13.28.

Feruores, Eius primi feruores, l. 1. 3. 4. & ſeqq. l. 2.5. ferè per totum, l.1.6. ferè per totum. feruorem communicat, l.2.3. per totum, V. Deuotio.

Feſta. Dictum Ph. in hac materia, l.2. 2. 9. In feſtis SS. quid ageret, l.2 17.4 Poſt eius obitum anno ſequenti eius feſtum celebrari cœpit l.4.9.6. Greg. XV. in eius feſto indulgentiam plenariam concedit. Et officium recitari, l.4 10. 8.

Fides, Fidei propagandæ ſtudium, l. 1. 12. per totum.

Fiducia in Eccleſiæ ædificio l.1.17.8.9. quam magna, l.2.5.5. Eius dictum ad rem, l.2. 27. 14. Alumnorum fiducia in Ph. 3.13. 22. Eius fiducia in operibus, l.1. 17.9. l.1.19. 13.4.1.1 17.11. In oratione, l.2.5.5. Salutis propriæ, l.4. 10. 17.

Flagella, Flagellis ſe cædit, l.1.5.3. flagellorum vſus l.1.19.8. l.2.5.26. l.1. 20.11.

Flaminius Riccius Ph. apprimè charus: Epiſcopatum declinat Præpoſitus, l.4. 2.4.

Florentiæ naſcitur, l.2. 1.1. eo nunquam reuerſus, l.2.21.1. duobus Philippis decorata, l.2. 21. 2.

Florentini Ph. expetunt. l. 2. 15. per totum. Oratorium Florentinorum dimittitur, l. 1. 17. 6.7.

Flores ab eius corpore pietatis ergo auferuntur, l.4. 6.4. l.4.9.5.

Fœminarum ornamenta, l.2. 6.9. V. Mulieres.

Fœtorem peccati percipit, l.2.13.12.

Fortitudo animi, l.2.20.16. V. patientia.

Fractura coſtarum. l. 2.6.

Franciſca de Serroue mulier maximæ pietatis in Ph. laudes. l.3. 13 31.1.

Franciſcus Bozzius Congregationis presbyter, qui ex presbyteris, qui Phil. adhæſerunt, vltimus deceſſit 1641. l.4.2.13.

Franciſcus Rocchius in Ph. laudem. l.4 9.18.

Fr. Franciſcus Cardonius Dominicanus in Phil. laudem l.1.5.4.l. 3.13.24.

Fr. Franciſchinus Conuentualis S. Franciſci Concionator eximius Ph. charus, l.3.13.19.20.

Franciſcus Dietriſtanus Card. in Ph. laudem, l.3 6.5.

Franciſcus Card. Sfortia ſanitati reſtituitur, l. 3. 4. 1.

Franciſcus Maria Ferrarienſis ex Ph. alumnis, l.1. 11.12.13 14. l.3 2. 21.

Franciſcus Maria Tauruſius Card. piè a Phil. exercetur, l.1. 18.5. l.2.17 11. de quodam cane eius dictum, l.2. 9.8. Ph Cardinalatum ei prædicit, l 3.6. 2. Ph. morientem abſens ei commendat, l.3. 7. 2 3. De cognoſcendis cordium arcanis, quid de Ph dicat, l 3 8.29. l.3. 13 25. primum lapidem in ſacello ponit, l.4.8.6. Miſſam primus ibi celebrat, l 4.8.8. Ph. manum ſalutiferam dicit, l.5.2.26. Conuertitur, l.1.11. 4. Eius laudes, l.1.16.14. Capite laborat ex inobedientia, l.1.20.10. Alia, l.1. 15. 3. l.1. 20. 1. l.1. 1.6.

Franciſcus Marſupinius Arretinus in ædibus S. Hieronymi presbyter ſecundus Ph. confeſſarius, Vir miræ puritatis, l 1.9.3.

S. Franciſci inſtar ſe omnium peccatorem maximum aſſerebat, l.2.17.1.

S. Franciſcum de Paula in miraculis patrandis imitatur, l.2.17.11.

Franciſcus Nerius Ph. pater, l.1 .1.3. Ph. teſtamento præteriſt, l.2. 1 5.3. Saluus facile credendus eſt, l.3.2.10.

Fr. Franciſcus Panigarola Ph. charus in eius laudem, l.3. 13 19.20.

Franciſci Zazzaræ amor in Ph. eiuſque encomium, l.2. 15.14. l.4.2.7.

Fratres, & ſorores Ph germani, l.1.1.5.

Fuga vincuntur tentationes ſenſuales, l.2.13.19. l.2. 13.6.

Fuluius Amodeus Ph. alumnus. l.2.11.9.

Fundatoris nomen Ph. abhorret, ſed non Patris l.1 18.1. l.2.17.7.

Gabriel

G

GAbriel Paleottus Card. Oratorium frequentabat. l. 3. 2. 54. Primus archiepiſcopus Bononienſis. Vt ſanctum Ph. veneratur. In libro de bono ſenectutis pro exemplari boni ſenis Ph. proponit. l. 3. 13. 10. Defunctum veneratur l. 4. 5. 3. Ph primum miraculum experitur, l. 4. 6. 1. In Ph. laudes, l. 4. 9. 7.
Gaetæ Mons, l. 5. 2. 2.
Galeottus Caccius Ph. Romam aduentantem, primus domi ſuſcipit l. 3. 2.
Gallonius, V Antonius Gallonius.
Gallus. Italus. Quid acciderit, l. 3. 9. 16.
Germanicus Fidelius ex Congreg Ph. charus. Adoleſcens, l. 2. 16. 2. ex primis qui Vallicellam inhabitant, l. 1. 17. 3. Aulas ne frequentet Ph. mones. l. 2. 16. 10. Canonicatu S. Petri effectus Canonicatu ſe abdicat. Ph. ei ſuam mortem prænunciat, l. 4. 2. 9. 10. Hernia ſanatur, l. 5. 5. 9. Periculo ereptus, l. 6. 14. 1.
S. Germanum oppidum vbi moratus eſt Ph. biennio, l. 5. 3. 5.
Gloria in excelſis cantat, dum vltimam celebrat Miſſam, quod nunquam fecerat, l. 4. 3. 1.
Gloriam cæleſtem videt Ph. in Hoſtia conſecrata, l. 3. 2. 4.
Grammaticam addiſcit, l. 1. 5. 7.
Gratiarum actio de Annalibus Eccleſiaſticis, calce Vitæ.
Gratitudo. Gratiſſimus fuit, l. 1. 3. 3. l. 2. 9. 18. l. 2. 21. 28. l. 5. 2. 2. &c.
S. Gregorius. Dialogos eius ad populum enarrari iubet, l. 2. 19. 6. l. 9. 7. 11. In eius die feſto a Gregorio XV. inter ſanctos declaratur, l. 4. 9. 19.
Gregorius XIII. Bulla erectionis Congregationis, l. 1. 27. 2. Eccleſiam S. Mariæ in Vallicella, vt noſtri accipiant hortatur. ibidem. Munificentia in conſtructione fabricæ, l. 1. 17. 10. Ph. ad Vallicellam ſe transferre iubet, l. 1. 18. 3. Ph. ei Pontificatum prædicit, l. 3. 6. 7. Virginem quandam Ph. curæ committit, l. 3. 9. 19. Ph. vt ſanctum veneratur. l. 1. 13. 5.
Gregorius XIV. facultatem Ph. præbet Miſſam celebrandi iuxta paruū cubiculum. l. 2. 5. 17. Officium in Roſarium ei commutat, l. 2. 5. 9. Cardinalem Ph. creare decernit. l. 2. 16. 2. Ph. Pontificatum ei prædicit, l. 3. 6. 8. Ph. prudentem iudicat, l. 3. 9. 1. Alia in Ph officia. l. 5. 13. 7.
Gregorius XV. Diploma concedit ne Congregationes ad inſtar Romæ erigantur, neque Conſtitutiones aliæ fiant, l. 1. 19. 12. Eius dictum de Leone XI. l. 3. 6. 10. Canonizationem Ph. pollicetur, l. 4. 9. 19. Ph in Sanctorum numerum refert, ibidem, & alibi.

H

HÆreditatem Patrui renuntiat Ph. l. 1. 2. 3. paternam, & a ſorore ſibi relictam, l. 2. 15. 3. 4. 5. 10.
Hæreticos conuertit, & præcipuè quendam inſignem, l. 5. 5. 12. &c.
Hebræorum conuerſioni incumbit, l. 2. 12. 5. &c.
Hebræam morti proximum liberat, Chriſtoque donat. l. 5. 15. 9. &c.
Helena de Maximis Virgo ſummæ virtutis, ac Ph. chara, l. 3. 2. 9.
Henricus Petra a Ph. ad bonam frugem redactus. Congregationem doctrinæ Chriſtianæ amplificat, l. 5. 7. 2.
Hieronyma Creſcentia. Virgo maximæ virtutis. Candor, l. 6. 10. 22.
S. Hieronymi a Charitate Aedes illuc Ph. ſe transfert, illorum Patrum viuendi ratio, l. 5. 9. 3. Exercitationes ſpiritnales ibi introductæ. l. 2. 14. per totum. per annos 33. ibi degit. l. 1. 18. 2. Inde diſcedit iubente Gregorio XIV. l. 1. 18. per totum. Claues cubiculi retinet, ibi dum degit ſtipendium recuſat. l. 2. 1. 5. 6. Inſcriptio, & imago S Ph. in xyſto domus, l. 4. 9. 14. V. Oratorium.
Hieronymus Begerius Ph. ad Dominicanam familiam miſſus, & quomodo. l. 4. 5. 6.
Hieronymus Pamphilius Card. Ph. charus. Quid de Ph. dicat. l. 2. 9. 17. l. 2. 11. 18. Ph ſanitatem ei inſinuat, l. 3. 4. 6. Cardinalatum ei prædicit, l. 3. 6. 3. Quid de arcanis cordium dignoſcendis, l. 3. 8. 31. In Ph. laudem, l. 3. 13. 16 & alia. l. 4. 3. 2. l. 4. 9. 22. dolore capitis ſanatur, l. 6. 6. 1.
Hieronymus de Ruere Card. Ph. charus. Conſtitutiones recognoſcit. l. 3. 13. 18.
Hilaritas, V. lætitia.
Honores. Ab honoribus alienus. l. 2. 16. per totum, l. 2. 17. 7. Honores ei præſtiti, l. 4. 2. per totum. V. Dignitas.
Honuphrij locus apricus vbi ſermones habentur poſt paſcha l. 2. 15. 5.
Honuphrius Panuinus, vt Annales proſequatur, Baronius deſiderat, quidue accidat, l. 5. 13. 7. 8. &c.
Horæ Canonicæ, V. Officium diuinum.
Horti Matthæij, l. 1. 14. 9.
Hoſpitalis Domus, V. Noſocomium, Xenodochium.
Hoſtia, Hoſtias craſſiores legit. l. 1. 1. 13. Ieſum videt in hoſtia conſecrata, l. 3. 1. 2. paradiſum. l. 3. 2. 4.
Humilitas. Mirabilem cordis palpitationem, & fracturam coſtarum abſcondit, l. 1. 6. 9. ſacerdos fieri recuſat, l. 1. 9. 1. Ad rem hanc quid dicit, l. 5. 16. 9. Ecſtaſes in publico refugit, l. 2. 3. 5. 9. 12. 14. 17. Donum lacrymarum parui facit in perſona ſua, l. 5. 4. 13. Præpoſitum renuntiat, l. 16. 4. Honores fugit, l. 2. 16. per totum. De eius humilitate, l. 2. 17. per totum. Nonnulla Ph. dicta ad rem hanc, l. 5. 9. 9. 13. 25. l. 5. 9. 27. & quædam alia, l. 3. 10. 25. l. 4. 1. 4. l. 5. 2. 2. l. 5. 2. 1. l. 5. 2. 6. 16. l. 5. 3. 2. & ſeq. l. 5. 5. 4. 5. 7. 8. 9.
Humilitas pueros conducere non dedignatur. l. 5. 3. 3. Idiotam ſe ſimulat, l. 5. 4. 3. ſcripta ſua omnia ante mortem comburit. l. 5. 4. 6.

I

IAcobus Abbas Creſcentius capſam, in qua Ph. corpus deponitur faciendam curat, l. 4. 8. 3. Stomacho mirabiliter liberatur. l. 6. 6. 2. Il cæ-

meterio Priſcillæ liber euadit, l.6. 14.8.
SS. Iacobus, & Philippus, Ph. noſtri Aduocati, l.2. 2.8.9.
Iaculatoriæ orationes, V. orationes iaculatoriæ.
Ieiunium triduo a cibo abſtinet, l.1.3.4. V. Abſtinentia.
Ieſu nomen Ph. quam dulce, l.2.2.22.
Ieſuitæ, V. Societas Ieſu.
S. Ignatius de Loyola Ph. Campanam vocat, l.1. 7.6. ſplendida facie a Ph. viſus, l.3. 2.18.
Imago Ph. l.4.9.14. Miracula, l.6.13. per totum.
Impuritatis fœtorem dignoſcit, l.2.13.12. V. Caſtitas. Virginitas.
Incendium domus conſtanter tulit, l.1. 1.18.
Inconſtantia. Omnis mutatio periculoſa, l.2.21. 10. V. Stabilitas.
Indias luſtrare deſiderat, l.1.11.7. l.2. 12.1.2.3.4.
Indulgentia plenaria in eius feſto, l.4. 9.18.
Infernus. Eius dictum, l.2.5.6. l.2.20.20.
Infideles Ph. reuerentur, l.3. 13.31.
Infirmitas, V. ægrotatio.
Ingenium Ph. l.1.1.6.
Inimici. Conuerſio quendam, qui iniurias remittere nolebat, l.2.9.4. Orat pro inimicis, l.2.10. 14. l.2.8.10. l.2.4.11.
Inimicitias componit, l.2.9.9. V. iniurias.
Iniurias patienter fert, l.1.16. per totum. Documenta ad ferendas iniurias, l.2. 10.20. Nolenti iniurias remittere apparet, l.3. 11.5. Alium remittere nolentem conuertit, l.2.9.4.
Innocentij X. pater Ph. pœnitens, l.2. 9.16.
Innocentio Cardinali de Bubalo Canonicatum, & Cardinalatum prædicit, l.3.6.4.
Inobedientia, V. Obedientia, l.1.20. per totum. l.1.10.152.
Inopes, V. Pauperes.
Inſignia familiæ Neriæ, l.4. 8.5.
Inſtitutum Congreg. l.1.19. per totum. Circa tria verſatur, l.2. 21.1.2.
Inteſtina Ph. incorrupta, l.4.7.5. Miracula, l.6.1. per totum.
Ioannes Animuccius Muſicus Ph. charus, ei opitulatur, l.2.21.6. Mortuus cuidam apparet, & quid accidat, l.3.2.12.
Ioannes Antonius Luccius Ph. charus. Patrem, & Matrem in loco ſalutis, l.3.2.10. Sanitatem ei prædicit, l.3.4.10. Energumenam verberat. l.3.10.9.
S. Ioannes Baptiſta Ph. apparet, l.3.2.1.2.
Ioannes Bapt. Modius ex Ph. alumnis maximæ virtutis. Adnotationes ad vitam B. Iacoponij apponit, l.2.11.7. In eius domo Ph. rapitur, & ſplendore circumfuſus cernitur, l.3.1.11.
Ioann. Bapt. de Fulginio Ph. diſcipulus, l.3.9.9.
Io. Bapt. Tuphus, de Ph. encomium, l.4.9.13.
Ioannis Caſſiani Collationes legit, l.2. 5.10.
B. Ioannes Columbinus, eius vita a Ph. legitur, l.2.5.10.
Ioannes Eleemoſynarius nuncupatur Ph. l.2. 11.16.
S. Ioannis Florentinorum. Ph. Eccleſiam ipſorum gubernat. l.1.15. per totum.
Ioannes Franciſcus Aldobrandinus, Dux Arcis S. Angeli. Quid ſibi cum Ph. contingat, l.3.6.2.
Io. Franc. Bordinus presbyter Congreg. Epiſc. Cauallionenſis. l.1. 15.2. Oleo ſancto Ph. inungit, l.3.1.7.
Ioannes Gerſon, liber Ph. familiaris, l.2.3.10.
Ioannes Manzolius Ph. charus. Chiragra ſanatur, l.5.2.25. morti proximus, l.5.3.5.
Ioannes Iuuenalis Ancina ex Congreg. Epiſc. Saluciarum. Vir ſummæ virtutis. Eius epiſtola ad fratrem, l.2.15.7. Thomam Bauam à Chiragra liberat, l.5.2.23.
Ira. Non iraſcitur, l.2.1.10. l.2.20.14. Dolet, quod ſororem leuiter repulit, l.1.8.8.
Italus. Gallus, quid acciderit, l.3.9.16.
Iudicium temerarium. Non iudicandum, quia multi qui videntur mali, erunt forſan ceteris meliores, l.5.2.4.
Iulia Vrſina Marchioniſſa Rangonia a Ph. communicatur, l.2.1.20. Odorem ex Ph. ſepulchro percipit, l.4.7.4.
Iulius Benignius Ph. cellam paradiſum dicebat, l.2.10.10.
Iulius Petruccius Ph. charus, familiaris S. Caroli. Quid ei accidat dum ph. ægrotat, l.2.20.18.
Iulius Santedonius Epiſc. Groſſetanus ph. diſcipulus, vir pius, & probus in xyſto domus S. Hieronymi a Charitate ph. imaginem pingendam curat, l.4.9.14. ph. apparitione recreatur, l.6. 10.19.
Iuramento, vel voto ſuos obſtringi noluit, l.1.19.2.
Iuuenalis. V. Ioan. Iuuen.

L.

Lacrymæ. Duo eius alumni dono lacrymarum præclari, l.1.19.22. l. ibid. 17. Dono lacrymarum præditus, l.1.12.5. l.2.14. per totum.
Lætitia, ceu h., lætitia. l.2.3.10. dum irridetur, l.2.10.2. natura hilaris, l.1.6.4. Iniurijs laceſſitus, l.2.20.15. lætitia ſibi placet, ſed non ſcurrilitas, l.2. 7.8. Diuitijs addicti lætitia carent, l.2.20.14. Hilares diligit, l.2.7.7. ph. ſeu de lætitia Chriſtiana, l.3.23.9.
Lampades, primam appendit Abbas Maſſa, alteram dono dedit Dux Bauariæ, tertiam Carolus Cardinalis de Lorena. Ceteras diuerſi, l.4.9. 3.15.
Lauinia de Ruſticis ph. diſcipula. Mulier maximæ virtutis, l.2.13.2.
Lectioni piorum librorum aſſiduus, & quorum, l.2.15.10. Lectio ad menſam, l.1.16.4. l.1.19.11. Vitæ SS. l.2.2.8. l.2.7.8.
Legata plurima reſpuit, l.2.15.7. &c.
Leo XI. ph. pontificatum prædicit, l.3.6.10. ph. prudentia prædituum cenſeat, l.3.9.3. Inter ſanctos ph. referre vult, l.4.9.17.
Liberalitas. Liberalibus paradiſum promittit, l.2.15.13. Liberaliſſimus, l.2.11.18.
Libros vendit, & pretium in pauperes erogat, l.1. 5.2. Quos libros auidius legat, l.2.5.10. libros facetiarum apud ſe retinet ſuos mortificandi gratia, l.2.18.15. &c.
Lucretia Ioannis Animuccij vxor, ph. diſcipula. Maximæ virtutis, l.3.2.1.6.
Ludouicus Madrutius Card. in ph. laudē, l.3.13.17.
Ludouicus Paſſinus, ph. alumnus 30 annos phil. ſpōte inſeruit, l.2.11.9. eius obedientia, l.1.20.2.

Ludo-

Ludouicus Torres Card. veſtem Ph donat, & quid contingat, l. 3. 8. 17.
Ludus malus, l. 5. 5. 3. Ludus bonus, l. 2. 7. 2.
Fr. Lupus, V. Alphonſus Capucinus.
Ldauria, V. impuritas.

M

MAnus Phil. manus ſaluberrimæ, l. 2. 3. 7. Calore feruent, l. 1. 6. 7. Odorem efflant, l. 2. 13. 9. tentationes pellunt, l. 2. 13. 13. ſplendent. l. 3. 1. 19. Miracula, l. 5. 2. per totum, l. 2. 10. 8.
Manſuetudo, V. patientia. ira.
Marcellinus, V. Euangeliſta.
Marcellus Vitelleſchius Ph. charus, S. Mariæ Maioris canonicus, l. 1. 6. 6. Duos guſtulos aquæ odoriferæ ad Ph. mittit, l. 3. 7. 11. In Ph. laudem, l. 3. 8. 3. non De profundis, ſed Laudate, recitat in Ph. obitu. l. 4. 5. 5.
Marcus Antonius Corteſellus Ph. alumnus, ab eo ſummopere æſtimatus, l. 3. 2. 7. 8.
Marcus Antonius Maffa, Abbas, Protonotarius Apoſtolicus, Ph charus, ex obedientia ſermones habet, l. 1. 20. 9. haurit ſpiritus dulcedines in recipienda peccatorum abſolutione a Phil. Eius planeta vrens, l. 2. 3. 3. In Ph. laudem, l. 3. 13. 26. l. 2. 26. 7. 8. primam tabellam appendit, l. 4. 9. 2. primam lampadem, ibidem, 3. Capitis dolore ſanatur, l. 5. 2. 9. Ph. mors, l. 4. 2. 6. 5. morbo cholico, l. 6. 7. 2. 2.
S. Maria Magdalena Ph aduocata, l. 2. 2. 8. 9.
S. Mariæ Aegyptiacæ vitam frequenter lectitabat, l. 2. 17. 1.
S. Maria in Vallicella. In ea Congregationis fundatio, l. 1. 17. per totum. V. Congregatio Oratorij. Oratorium. Inſtitutum.
Maria Virgo, alumno auxilio eſt in obitu, l. 2. 11. 11. Fiducia l. 1. 17. 9. Deuotio, l. 2. 2. 1. Phil opitulatur, l. 3. 2. 18. Vitam Baronio ab ipſa impetrat, l. 3. 11. 7. Ei apparet ægrotanti. l. 4. 4. Pietatem in Virginem commendat, l. 5. 2. 10. Maria puellæ apparet, eamque ſanat l. 6. 10. 8.
Marius Toſinus, ex primis alumnis a Ph viſus eſt in cœlum ferri, l. 4. 2. 5.
Marſupium. Marſupium quoddam apud ſe habebat pro parturientium, l. 5. 6. 7. 8. 9. A marſupij diuitum abſtinendum. l. 2. 15. 16.
S. Martinus. Quid dicat, cum ſemel hortaretur, vt orationem illam diceret, ſi adhuc populo ſum neceſſarius, l. 2. 17. 2. Dum orat. Martinum orantem ſe ſpectantibus offert, l. 2. 1. 3.
Martyrologium Romanum Ph. imperante Baronius adnotationibus illuſtrat. l. 1. 13. 9.
Martius Alterius Ph alumnus, virtute inſignis, l. 1. 11. 9.
Mater Ph. Lucretia Soldia, l. 1. 1. 4.
Matthæus Tiphernas fabricæ Vallicellanæ Architectus, l. 1. 17. 5.
Matutinum, l. 1. 14. 6. V. Horas Canonicas.
Medici cordis palpitationem, & fracturam coſtarum miraculo adſcribant, l. 2. 6. 12. Medicis obedientia, l. 1. 20. 17.
Medicis obedit Ph. l. 1. 20. 17.
Mediolanum. Peſtis, l. 3. 5. 8.
Meditatio paſſionis Chriſti. Apud S. Germanum, l. 1. 2. 2. Studens. l. 1. 4. 7. Crucifixum detinet apud ſe, l. 2. 4. 21. V. multa ad rem, l. 2. 4. 7. l. 2. 5. 7. 8. l. 1. 7. 2. l. 3. 2. 9. Meditatio quatuor nouiſſimorum optima incipientibus, l. 2. 5. 16.
Melancholia non triſtis, ſed hilaris, l. 2. 6. 4. Hilaritatem diligit, & quid accidat ad rem hanc; l. 2. 5. 1. 2. Multa vide. l. 2. 10. per tot. Ab auaritia prouenit, l. 2. 15. 21. A ſuperbia, l. 2. 17. 14. Nunquam triſtis, l. 2. 20. 15. Multos a triſtitia liberat, l. 5. 6. 6. l. 6. 8. 6. V. Conſolatio.
Mendacium. A mendacijs abhorret, l. 2. 17. 8.
Menſa, V. Triclinium.
Meretrices conuertere non eſt iuuenum, l. 1. 7. 3. 7. Duæ meretrices peruertere Ph. quærunt, & conuertuntur. Et de Cæſarea l. 2. 13. 4. 5. 6. Meretricum fœtorem ſentit, ibidem n. 12. Iuuenis ab ea, quam conuertere tentauit, peruertitur, l. 2. 13. 18.
Michael Bonellus Card. Alexandrinus Phil. ad prandium inuitat, l. 2. 18. 9. Spiram panis Ph dat. l. 2. 19. 5.
Miracula. Mira quæ operatur occultat, l. 2. 17. 12. Miracula ſtatim poſt obitum, l. 4. 6. per tot. Miracula dum viuit. l. 5. per totum. Miracula poſt mortem, l. 6. per totum.
Miſerere. Imperat Baronio, vt recitet Miſerere pro benedictione Menſæ nuptialis, l. 2. 11. 5.
Miſericordia. Opera miſericordiæ ſpiritualis, & corporalis. l. 1. 7. per totum. l. 2. 11, per tot. V. Eleemoſyna. Aegrotantes.
Miſſa. Quotidie celebrandam, l. 1. 19. 9. Non prolixi, ibidem. Præparatio vera, l. 1. 20. 16. Deuotio ipſius in celebrando, & multa de Miſſa. l. 2. 1. an. 8. Dum celebrat deuotionem excitat, l. 2. 3. 3. 4. Miſſas celebrari pro ſe poſtulat, l. 2. 17. 4. 5. Quotidie Miſſæ intereſſe optimum pro perſeuerantia, l. 2. 22. 8. Dum celebrat rapitur, l. 3. 1. 14. 15. Gloriam paradiſi videt, l. 3. 2. 4. In die obitus ſui Miſſam celebrat, l. 4. 3. 1. In eius ſacello primum celebrat Tauruſius l. 4. 8. 8. Miracula, l. 5. 3. 7. l. 6. 9. 3. l. 6. 14. 3.
Modeſtia Ph. in diſputando, l. 1. 5. 4. 5.
Monachus Benedictinus Ph mittit ad Auguſtinum Ghettinum pro conſilio ad aquas Saluias, l. 1. 12. 2.
Monaſterij S. Catharinæ de Roſa Auctor Ph, l. 2. 11. 6.
Montes Zazzara Ph. pœnitens. Ph. præſentia exhilaratus, l. 2. 10. 11. l. 3. 4. 12.
Morientibus frequens aſſiſtit, l. 2. 8.
Mors. Dictum Ph l 1. 5. 6. Mortes precioſæ alumnorum ſuorum, l. 1. 11. 2. l. 2. 11. 11. l. 3. 2. 5. 6. 8. Paratus ſum, & non ſum turbatus, l. 2. 20. 16. Meditatio mortis quam fructuoſa. l. 2. 6. 3. Morientes adiuuat, l. 2. 8. 4. l. 2. 8. 6. 8. l. 6. 10. 21. 22. Mortem appetit, l. 2. 21. 5. Mortem multis prædicit, l. 3. 3. per totum. Sibi quoque, l. 4. 1. per totum. Moritur l. 4. 4. per totum.
Mortificatio ſui adhuc iuuenis, l. 1. 5. 3. Aliorum, l. 1. 18. 5. l. 2. 19. 16. Confeſſarios admonet, vt magis pœnitentes in intellectu deprimant, quam corporalibus pœnitentijs affligant, l. 2. 20. 22. l. 1. 14. 10. l. 2. 21. 6. Mortificatio præparatio ad orationem, l. 2. 5. 16. Mortificatione Vrſulam

Neapolitanam virginem probat. l. 3. 9. 19. & alios, ibidem num. ar. 22.23.24. Baronium, l. 2. 11. 5. Tauruſium, l. 2. 17. Mortificationes in perſona propria, l. 2. 18. per totum. in Perſona aliorum. l. 2. 19. per totum.
Mortuum ſuſcitat, l. 3. 12. per totum.
Mulieres. Fugit earum conuerſationem, l. 1. 7. 3. ab ijs cauendum, l. 2. 7. 12. l. 2. 13. 3. 16. 18. l. 3. 2. 19. Monita mulieribus, l. 3. 9. 37. Miraculum, l. 6. 4. 1. V. Caſtitas fœminina.
Mundus, V. Contemptus mundi, Dictum Phil. l. 2. 1. 8. l. 2. 16. 13.
Murmuratio. Murmuratores non patitur etiam puer, l. 1. 1. 10. l. 2. 15. 4. Qui de Phil. murmurant Deum vindicem habent, l. 2. 20. 9. & ſeqq.
Muſica, l. 1. 14. 4. l. 2. 19. 4.
Mutus loquitur, l. 6. 9. 9.

N

NEris familia vnde originem trahat, l. 1. 25. 2. Vnita cum familia de Nigris nobili Florentina, l. 4. 8. 5.
Nerus de Nigris a Ph. communicatur, l. 2. 1. 19. Miſſam Ph. audiens non abſtrahitur, l. 2. 3. 4. Conſolatione repletur manens in Phil. cella, l. 2. 10. 10. Filium Ph. precibus obtinet, l. 4. 8. 5. & ibi per totum.
Nicolaus Lilius presbyter Congreg. vir maximæ virtutis, l. 2. 8. 6. 7.
Niger de Nigris, V. Nerus de Nigris.
Nobilitas. Nobilitatem ſanguinis, & maiorum ſpernit, l. 2. 1. 19.
Nomen Ph. dæmones pellit, l. 2. 13. 15.
Noſocomia, & Xenodochia frequentat, l. 1. 4. 7. l. 2. 7. 8. 9. ad ea ſuos mittit, l. 1. 14. 5.
Nouerca Ph. diligit, & ab ipſo diligitur, & obſeruatur, l. 1. 1. 9.
Nuptiæ. Tres de ſuis ad nuptias deducit, l. 2. 21. 5.

O

OBedientia. Suorum, & ſua, l. 1. 20. per totum, l. 1. 19. 14. 15. 16. Obedientia cuiuſdam Virginis, l. 3. 2. 9. Obedientia nonnullorum è ſuis, l. 3. 2. 2. l. 3. 7. 1. 1. 3. l. 3. 9. 27. l. 3. 13. 20.
Obedientia. Obediens a pueritia omnibus, l. 1. 1. 8. 9. 10. Ex obedientia fit ſacerdos, & confeſſarius, l. 1. 9. Obedientia Prælatis, l. 1. 15. 7. Ex Obedientia ad Vallicellam migrat. l. 1. 18.
Obſeruantia ſuorum erga Ph. l. 1. 20. eius erga omnes. l. 2. 2. 8. &c.
Obſeſſi a dæmone. V. Energumeni.
Occaſiones peccandi fugiendæ, l. 2. 6. 11. Dictum Ph. l. 2. 17. 14. Ab occaſione peccandi quidam admonitus a Ph. poſt eius obitum, l. 6. 4. 2.
Occulta cordium penetrat Ph. & quam ſingularis in hoc, l. 3. 8. per totum, V. Arcana.
Octauius Bandinus Card. in phil. laudem, l. 3. 13. 14.
Octauius Parauicinus Card. legit in Triclinio ad menſam, l. 1. 15. 4. Ph. ſacrificio inſeruit, l. 3. 1. 8. 10. Phil. laudem. l. 3. 8. 30. l. 3. 13. 13. l. 4. 5. 3. l. 4. 9. 10.
Ocularia, V. conſpicilia.
Oculi Ph. ſplendidi, l. 2. 13. 8. Oculi eius non caligant, l. 2. 13. 3.
Odor malus, V. Impuritas.
Oleo ſancto quater inunctus, l. 2. 20. 16.
Officium diuinum attentè recitat, l. 2. 5. 9. Deuotè audit. l. 1. 4. 10. Officium de S. N. ritu duplici ex Decreto recitant Dominicani, l. 4. 10. 16.
Opinio ſanctitatis, l. 3. 23. per totum. l. 4. 9. per totum.
Orationem mentalem mulierem quomodo doceat, l. 2. 18. 17.
Orationes iaculatoriæ, l. 2. 5. 14.
Oratio. A puero orationi deditus, l. 2. 1. 12. 13. apud ſanctum Germanum orationi addictiſſimus, l. 2. 2. 2. Romæ, l. 1. 3. 6. l. 1. 5. 2. 4. 5. 6. 8. l. 1. 6. 2. l. 1. 8. Oratio. Conſilium. Tempus in decernendis negotijs, l. 1. 12. 2. Oratio de ſero, l. 1. 19. 8. Spiritum orationis impetrat ſuis, l. 2. 3. 7. l. 2. 4. 5. l. 2. 3. 3. 4. Cur Congregatio Oratorij? l. 2. 5. 1. De Oratione, l. 2. 5. per totum. In viſendis infirmis orat, l. 2. 8. 2. Pro perſecutoribus præcipue orat, l. 2. 8. 10. Fœminas duas malas oratione conuertit, l. 2. 13. 5. Tyronum orationibus ſe plurimum commendat, l. 2. 17. 3. Ecſtaſim patitus dum orat, l. 2. 2. 2. Miracula ab ipſo orationis medio patrata. l. 5. 3. per totum. Miracula poſt mortem ad preces aliorum, l. 6. 11. per totum. Oratio quadraginta horarum, V. Quadraginta.
Oratorium. De Oratorio S. Hieronymi a Charitate, l. 1. 14. 3. Quid Baronius, l. 1. 14. 4. Origo exercitationum ſpiritualium de ſero in Oratorio diebus feſtiuis, l. 1. 15. 5. Apud. S. Ioann. Florentinorum, l. 1. 15. 7. Perſecutiones contra Inſtitutum Oratorij. l. 1. 16. per totum.
Oratorij inſtitutũ transfertur ad S. Mariam in Vallicella, l. 1. 17. 7. Cur Congreg. Oratorij l. 2. 5. 8. Multa de Oratorio, l. 2. 20. 11. l. 3. 8. 2.
Ornatus. Contra ornatum mulierum non nimis inuehebat, & cur, l. 2. 6. 9.
Oſculum manus non facile admittebat, l. 2. 17. 7.
Otium a iuuenibus fugiendum, l. 2. 7. 9.

P

PAlæologus hæreſi infectus a Philippo conuertitur, l. 1. 12. 12.
Palpitatio cordis, & fractura coſtarum, l. 1. 6. per totum, vbi multa.
Panigarola, V. Franciſcus Panigarola.
SS. Papias, & Maurus, l. 2. 2. 12. 15.
Paraclitus. pietas in Paraclitum. l. 1. 6. 2. ipſe docet orandi modum, l. 2. 5. 16.
Paradiſus, Dictum Ph. l. 2. 14. 9. Liberalibus paradiſum promittit, l. 2. 15. 13. Oblato ſibi Cardinalatu paradiſum exclamat, l. 2. 16. 6. Dictum aliud, l. 2. 20. 20.
Partus periculum. Mulieribus ſuccurrit, l. 5. 6. per totum, l. 6. 5. 5. l. 6. 8. 21. l. 6. 9. 5. l. 6. 10. 6.

Paſſio

I N D E X.

Paſſio Chriſti. Chriſti paſſionem deplorat, l. 2. 4. 8. Meditatur apud Caietæ montem, l. 5. 2. 2. Multa, l. 2. 5. 21. l. 2. 4. 5. 6. 7. l. 2. 7. 2.
Pater noſter, hoc ſolo verbo Mulierem orare docet, l. 2. 51. 17.
Pater Ph. Franciſcus Nerius, l. 1. 1. 3.
Patientia. Eius patientia a puero, l. 1. 1. 17. De Ph. patientia, l. 5. 16. per totum. Cum adoleſcentibus, l. 2. 7. 5. Non tribulationes a Deo petendas, ſed patientiam regulariter, l. 2. 57. 14. Item de eius patientia, l. 2. 20. per totum.
Patria. Ei non placet alumnos de Congregatione ad patriam ire, l. 2. 21. 53. 14. 15. Florentiam nunquam redit, l. 2. 21. 2.
Patris nomine gaudet ph. non præpoſiti, neque Rectoris, l. 2. 57. 7. hinc noſtræ Domus ſuperior appellatur ſimplici hoc nomine Pater, ibidem.
Patritius Patritius à colicis doloribus liberatur, l. 5. 5. 8. Ph. ei mortem prænuntiat, eiuſdemque defuncti ſe precibus commendat. l. 3. 3. 13.
Fr. Paulinus Bernardinus vir maximæ pietatis, & doctus, l. 5. 2. 3. l. 13. 19. 20.
Paulum de Maximis ad vitam reuocat, l. 3. 12. 2.
Paulus IV. Ph. diligit, l. 1. 16. 10.
Paulus V. Ph. Beatorum numero adſcribit. l. 4. 9. 18.
Paulus Sfondratus Card. in Phil. laudem, l. 3. 5. 10.
Pauperum Pater appellatus, l. 2. 15. 15.
Pauperes ſtipem quæritare per Eccleſiam vetat, l. 2. 15. 19.
Paupertas. Eius in domo Galeotti Caccij, l. 1. 3. 1. 5. Quam ſibi chara, l. 2. 5. 1. l. 1. 5. 5. Eius dictum ad hoc, l. 55. 21. V. Auaritia. Teſtamentum.
Pax. l. 2. 9. 9. l. 3. 9. 27. l. 6. 9. 12.
Peccatum. Peccator. Peccata, & peccatores deplorat, l. 2. 4. 8. Liberat a periculis peccandi, l. 2. 9. 2. l. 6. 4. 1. l. 6. 10. 10. Peccatorum fœtorem percipit, l. 2. 53. 52. l. 3. 5. 16. Peccata occulta dignoſcit l. 3. 8. per totum. Se primum omnium reputat, l. 2. 57. 5. Ex facie peccata cognoſcit, l. 3. 8. 28. Dictum quod attinet ad peccata venialia, l. 2. 26. 13.
Pecunias abhorrebat, l. 5. 15. 1. 5. 52. &c.
Penſiones non recipit, l. 2. 16. 1.
Peregrinorum, & Conualeſcentium Archiconfraternitas. V. Archiconfraternitas. V. Trinitas.
Perſecutiones contra Inſtitutum Oratorij, l. 5. 26. per totum. Perſecutorum eius vindex Deus, l. 1. 13. 8. l. 2. 20. 9. & ſeqq. Contra Eccleſiæ fabricam. l. 5. 19. 6. Compatitur, & orat pro perſecutoribus, l. 2. 11. l. 3. 8. 10. l. 2. 20. 14.
Perſeuerantia l. 2. 22. per totum. Ab ædibus ſancti Hieronymi non diſcedit, niſi ex obedientia, l. 1. 8. 3. Perſeuerandum in oratione, l. 2. 3. 16. Regulares ad hanc virtutem præcipuè hortatur, l. 2. 7. 4. l. 3. 9. 13. 14. 15. 16. 27. 58. 36.
Perſianus Roſa Ph. Confeſſarius, l. 1. 8. 1.
Peſtilentiam Mediolani graſſantem prædicit. l. 3. 15. 8.
Petri Donati Card. Ceſij magnificentia erga Congregationem. l. 5. 57. 10. Eius opera Ph. ad Vallicellam ſe confert. l. 1. 18. 2.
Petrus Aldobrandinus Card. ei Cardinalatum prædicit. l. 3. 6. 1.
Petrus Conſolinus Congregationis presbyter. diſcipulus ille, quem diligebat Ph. l. 1. 12. 10. Ei Ph. mortem ſuam edicit, l. 4. 2. 11.
Petrus Molinattius ex Phil. diſcipulis, l. 5. 11. 57. 18.
Petrus Paulus Creſcentius Card. Phil alumnus. In Ph. Apotheoſi multum laborat. In Epiſtola dedicatoria. In Ph. laudem, l. 3. 8. 32.
Petrus Puteus Panormitanus Congreg. Panormi erigit, l. 6. 2. 10.
Petrus Spatarius Arretinus in ædibus S. Hieronymi presbyter tertius Ph. Confeſſarius: Vir maximæ virtutis. l. 5. 9. 3.
Philippus. Naſcitur, l. 1. 1. baptizatur. Pater eius, & mater. Ex aui nomine Philippus appellatur. Fratres, & ſorores, Natura. Educatio, Studia, Obſeruantia, Pippus bonus. a periculo eruitur, Verbi Dei auidus, Oratione adhuc puer multa impetrat, Spiritum ſe recepiſſe a fratribus Prædicatoribus profitetur. Puer adhuc ſpernit mundum, l. 5. 5. per totum. Ad Patruum ſe confert, eius hæreditatem renunciat, l. 1. 2. per totum. Romam ſe confert, l. 1. 3. per totum. Philoſophiæ, ac Theologiæ operam dat l. 1. 4. per totum. Dictus Philippus bonus, ibidem num 7. Studia dimittit, l. 1. 5. Libros vendit Se Deo totum dicat, ibidem, per totum. Palpitatio cordis eius, & fractura coſtarum. l. 1. 6. per totum
Philippus. Viſiones, l. 3. 2. Mortes prædicit. l. 3. 3. Sanitates, l. 3. 4. Diuerſa, l. 3. 5. Cardinalatus, & Papatum, l. 3. 6. Videt abſentia, ac ſi præſentia, l. 3. 7. Cordis arcana, l. 3. 8. Prudentiſſimus, & ſpirituum diſcretor l. 3. 9. Dæmones pellit, l. 3. 10. Apparitiones eius dum viueret, l. 3. 11. Mortuum ſuſcitat. l. 3. 12. Morti imperat, ibidem num. 3. Deipara eum inuiſit, l. 4. 1. Mortem ſibi prænuntiat, l. 4. 2. Moritur, l. 4. 3. Poſt mortem apparet multis, l. 4. 4. Concurſus l. 4. 5. Eius miracula ante corporis humationem, l. 4. 6. Exenteratur, & quid accidat, l. 4. 7. Transfertur ad ſacellum, l. 4. 8. Honores poſt mortem l. 4. 9. Canonizatio, l. 4. 10. De miraculis eius dum viueret, l. 5. per totum. De miraculis poſt mortem, l. 6. per totum. De miraculis poſt canonizationem, l. 6. 15. per totum.
Ph. per ſexaginta annos Romæ demoratus, l. 2. 15. 5. & 56. 2.
Philippus ad animarum conuerſionem incumbit, l. 1. 7. per totum. Sanctiſſimæ Trinitatis confraternitatem vna cum aliis erigit, l. 1. 8. Ex obedientia fit ſacerdos, & confeſſiones audit, l. 1. 9. Colloquiorum, & ſermonum initium, l. 1. 10.

l.1.10. Indias petere deſiderat, l.1 c.12. Prouinciam Annalium Baronio imponit. l 5.13. Exercitationes ſpirituales multas adinuenit, l.1.c.1. Contradictiones patitur, l.2.56. Eccleſiã Sancti Ioannis Florentinorum regendam ſuſcipit, l 5. 15. Congregationem Oratorij inſtituit, l. c.17. In Vallicellam ſe confert, l.5. 18. Congregat. Inſtitutam l 5.19. Suorum obedientia, & obſeruantia, l.2.20. Ph. charitas in Deum, & in ijs, quæ pertinẽt ad Deum pietas, & deuotio, l.2 1. per totum. Pietas in Virginem, l,2.2. per tot. Deuotionem communicat, l.2.3. Lacrymæ l.2.4. Spiritus Orationis, l 2 5. Multos conuertit, l.2.6. In dirigendis iuuenibus rarus, l.2.7. Eius cura circa infirmos, l.2. 8. Terribilis dæmonibus, ibidem, n. 9. A tentationibus varijs liberat, l.2.9. A ſcrupulis, l.2. 10. Eleemoſynarius, l.2. 11. Tenerrimus corde, l,2 12. Virgo, l.2 13. Ph. nomen ſeptimit vires dæmonum, ibidem. 15. Abſtinentiſſimus. l.2.14. Ab honoribus, & diuitijs alienus, l.2.15. & cap 16. Humillimus, l.2. 17. Mortificationis magiſter, l.2. 18. & cap.19. Patientiſſimus, l.2 20. Perſeuerantiæ dono præditus, l 2. 25 Tria præcipuè deſiderat in Congreg. l.2 22.4. Eſtaſes patitur, l. 3.1. & capitis ibidem, c.5.

Ph Præpoſituram deponit, l.2 16.9.

S. Philippus, & Iacobus Ph. aduocati, l.2.2 8.9.

Philippus, ſiue de lætitia Chriſtiana, libellus a Card. Auguſt. Valerio compoſitus. l.3.13.9.

Philippus Tertiarius, l.3.9.23.

Philoſophiæ incumbit, l.1 4.2. & profectus, ibid.

Pileis eius clericalibus ẽdita miracula. l.6.5. per totum. Pileis quadratis Cardinalitijs, l.3. 6.5. l.2.16.2.

Pietas eius, & Religio. V. Deuotio.

Pippus bonus, cognomentum Ph.l, 1.c.10.

Pius V. Taurusium nepotis comitem ad Reges mittit, l.1.16.14. a Ph veneratus poſt mortem, l.3. 13.4. Eius Pontificatum prædicit, l.3.6.6.

Podagra curatã, l.3.2 24. l.6.1.4. l.6.2.13. l.6.8. 2.4. l.6. 12.4.

Pœnitentes, Conſcientias pœnitentium videt, l.2. 4.2. l.3.5 fere per totum, Pœnitentes ægrotos etiam cum vitæ periculo inuiſit, l.2. 20 10. pœnitentibus eleemoſynas per ſe ipſum non elargitur, l.3.8.8 pœnitentias corporales aſſumere, & vota emittere, ſtatum mutare abſque conſilio vetat, l 3.9.27. pro ſancto a pœnitentibus habetur, l.3.13. per plures numeros.

Pœnitentia, V. abſtinentia, pluris æſtimat, qui viuunt ſub obedientia non multis corporalibus ſe pænitentijs affligentes, quam viros maximæ pænitentiæ extra obedientiam, l.1.20.18. pænitentias diſcretas, vetat. l.2.14. 10. Mortificationes partis intellectiuæ plurimi faciebat, l. 2.21.6.

Pœnitentiæ Sacramentum, l.2.6.2.

Poeſis, l.2. 4.6.

Pollutiones nocturnas non patitur, l. 2.13.7. Qui paſſi ſint cognoſcit, ibidem n. 12. Eius capilli remediũ contra pollutiones nocturnas l.6.2,19.

Poloni quidam nobiles ad Ph. accedunt, & quid accidat, l.3.18 15.16.

Populi concurſus poſt obitum, l. 4 7.4. per totum.

Potus Ph. quam parcus, l.2.14.3.

Prædictiones, V. prophetia.

Præpoſituram deponit. l.2 16. 9. Præpoſiti nomine appellari refugit, ſed patris nomine ſibi complacet, l.21

Profeſſio Baronij qua Ph auctorem Annalium recognoſcit. in calce operis

Prophetia, Hebræorum conuerſionem prædicit, l.1.18 11. Caput ſuum, & corpus veneratum iri, l.4 8 3 1. Prophetiæ dono inſignis, l.3. 3. per totum. l.3.5. per totum, l.3 6 per totum. Documenta circa prophetias, l.3.6.11. Mortem ſibi prædicit, l.4.2. per totum.

Proſperitas non expetenda, l.3.5.3.

Præpoſiti electio, Ph. Præpoſitus perpetuus, l.6. 19. vbi plura de Præpoſito,

Prouidentia Dei erga ſeruos ſuos, l.2.20, 18. l.1.c. 11. l.1.14.11.

Prudentia Ph. l.1 c.2 l.3.9. per totum contra prudentiam carnis, l.5.17 8.

Puellæ Charitas Ph erga puellas, l.2.11.6 7.

Pueritia Ph. l. c.1. per totum.

Purgatorium, l.2.20.20.

Q

Quadraginta horarum oratio, l.1.5.2.

R

Raptus, & eſtaſes l.2. 5.12. l.3 1. per totum. Fr. Raynerius ſocius B. Felicis Capuccini, l.3 13.28.

Regina Hiſpaniarum, l.4.9.20.

Regulæ Congreg. l.1 19 3. Confirmatæ a Paulo V. ibidem.

Regularium familijs quamplurimis eleemoſynas elargitur, l.2 11.10 Quæ monita daret Regularibus. l.2 2.9.10 11.

Religiones Regularium Penè innumeros ad religionem mittit, l 4.9 27. perſeuerantiam regularibus inculcat, l.2 21 9. l.2.7 4. l.4 9.8. l.1.20.25.

Reliquiæ ſanctorum, l. 2. 2. 10.55. l.2 .20. 17. Res Ph. pro reliquijs habentur, l.4.6 & 7.

Reſidentia, non abſolui, qui a reſidentia ſine cauſa abſunt, l 2. 26.12.

Rhetorica, l 1. c 7.

Robertus Card. Bellarminus Ioannem Eleemoſynarium Ph. appellat, l.2.11.16.

Romulus Ph. patruus, l. 1. 2.

Roma, Romam venit, l.1. 3.1. Indias Ph. Romæ futuras, l.1,12.4. ſuos Roma abeſſe ægrè fert, l.2.21.16.

Roſaria. Roſarium a Ph. inuentatum, l.2. 2. 3.4. Roſaria ferè ſemper præ manibus habebat, l.2. 10.8. Seaagres quidam dicunt S. Phil. ora pro me, dum is adhuc viueret, l.3.13.22. Roſaria eius corpori imponunt multi poſt mortem, l.4.5.7. Miracula Ph. Roſarijs a Deo patrata, l.6.3. per totum.

S

Sacellum Ph. in Eccleſia, l.4.8. per totum. Sacellum domeſticum, vbi ſanctus iam decrepitus, ſacrum faciebat, translatum, l.2. 1.5.

Aliud

Aliud ſacellum poſt altare vbi reconditum eſt corpus extructum, ornatumque eſt, l. 4. 8. in fine.
Sacramenta. Frequentia ſacramentorum a Ph. reſtituta, l. 1. 10. 5. l. 1. 19. 2. 9. 10. l. 4. 3. 1.
Sacramentum Altaris, V. Euchariſtia, Cómunio.
Saluatoris in campo Templum, in eo ini tia orationis, & ſermonum, l. 1. 8. 1.
Salus animarum, V. anima zelus.
Sanctitas futuræ eius ſanctitatis inditia, l. 1. 3. 8. 12. 18. Opinio, l. 3. 13. per totum.
Sanctorum exempla. In ſermonibus habendis exempla ſanctorum miſceri exoptat, l. 1. 19. 6. Lectio. l. 2. 2. 8. 9.
Scholaribus pauperibus auxiliatur, l. 2. 18. 11.
Scientia Ph. In ſcientijs verſatus. l. 1. 4. 4.
Scripta ſeu ſcriptiones antequam decedat comburit, l. 2. 17. 7. 8.
Scrupulos pellit, l. 2. 10. per totum.
Scurrilitates, V. Diſſolutiones.
Sebaſtianus Tibicen. Ph. alumnus. vir probus, & pius, l. 2. 8. 2. l. 3. 2. 3.
Sermones l. 1. 8. 2. 3. a laicis fiunt, l. 1. 4. 4. Initium Sermonum, l. 1. 10. per totum, l. 1. 14. 1. Impugnatur ſermonum vſus, l. 1. 16. 11. 12. 13. 14. 15. Ph. ferè quotidie ſermones habet, l. 1. 19. 5. Inſtitutum 4. Sermonum, l. 1. 19. 4. Monita Ph. circa ſermones habendos, l. 1. 19. 6. Abſtinet a concionando. & cur, l. 2. 4. 5.
Seruantius Minius Dominicanus. Quid ei accidat. l. 1. 1. 14. 15.
Sermones in oratorio S. Hieronymi quo ordine haberentur ab initio, l. 1. 14. 4. & Inſtitutum, l. 1. 19. 4. &c.
Septuageſimæ Dominica incipiunt PP. officia celebrare in Eccleſia nuper ædificata, l. 1. 17. 6. 7.
Sepulchrum, Concurſus ad ſepulchrum, l. 4. 4. l. 4. 3. 12. 14. Miracula, l. 6. 1. per totum.
Sextilius Mazzucca Canonicus Vaticanus thecā argenteam donat, l. 6. 2. 20.
Signum crucis, V. Crux.
S. Simonis Sali conſequutus gratiam in miraculis occultandis, l. 2. 17. 11.
Singularitas fugienda in ſacrario, l. 2. 20. 20. In triclinio, l. 2. 14. 6. Superbiæ fomenta 6, l. 2. 17. 14.
Sixtus Quintus V. Xiſtus V.
Societates malæ. Ab ijs cauere neceſſarium dicit Phil. prout neceſſaria ſunt ſacramenta. l. 2. 2. 8.
Solœciſmos in legendo facit, vt idiota cenſeatur, l. 2. 18. 11.
Somnus, Terræ cubat, l. 1. 5. 3. ad 4. vel 5. horas ſomnum capit, l. 2. 5. 7. l. 2. 14. 7.
Sordes Ph. diſplicent, l. 2. 14. 8.
S. P. Q. R. l. 4. 9. 15.
Spes, V. Fiducia.
Stabilitas, V. perſeuerantia.
S. Stephani in Rotundo Templum, l. 1. 14. 9.
Stemmata progenitorum dilacerat, l. 2. 17. 7. 8.
Studium pietati coniunctum, l. 1. 4. 7. Studia dimittit, l. 1. 5. per totum. Quid in ſuis circa ſtudia expetierit, l. 1. 19. 7. l. 2. 5. 10.
Superbia. Superbis non adhæret. l. 2. 17. 13. V. humilitas.
Symbolum Apoſtolorum piè admodum recitat, l. 2. 3. 23.

T

TAurufius, V. Franc. Maria Taur.
Templum. Pauperes per Templu ſtipem petere non permittit, l. 2. 11. 19. V. Eccleſia.
Tempus. Iuuenibus dicebat: O vos beatos, quibus bene agendi tempus ſupereſt, l. 1. 17. 5.
Teneritas cordis eius, l. 2. 12.
Tentationes. liberat a tentationibus, l. 5. 9. per totum. Tentationes eius adhuc adoleſcentis, l. 2. 5. 8. 9. 10. Qui eius pectori adhærent, liberantur, l. 1. 6. 6. Qui eo familiariter vtuntur tentationibus liberantur, l. 2. 3. 8. Morientes, l. 2. 8. 2. &c. Ph. nomen tentationes pellit, l. 2. 13. 15. A mulieribus tentatur, l. 2. 13. 4. 5. 6. Tentationes ſenſuales fuga vincuntur, l. 2. 13. 19. Remedia contra tentationes, l. 3. 9. 17. Capillis eius, l. 6. 2. 19. l. 6. 4. 1. Vitæ lectione l. 6. 7. 5. l. 6. 7. 4.
Teſtamentum. Quid in materia teſtamentorum exquirat a ſuis, l. 2. 15. 7. 16.
Thæus Guerrius Ph. alumnus, vir eximiæ probitatis, l. 3. 8. 7. l. 3. 9. 5. l. 4. 4. 1.
Theologiæ vacat, l. 1. 4. 3.
S. Thomas Aquinas, Ph. D. Thomæ doctrinam ſequitur, eius ſummam in manibus frequenter habet, l. 1. 4. 5. Vanægloriæ ſtimulos eius inſtar non ſentit, l. 2. 17. 13.
Thomas Bozzius Congreg. presbyter, de ſignis Eccleſiæ Dei. l. 1. 23. 9.
Thomas Siculus Ph. alumnus, vir maximæ probitatis, l. 1. 18. 15.
Tribulationes non expetendæ regulariter, l. 2. 17. 14. Documenta, l. 2. 20. 20. V. aduerſitates. Tentationes.
Triclinium. Regulæ pertinentes ad Triclinium, l. 1. 19. 11.
Trinitatis Sodalitium, l. 1. 8.
Turris ſpeculorum domus l. 3. 1. 14. l. 3. 5. 5.
Triſtitia, V. Melancholia.

V

VAllicella. V. Eccleſ. S. Mar. in Vallicella.
Vana gloria, Ph. inſtar D. Thomæ vanægloriæ ſtimulos non ſentit, l. 2. 17. 13. Tria genera vanæ gloriæ, l. 2. 17. 14.
Verbum Dei. A puero auidus audiendi verbum Dei, l. 1. 1. 12. Primus qui verbum Dei quotidianum introducit, l. 1. 14. 3. Singulis ſermonibus per multos annos quotidie adſiſtit, l. 1. 19. 5. Sermones habendi modus, ibidem, 6. In verbo Dei diſſeminando quam inſiſtat, l. 2. 4. 3. l. 4. 3. 8. Miraculum, l. 6. 9. 2.
Veſtitus ratio, l. 2. 14. 8.
Viaticum. Recipit Viaticum a Federico Borromeo, l. 4. 1. 4.
Victus ratio, l. 2. 14. 3. 4.
Vincentius Miniator, Ph. alumnus, ei opitulatur, l. 2. 12. 4.
Virginitas. Ph. virginitas, l. 2. 13. per tot. cuiuſdam virginis corporis candor, l. 6. 11. 22.
Vita S. Bernardini, V. S. Bernardinus.
Vita S. Catharinæ Senenſis, l. 2. 5. 10.
Vita S. Ioannis Columbini, l. 2. 5. 10.
Vita S. Ph. l. 4. 9. 16. l. 6. 7. per totum, l. 6. 15. 31 Vitas.

INDEX.

Vitas Sanctorum legit, l. 2. 4. 4. l. 2. 5. 10. l. 4. 3. 1. 2.
Vir, & vxor pia, l. 3. 9. 27.
Vitæ ſpiritualis gradus tres. l. 2. 21. 7.
Vocatio diuina Romam a S. Germano proficiſcitur inconſulto patre, vt diuinæ vocationi obtemperet, l. 1. 3. 1. Probandæ vocationes an a Deo ſint, l. 2. 21. 9. Ph lumen in ijs agnoſcendis, l. 3. 8. 15.
Voluntas propria. quidam ex propria voluntate flagellat ſe ſe maxima cum voluptate, ſed ex obedientia nequaquam, l. 2. 20. 11. pluris æſtimat qui ex obedientia vitã communem viuunt, quam qui ex propria voluntate vitam in maxima pœnitentia traducunt. l. 1. 20. 18.
Voluntas Dei. Requiritur conſilium, tempus, & oratio ad ipſam agnoſcendam, l. 1. 6. 2. 2. 3. 4. Indias ſuas Romæ futuras intelligens acquieſcit, l. 5. 12. 4.
Voluptates iuuenibus noxiæ, l. 2. 5. 3. 4.
Vxiaæ tabellæ concurrunt ſtatim ab obitu, l. 4. 7. 4. l. 4. 9. 1.
Voto, vel iuraméto obſtringi ſuos noluit. l. 1. 19. 2. Non facilè emittenda vota, l. 3. 9. 2. Miracula votis edita. l. 6. 9. per totum
Vrſula Benincaſa Neapolitana virgo ſanctitatis opinione celebris, l. 3. 13. 30. l. 3. 9. 19. 20.
Vxor & Vir pia. l. 3. 9. 27.

X

XYſtus V. l. 3. 13. 6.

Z

ZElus animarum l. 1. 7. per totum, l. 2. per tot. Zelus fidei. l. 1. 12. per totum. Annaliam prouinciam Baronio ex zelo fidei committit, l. 1. 13.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 8. Si quid forte a ſuis, lege ſi forte a ſuis.
pag. 6. preterea, lege propterea
pag. 10 ſubdola, lege ſubdolas.
Ibidem ſil, lege illi.
pag. 14 de lecta, lege delecta
pag. 29. dictam, lege dictum
pag. 30. reſpuebat, reſpuebatque
pag. 41. pollicecor nemini, interpunge polliceor, nemini
pag. 46. offerant, lege offerunt
pag. 47. opera, lege operam
pag. 52. cogitaſſet, lege cogitauerat
pag. 55. fuit, lege fuiſſe
pag. 55. ſuper, lege inſuper
pag. 63. impetrate, lege impetrare
pag. 63. ſcruplum, lege ſcrupulum
pag. 81 intentus, lege intenſus
pag. 87. Rurſus optimum, lege Rurſus optimum quoque eſſe
pag. 89 vt illicet dele:
pag. 94. elatos, lege lætos
pag. 95. legere interdum, interpunge legerẽ, interdum.
pag. 103. de quo alibi acerrime, interpunge de quo alibi, acerrime
pag. 108 dumtaxet, lege dumtaxat
pag. 113. propte, lege propter
Ibidem patrocinior, lege patrocinio
pag. 113. euangelicam, lege euangelicum
pag. 116. ed, lege ſed
pag. 129. virtis lege virtutis
pag. 133. miſerat, copia interpunge miſerat copia
pag. 140. propterea, lege præterea
pag. 147 &, lege vt
pag 163 & &, dele alterum
pag 168. ſurium, lege ſurſum
pag. 169 pra, lege ſupra
pag 173. quendam, lege quandam
pag 180. Cardinali, lege Cardinale
pag. 189. ſucturum, lege ſuturum
pag 209. nec non, lege ac non
pag. 206. audire, lege audiſſe
pag 217. eſclamat, lege exclamat
pag. 222. abſouta, lege abſoluta
pag. 227. electo. lege è lecto
pag. 231. conſentire, lege conſentiret
pag 237. vta libi, lege vt alibi
pag. 239 diſperationem, lege deſperationem
pag. 244. appropiantes, lege appropinquantes
pag. 257. duodecim, lege duodecimo
pag 257. dies, lege die
pag. 259. nterrogat, lege interrogat
pag 272. qui, lege quod
pag. 286. iuuet, lege iubet
pag. 290 vxore nim, lege vxor enim
pag. 307. Sclania, lege Sclauia
pag 325. a it, lege agit
pag. 326. ſubmerſas, lege ſubmerſa,
pag 328. Bertaccinius, lege Bertaccinius
pag 332 t'u, lege tu
pag. 336. Hypenſtra, lege Hypermneſtra.
pag. 340. Paulus V. in monte Ianiculo, dele totũ.
pag. 347. paſſum, lege paſſuum.

Errores in interpungendo quiſque per ſe corrigat.

Alia errata poſtmodum animaduerſa.

Ad lectorem. imitatus, lege imitari
Pag. 33. execrare, lege execrari
pag. 39. auctoritate, lege vtilitate
pag. 41. fidem praſtiterunt, lege adhibuerunt
pag. 43. Chriſti Vicarij, lege a Chriſti in terris Vicario
pag. 74. cœmiteria, lege cœmeteria
pag. 81. longam, lege longum
pag. 83. tot rumpit, lege in tot rumpit
pag. 85. ęditiores, lege editiores
pag. 87. vbi, lege quò
pag. 88. ſalute promouenda, lege ſalutem promouendam
pag. 93. reuocare, lege reuocaret
pag. 116. eorum, lege earum
ead. pag. ſi quis, lege ſi quos
pag. 117. conducere, lege locare
pag. 134. Chriſtus, lege Chriſtum
pag. 149. contexuit, lege contexit
pag. 152. genuflexus, lege genuflexam
pag. 158. aduolat, lege auolat
pag. 176. fidem præſtarent, lege fidem adhiberent
pag. 177. fidem praſter, lege fidem præbeat
pag. 183. Macte animo, lege bono animo

pag. 191. Pardinalibus, lege Cardinalibus
pag. 200. pro eleemoſynia, lege in eleemoſynas
pag. 204. nec non paruæ, lege nec paruæ
pag. 229. allocutum, lege allocutam
pag. 231. conſentire, lege conſentiret
pag. 219. diſperationem, lege deſperationem
pag. 263. ſeguenti, lege ſequenti
pag. 264. ea redundat
pag. 267. Barronias, lege Baronius
pag. 272. qui, lege quod
pag. 281 vt quid, lege vt qui
pag. 284. ſerri, lege ferri
pag. 293. Prior, lege Prima
pag. 296. interijſſe, lege interituram
pag. 302 perſidia, lege peruicacia
pag. 312. capeſceret, lege capeſſeret
pag. 317. ſacros linteos, lege ſacros pannos linteos
pag. 321. Sulpiria, lege Sulpicia
pag. 324 proximum, lege proximo
pag. 337. Trapani, lege Drepani
pag. 339. domi, lege domum
pag. 348. commiſeratione non parua, lege ad commiſerationem non paruam.